


SANCTI PATRIS NOSTRI


BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI.



REGULÆ FUSIUS TRACTATÆ.
REGULÆ BREVIUS TRACTATÆ.
EPISTOLÆ.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

REGULÆ FUSIUS TRACTATÆ [1].

PROOEMIUM.

I. Quoniam, Deo juvante, in nomine Domini nostri Jesu Christi simul convenimus nos, qui unum et eumdem pie vivendi finem nobis proposuimus, vosque quidem non obscure præ vobis fertis, teneri vos desiderio aliquid discendi eorum, quæ ad salutem pertineant, mihi vero Dei justificationes annuntiandi incumbit necessitas, cum nocte ac die sim memor Apostoli, qui ait : « Per triennium nocte » et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquem» que [2]; » et quoniam præsens tempus est convenientissimum, hicque locus præbet silentium, ac prorsus ab externis tumultibus immunis est, mutuo simul precemur, ut nos quidem opportune conservis nostris frumenti demensum demus : vos autem, accepto sermone, velut bona terra perfectum et multiplicem justitiæ fructum reddatis, sicut scriptum est [3]. Obsecro igitur vos per charitatem Domini nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro

[1] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 430-432. — [2] Act. XX, 31. — [3] Matth. XIII, 23.

peccatis nostris, simus tandem aliquando de animabus nostris solliciti, doleamus anteactæ vitæ vanitatem, decernemus pro futuris ad gloriam Dei, et Christi ipsius, adorandique ac sancti Spiritus. Ne maneamus in socordia hac et dissolutione, neve præsens quidem tempus per jugem pigritiam amittentes, in crastinum vero et in posterum differentes operum initium, deinde ab eo, qui animas nostras reposcit, inventi imparati a bonis operibus, et a nuptialis thalami gaudio excludamur, et frustra inutiliterque ploremus, tunc vitæ tempus male præteritum lugentes, cum nihil amplius profuerit pœnitentibus. « Nunc tempus » acceptabile, inquit Apostolus, nunc dies salutis[1]. » Hæc est pœnitentiæ ætas, illa remunerationis : hæc operæ et laboris, illa rependendæ mercedis : hæc tolerantiæ, illa solatii. Nunc Deus adjutor est eorum, qui se a via mala convertunt : tunc horrendus et quem nullus fallet, humanarum actionum, verborumque et cogitationum inquisitor. Nunc experimur lenitatem, tunc justum judicium cognoscemus, cum videlicet resurrexerimus, alii ad supplicium æternum, alii ad vitam æternam, et unusquisque secundum sua ipsius opera receperit. Quousque Christo, qui nos ad suum cœleste regnum vocavit, obsequi differimus? Annon recipiemus nos ad bonam frugem? Annon a consueta vivendi ratione revocabimus nos ad Evangelii integritatem? Annon ob oculos nobis ponemus illam Domini metuendam ac conspicuam diem, in qua hos quidem qui ad Domini dexteram per sua opera accesserint, regnum cœlorum suscipiet; illos vero, qui ob bonorum operum privationem ad sinistram dejecti fuerint, gehenna ignis et tenebræ æternæ involvent. « Illic, inquit, erit fletus, et stridor dentium[2]. »

II. Atqui cœlorum quidem regnum concupiscere nos

[1] 2 Cor. VI, 2. — [2] Matth. XXV, 30.

dicimus, et tamen de iis, quibus comparari potest, nihil sumus solliciti : imo tametsi nullum pro conficiendo Domini mandato laborem subimus, nihilominus æquales honores ac præmia cum iis, qui ad mortem usque peccato restiterint, recepturos nos esse præ mentis nostræ vanitate existimamus. Quis sementis tempore domi desidens, aut dormiens, instante messe, manipulis sinum implevit? Quis ex vinea a se non plantata nec exculta uvas legit? Illorum sunt fructus, quorum et labores : iis, qui vicerint, præmia et coronæ tribuuntur. Quis unquam coronabit eum, qui ne accinxit se quidem contra adversarium? quandoquidem non modo vincendum est, sed et legitime decertandum juxta Apostolum [1], hoc est, ne minimum quidem punctum ex iis, quæ præscripta sunt, negligendum est : imo singula perficienda sunt ita, ut nobis præceptum est. « Beatus, » enim, inquit, servus quem, cum venerit Dominus, invenerit» non facientem utcumque, sed « Sic facientem [2]. » Item, « Si » recte quidem obtuleris, recte autem non diviseris, pec- » casti [3]. » Nos vero, si vel unicum mandatum confecisse nos arbitremur (neque enim confecisse dixerim : omnia siquidem inter se cohærent juxta sanam Scripturæ mentem, sic ut uno exoluto necesse sit alia etiam simul exolvi), non propter violata mandata iram expectamus, sed propter mandatum peractum præmia præstolamur. Qui ex decem talentis sibi commissis unum aut alterum retinuerit, reliqua vero reddiderit, non ideo probus declaratur quod majorem partem persolverit, sed improbus et avarus esse convincitur ob hanc minoris partis direptionem. Quid autem dico direptionem? Quandoquidem cui concreditum fuerat talentum unum, etiamsi deinde illud ipsum quod acceperat, totum ac integrum reddidisset, tamen propterea quod, tradito talento, nihil addidit, condemnatur. Qui

[1] 2 Tim. II, 5. — [2] Luc. XII, 43. — [3] Gen. IV, 7.

per decennium patrem honoravit, et postea unam duntaxat plagam incussit, non ut bene de illo meritus, honore afficitur, sed condemnatur ut parricida. « Euntes, inquit » Dominus, docete omnes gentes, docentes ipsos » non hæc quidem observare, illa vero negligere : sed « Servare omnia » quæcumque mandavi vobis [1]. » Et Apostolus ratione non dissimili scribit : « Nullam in ulla re dantes offensionem, ut » ne vituperetur ministerium, sed in omnibus exhibeamus » nosmetipsos sicut Dei ministros [2]. » Etenim si non omnia essent necessaria ad salutis propositum, non utique omnia mandata fuissent conscripta : neque fuisset sancitum, ut necessario servarentur omnia. Ecquid mihi proderunt cætera recte facta, si propterea quod fratrem fatuum appellavero, sim gehennæ addicendus? Quam enim utilitatem percipit qui a multis liber est, si vel uno redigitur in servitutem? « Qui enim, inquit, facit peccatum, servus est » peccati [3]. » Quid etiam cuiquam prodest multorum morborum esse expertem, si ipsius corpus vel ab uno morbo corrumpitur?

III. Ergo, inquiet aliquis, Christiani permulti, qui omnia non servant præcepta, inutiliter et sine fructu aliqua custodient? Ad hoc juvat meminisse beati Petri, qui postquam tam multa præclare gesserat, taliterque beatus fuerat prædicatus, ob unum duntaxat erratum audivit : « Si non » lavero te, non habebis partem mecum [3]. » Omitto autem dicere, neque segnitiem neque contemptum ea re indicari, sed ostendi honorem, atque reverentiam in Dominum suam. Sed dicet aliquis : « Scriptum est : « Quisquis invoca» verit nomen Domini, salvus erit [4], » sic ut ei, qui invocaverit, satis sit ipsa nominis Domini invocatio ad salutem adipiscendam. » Verum audiat et ille Apostolum dicentem :

[1] Matth. XXVIII, 19, 20. — [2] 2 Cor. VI, 3, 4. — [3] Joan. VIII, 34. — [4] Id. XIII, 8. — [5] Joël. II, 32, et Act. II, 21, et Rom. X, 13.

« Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt[1] ? » Quod si credis, audi Dominum, qui ait : « Non omnis qui » dicit mihi, Domine. Domine, intrabit in regnum cœlo- » rum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis » est[2]. » Nam certe qui Domini voluntatem facit, non ita tamen ut Deus vult, neque hoc ex affectu amoris erga Deum peragit, is operi perficiendo frustra studium impertit, juxta vocem ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui dicit : « Faciunt, ut videantur ab hominibus : amen dico » vobis, recipiunt mercedem suam[3]. » Unde Paulus apostolus edoctus est dicere : « Etiamsi distribuero in cibos » pauperum omnes facultates meas, et si tradero corpus » meum, ut comburar, charitatem autem non habuero, » nihil mihi prodest[4]. » In summa autem tria hæc ego video animi discrimina, quibus ex inevitabili quadam necessitate ad obediendum compellimur. Aut enim supplicii metu a malo declinamus, versamurque in affectu servili; aut mercedis fructus requirentes, ob nostram ipsorum utilitatem mandata explemus, et hoc pacto mercenariis efficimur similes; aut ob ipsum honestum, charitatemque erga legislatorem nostrum, gaudentes quod digni simus habiti, qui tam glorioso ac bono Deo serviamus, et ita demum ut filii afficimur. Neque igitur is qui in timore perficit mandata, semperque desidiæ pœnam suspectam habet, alia quidem quæ sibi præcepta fuerint, exequetur, alia vero negliget : sed omnis inobedientiæ vindictam sibi ex æquo metuendam suspicabitur. Et idcirco beatus prædicatur qui veretur omnia ob metum[5] : stat autem firmus in veritate, cum possit dicere : « Providebam Dominum in » conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne » commovear[6] : » qui scilicet nihil eorum, quæ ad offi-

[1] Rom. x, 14.— [2] Matth. xii, 21.— [3] Id. vi, 5.— [4] 1 Cor. xiii, 3 — [5] Prov. xxviii, 14. — [6] Psal. xv, 8.

cium pertineant, prætermittere velit. Et, « Beatus vir qui » timet Dominum. » Quam ob causam? quia « In mandatis » ejus volet nimis [1]. » Itaque timentium non est aliquid ex iis, quæ præcepta fuerint, præterire, aut negligenter exequi : imo ne mercenarius quidem quidquam eorum, quæ præscripta sint, violare volet. Quomodo enim præmium feret ob vineæ culturam, si pacta omnia non servaverit? Etenim si vel unum ex iis, quæ necessaria extiterint, defuerit, inutilem ipsam possessori reddidit. Ecquis præterea, adhuc manente detrimento, mercedem persolvat injuriæ actori? Tertium ministerium erat ob charitatem præstitum. Quis igitur filius, cujus is scopus sit, ut complaceat patri, ipsum in rebus majoribus exhilaratum, tristitia ob res minoris momenti afficere volet? Quod etiam multo magis præstabit, si meminerit Apostoli, qui dicit : « Et » nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati » estis [2]. »

IV. Qui igitur maximam violant mandatorum partem, quo in numero collocari cupiunt? qui neque Deum ut patrem obsequiis colant, neque ei tanquam magna pollicenti habeant fidem, neque ut Domino serviant. « Si enim, » inquit, pater sum ego, ubi est gloria mea? Et si Dominus » sum ego, ubi est timor meus [3]? Qui enim timet Dominum, » in mandatis ejus volet nimis. » Ait vero : « Per præva» ricationem legis Deum inhonoras [4]. » Quomodo igitur si vitam voluptariam vitæ, quæ juxta mandata degitur, anteponamus, vitæ beatitudinem, et civitatis cum Sanctis jus æquale, et cum Angelis gaudia in Christi conspectu nobis pollicemur? Est animi vere stolidi talia comminisci. Quomodo cum Job ero, qui ne levissimam quidem calamitatem cum gratiarum actione pertulerim? Quomodo cum Davide,

[1] Psal. CXI, 1. — [2] Ephes. IV, 30. — [3] Malac. I, 6. — [4] Rom II, 23.

qui leniter me non gesserim cum adversario? Quomodo cum Daniele, qui assidua abstinentia et sedula precatione Deum non exquisierim? Quomodo cum singulis quibusvis Sanctis, qui illorum vestigia secutus non sim? Quis certaminum arbiter ita judicii expers est, ut victorem et eum qui non decertavit, paribus coronis dignos esse censeat? Quis imperator iis, qui vicerint, et iis, qui ne comparuerint quidem in pugna, distribuit unquam æqualem spoliorum partem? Deus quidem bonus est, sed est quoque justus. Remunerat autem justus pro merito, sicut scriptum est : «Benefac, Domine, bonis, et rectis corde. Declinantes au- »tem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus »iniquitatem [1]. » Misericors quidem est, sed et judex. « Diligit enim, inquit, misericordiam et judicium Domi- »nus [2]. » Eam ob causam dicit : « Misericordiam et judi- »cium cantabo tibi, Domine [3]. » Didicimus quinam sint, quorum misereatur : « Beati enim, inquit, misericordes, » quoniam ipsi misericordiam consequentur [4]. » Vides quam considerate utatur misericordia? Neque citra judicium misericors est, neque judicat citra misericordiam. « Mise- »ricors enim Dominus et justus [5]. » Ne igitur dimidia ex parte Deum cognoscamus, neque ipsius benignitas ignaviæ nobis occasio sit. Ideo tonitrua, ideo fulmina, ut ne contemnatur bonitas. Qui efficit ut sol oriatur [6], ipse etiam cæcitate mulctat [7]. Qui imbrem dat [8], etiam ignem pluit [9]. Illa clementiam, hæc severitatem indicant : aut propter illa diligamus, aut propter hæc timeamus, ne nobis quoque dicatur : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et lon- »ganimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad »pœnitentiam te ducit? Secundum autem duritiam tuam,

[1] Psal. cxxiv, 4, 5. — [2] Id. xxxii, 5. — [3] Id. c, 1. — [4] Matth. v, 7. — [5] Psal. cxiv, 5. — [6] Matth. v, 45. — [7] 4 Reg. vi, 18. — [8] Zach. x, 1. — [9] Gen. xix, 24.

» et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ [1]. » Quoniam igitur neque salvi esse possunt, qui opera ex Dei præcepto conficienda non egerint, neque absque periculo quidquam eorum quæ imperata fuerint, prætermittitur (ingens enim arrogantia est, constitui nos legislatoris judices, et alias quidem leges comprobare, alias vero rejicere;) agedum nos, qui in pietatis palæstram venimus, quique vitam quietam et a negotiis remotam, tanquam ad custodienda Evangelii dogmata adjutricem sumus amplexi, communem curam consiliumve adhibeamus, ne quod præceptum nos effugiat. Etenim si Dei hominem oportet perfectum esse, sicut scriptum est, et uti doctrina superius tradita docuit, prorsus necesse est eum in quovis mandato perfici et absolvi ad mensuram ætatis plenitudinis Christi [2], quando etiam ex divina lege animal, quod mutilatum sit, etiamsi fuerit mundum, Deo ad sacrificium acceptum non est. Quamobrem quod sibi quisque deesse putarit, id in communi examinandum proponito. Nam quod latet, adhibita a pluribus diligenti perscrutatione, facilius inveniri poterit, Deo videlicet uti pollicitus est Dominus noster Jesus Christus, nobis rei quæ quæritur inveniendæ auctore, ex sancti Spiritus doctrina atque admonitione [3]. « Quemadmodum igitur mihi necessitas incumbit, et væ » mihi est, si non evangelizavero [4] : » ita et vobis æquale impendet periculum, si segniter inquisiveritis, aut ad ea quæ tradita sunt observanda et reipsa conficienda languidius ac remissius affecti fueritis. Quapropter Dominus dicit : « Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum no- » vissimo die [5]. » Item : « Servus qui non cognovit volunta- » tem domini sui, et fecit digna plagis, vapulabit paucis : » qui vero novit, et non fecit, neque paravit se ad volunta-

[1] Rom. II, 4, 5. — [2] Ephes. IV, 13. — [3] Joan. XIV, 26. — [4] I Cor. IX, 16. — [5] Joan. XII, 48.

» tem ejus, vapulabit multis [1]. » Precemur igitur ut ego inculpate dispensem sermonem, vos vero utiliter doctrinam excipiatis. Tanquam ergo, qui sciamus divinæ Scripturæ verba in nostro conspectu ante Christi tribunal sistenda esse (« Arguam enim te, inquit, et statuam contra faciem » tuam peccata tua [2] ») ita et iis, quæ dicuntur, attendamus diligenter, et sedulam divinis monitis exequendis operam demus, quandoquidem ignoramus qua die, aut hora Dominus noster venturus sit.

INTERROGATIO I.

De ordine et serie mandatorum Domini.

Quandoquidem dedit nobis sermo tuus interrogandi potestatem, ante omnia edoceri postulamus num ordo aliquis sit et series in Dei mandatis, ita ut aliud sit primum, aliud secundum, et sic deinceps : aut omnia inter se cohæreant, omniaque quantum ad principatus rationem attinet, inter se sint æqualia, sic ut secure possit quivis auspicari, unde velis, tanquam in circulo aliquo.

Responsio.

Vetus est quæstio vestra, et jam olim in Evangeliis proposita, cum legisperitus, qui ad Dominum accesserat, dixit: « Magister, quod est mandatum primum in lege? Et Do» minus respondit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto » corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, » et ex tota mente tua. Hoc est primum, et magnum man-

[1] Luc. xii, 47, 48. — [2] Psal. xlix, 21.

» datum. Secundum autem simile illud est : Diliges proximum tuum sicut te ipsum [1]. » Ipse igitur Dominus in ordinem sua distribuit mandata. Primum quidem et maximum mandatum ad Dei dilectionem spectare pronuntiavit : illud vero quod pertinet ad proximi dilectionem, primo illi simile, seu potius quod expleat primum, et ab eo dependeat, secundum ordine posuit. Quamobrem ex dictis, et ex aliis similibus, quæ in divinis Scripturis proferuntur, ordo ac series omnium Domini mandatorum deprehendi ac intelligi potest.

INTERROGATIO II.

De charitate adversus Deum, et quod propensio et vis secundum naturam insint hominibus ad exequenda Domini præcepta.

Itaque de Dei dilectione primum ad nos loquere. Nam audivimus quidem Deum esse diligendum, sed quomodo id recte fieri possit, discere exoptamus.

Responsio.

I. Sane Dei dilectio non in doctrinæ præceptis posita est. Neque enim ab alio didicimus luce gaudere, et vitam desiderare, neque parentes diligere, aut nutritores. Sic igitur, aut etiam multo magis, non in externa disciplina situs est Dei amor : sed simul atque constitit animal illud (hominem dico) vis quædam rationis in seminis modum insita nobis fuit, quæ intra se amandi facultatem atque

[1] Matth. xxii, 36-39,

necessitudinem continet. Quam vim ubi schola divinorum præceptorum excepit, eam excolere diligenter, et scite nutrire, atque Deo juvante ad perfectionem perducere consuevit. Quamobrem et nos studium vestrum tanquam scopo attingendo necessarium comprobantes, Deo largiente, vobisque per preces vestras nos adjuvantibus, scintillam divini amoris intra vos reconditam pro data nobis a Spiritu sancto facultate, suscitare conabimur. Sciendum autem est hanc unam quidem virtutem esse, sed tamen ejus vi et efficacia mandatum quodvis perfici ac comprehendi. « Qui enim diligit me, inquit Dominus, mandata mea » servabit[1]. » Et rursus : « In his duobus mandatis universa » lex et Prophetæ pendent[2]. » Nunc autem accuratum sermonem instruere non aggrediemur, cum ita imprudentes omnem sermonem ad mandata spectantem in parte concluderemus, sed pro modulo nostro, et quantum proposito præsenti convenit, vos de ea, quam Deo debemus, charitate commonebimus : si prius illud dixerimus, nos omnium mandatorum, quæ a Deo nobis tradita sunt, conficiendorum vim et facultatem ab eo in antecessum accepisse, ut neque ægre feramus, perinde quasi insolens aliquid a nobis exigatur, neque efferamur, tanquam qui aliquid amplius quam quod datum est, rependamus. Et cum his viribus recte et apte utimur, vitam virtutibus ornatam pie traducimus : corrupto vero illarum usu, in vitium delabimur. Atque hæc est vitii definitio, facultatum quæ ad bonum perficiendum nobis a Deo datæ sunt, usus malus, et a Domini præceptis alienus quemadmodum contra virtutis, quam Deus requirit, usus earumdem, ex bona conscientia proficiscens secundum Domini mandatum. Quod cum ita sit, idem de charitate dicturi sumus. Cum igitur de diligendo Deo mandatum acceperimus, statim a prima nostra

[1] Joan. XIV, 23. — [2] Matth. XXII, 40.

constitutione insitam possedimus diligendi vim ac facultatem : neque ejus rei demonstratio ab externis argumentis petitur, sed quivis ipse a seipso et in seipso illud ediscere potest. Quippe bonas res ac pulchras naturaliter appetimus, quanquam ut primum aliud alii videtur pulchrum et bonum ; itemque necessitudine et propinquitate conjunctum amamus licet indocti, et nostra sponte beneficos omni benevolentia complectimur. Ecquid, quæso, divina pulchritudine admirabilius ? Quæ cogitatio magnificentia Dei gratior est et suavior ? Quale animi desiderium tam vehemens est et violentum, quam illud quod a Deo ingeneratur animæ vitio omni purgatæ, et dicenti ex vero affectu : « Vulnerata charitatis ego sum [1] ? » Ineffabiles omnino sunt et inenarrabiles divinæ pulchritudinis fulgores : non eas detegit oratio, non excipit auris. Etsi luciferi splendores dixeris, et lunæ claritatem, et solis lumen, omnia præ illius gloria vilia sunt et obscura, atque cum vera luce comparata magis distant ab illa, quam profunda tristisque ac illunis nox a clarissima meridie dissidet. Pulchritudo hæc carneis quidem oculis conspici non potest, sed a sola anima ac mente apprehenditur. Ea si quando quempiam Sanctorum illustravit, statim intolerandum in ipsis reliquit desiderii stimulum : quippe qui præsentis vitæ pertæsi dicebant : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est [2]. » Quando veniam et apparebo ante faciem Dei [3] ? » Item illud, « Dissolvi et esse cum Christo multo longeque melius [4]. » Illud quoque : « Sitivit anima mea ad Deum fortem » vivum [5]. » Et, « Nunc dimittis servum tuum, Domine [6]. » Cum enim hanc vitam veluti carcerem ægre ferrent, ita demum eorum impetus contineri vix poterat, quorum scilicet animas divinum desiderium attigisset. Qui cum inex-

[1] Cant. II, 5. — [2] Psal. CXIX, 5. — [3] Id. XLI, 3. — [4] Philip. I, 23. — [5] Psal. XLI, 3. — [6] Luc. II, 29.

plebili contemplandæ divinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud precabantur, ut contemplatio jucunditatis Domini ad æternam omnem vitam sese extenderet. Sic igitur concupiscunt naturaliter homines res bonas ac honestas. Quod autem proprie pulchrum est et amabile, bonum est. Jam vero bonus est Deus : bonum autem appetunt omnia : Deum igitur appetunt.

II. Quare quidquid voluntate nostra recte perficitur, inest nobis etiam naturaliter, si saltem cogitationes nostras non perverterit nequitia. Itaque Dei amor ceu necessarium debitum a nobis reposcitur, cujus privatio animæ est malorum omnium gravissimum. Nam abalienatio et aversio a Deo, malum est futuris etiam gehennæ suppliciis intolerabilius, eique, cui contingit, gravius, non secus ac oculo luminis privatio, etiamsi dolor non adsit, et animali, ademptio vitæ. Quod si liberi amant naturaliter parentes, declaret autem hoc et brutorum animalium habitus, et hominum in prima ætate erga matres affectus, non videamur rationis magis expertes quam parvuli, neque bestiis agrestiores, quasi sine ullo amore erga Conditorem nostrum, et ab ipso abalienati : quem etiamsi ex ejus bonitate non nosceremus qualis sit, tamen ob id solum quod ab eo conditi sumus, diligere et amare quam maxime deberemus, perpetuoque de ejus memoria non aliter pendere, quam de matrum suarum ulnis pueruli soleant. Inter eos autem, qui naturæ ductu diliguntur, primas tenet qui bene de nobis meritus est. Atque hæc affectio non hominum modo propria est, sed eis etiam cum omnibus fere animantibus communis est, ut videlicet boni cujusvis accepti auctores benevolentia prosequantur. « Cognovit, inquit, bos possessorem, et asinus præsepe Domini sui[1]. » Absit autem ut de nobis dicantur quæ sequuntur : Nimi-

[1] Isaï. I, 3.

rum, « Israël autem me non cognovit, et populus me non » intellexit [1]. » Nam de cane compluribusque ejusmodi aliis animalibus, quid attinet dicere quantam ostendant suis nutritoribus benevolentiam? Quod si erga eos, qui de nobis bene meriti sunt, benevolentiam amoremque naturalem habemus, nullumque non subimus laborem, ut beneficia prius in nos collata remuneremur, quisnam sermo Dei dona pro merito explicare possit? Tanta quidem est horum multitudo, ut etiam numerum effugiant : item magnitudine tanta sunt et talia, ut vel unicum satis ad id sit, ut omnimodam Largitori gratiam rependere debeamus. Alia igitur omittam, quæ tametsi per se ipsa excellunt magnitudine et dignitate, tamen a majoribus non secus obscurata quam stellæ a solis radiis, per se in dignitate obscuriora et tenuiora apparent. Nec enim vacat, beneficiis præstantioribus prætermissis, ex minoribus benefici Dei bonitatem admetiri.

III. Sileantur igitur solis ortus, lunæ conversiones, temperies aëris, vicissitudines temporum, aquæ ex nubibus lapsæ, aliæ e terra erumpentes, mare ipsum, tota terra, quæ ex terra nascuntur, quæ in aquis degunt, genera in aëre versantia, innumeræ animalium differentiæ, omnia denique quæ destinantur ad vitæ nostræ ministerium. Sed ne volentes quidem illud præterire possumus, nec fieri potest ullo modo, ut is certe, qui sana mente præditus est et rationis compos, id beneficii taceat, quanquam multo minus de eo pro merito aliquid dici possit, quod cum hominem condidisset ad imaginem et similitudinem suam, eumque cohonestasset sui ipsius cognitione, et ratione exornasset præ cæteris animantibus ipsique dedisset facultatem ut se incredibili paradisi pulchritudine oblectaret, ac tandem illum constituisset omnium terrestrium princi-

[1] Isaï. 1, 3.

pem, deinde a serpente deceptum, et collapsum in peccatum, et per peccatum in mortem, et in ærumnas ea dignas, non propterea tamen ipsum neglexit : sed lege, quæ ei adjumento esset, primum tradita, custodiæ ejus et curæ præfecit Angelos, misit Prophetas ad redarguenda vitia et ad virtutem docendam, impetum nequitiæ per minas excidit et repressit, pollicitationibus excitavit bonorum alacritatem, utriusque generis finem non raro in diversis personis ad alios commonendos in antecessum declaravit, et tamen post hæc et talia, nos in contumacia perseverantes non est aversatus. Non enim nos deseruit bonitas Domini, neque per stupiditatem, qua delatos ab ipso honores habebamus despicatui, abolevimus ejus in nos amorem, etiamsi in benefacientem contumeliosi essemus : imo vero revocati sumus a morte, et vitæ rursus ab ipso Domino nostro Jesu Christo restituti. Qua in re etiam beneficentiæ ratio majorem movet admirationem. « Cum enim » in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se » æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi » accipiens [1]. »

IV. Atque etiam infirmitates nostras suscepit, portavit languores, pro nobis vulneratus est [2], ut nos livore ejus sanaremur : item redemit a maledicto, facto pro nobis maledictum [3], mortemque pertulit ignominiosissimam, ut nos ad gloriosam vitam reduceret. Nec satis habuit mortuos duntaxat ad vitam revocare, verumetiam largitus est Divinitatis suæ dignitatem, atque æternam requiem humanum omne cogitatum lætitiæ magnitudine superantem præparavit. « Quid igitur retribuemus Domino pro omnibus quæ » retribuit nobis [4] ? » Est autem adeo bonus, ut neque remunerationem exigat, sed sat habet, si solum pro iis quæ tri-

[1] Philip. II, 6, 7. — [2] Isaï. LIII, 2-5. — [3] Gal. III, 13. — [4] Psal. CXV, 12.

buit, diligatur. Quæ omnia ubi mente recolo, ut meum affectum prodam, in horrorem quemdam et terrificum stuporem incido, nequando ab animi inconsiderantiam, aut propter meam circa res vanas occupationem a Dei dilectione excidens, Christo sim dedecori ac opprobrio. Qui enim nunc decipit nos, et per mundanas illecebras nos omni arte in benefici Largitoris oblivionem inducere conatur, is in animarum nostrarum perniciem nobis insultans, et in nos invadens, tunc coram Domino contemptum nostrum probro vertet, atque de contumacia et de defectione nostra gloriabitur: qui cum nec creaverit nos, nec pro nobis subierit mortem, tamen suæ contumaciæ, suæque in observandis Dei mandatis negligentiæ socios nos ac comites habuerit. Illud quod Domino inferetur probrum, et illa adversarii jactantia mihi supliciis gehennæ gravior videtur, quod Christi inimico præbeamus materiam adversus eum, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, jactandi se et efferendi: cui tamen ea de causa, sicut scriptum est, majorem gratiam debemus. Sed hactenus de dilectione Dei. Neque enim fuit animus, uti jam dixi, omnia dicere, nec enim fieri potest: sed summatim parvum monumentum, quo divinum desiderium semper excitetur, animo vestro relinquere.

INTERROGATIO III.

De charitate erga proximum.

Sane consequens jam fuerit, ut de mandato et ordine et vi secundo disseratur.

Responsio.

I. Superius quidem diximus legem earum, quæ nobis seminis in modum insitæ fuerunt facultatum cultricem esse et altricem. Verum quoniam proximum juxta ac nosmetipsos diligere jussi sumus, consideremus num etiam a Deo hujusce mandati conficiendi facultatem acceperimus. Quis, quæso, ignorat hominem animal esse mansuetum et sociabile, non autem solitarium et ferum? Nihil enim tam proprium est nostræ naturæ, quam ut mutuo consociemur, et alii aliorum indigeamus, eosque qui ejusdem sunt generis diligamus. Quorum igitur semina Dominus ipse prius nobis contulit, eorum etiam fructus postea reposcit, dicens: «Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem[1].» Cum autem ad exequendum illud mandatum animum nostrum excitare vellet, Discipulorum suorum characterem et notam non in prodigiis et miraculis inauditis constituit, quanquam horum patrandorum eis vim et potestatem per Spiritum sanctum largitus fuisset: sed quid dicit? «In hoc » cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, si dilectionem » habueritis ad invicem[2].» Et sic ubique connectit hæc præcepta, ut beneficia in proximum collata in seipsum trans-

[1] Joan. XIII, 34. — [2] Ibid. 35.

ferat. « Esurivi enim, inquit, et dedistis mihi manducare [1], » etc. » Deinde subjungit : « Quatenus fecistis uni ex his » fratribus meis minimis, mihi fecistis [2]. »

II. Itaque per primum licet secundum etiam exequi, ac rursus per secundum reverti ad primum, et qui Dominum amat, consequens est ut proximum quoque diligat. « Qui » enim diligit me, inquit Dominus, mandata mea serva- » bit [3]. » Ait autem : « Hoc est præceptum meum, ut dili- » gatis invicem, sicut ego dilexi vos [4]. » Ac rursus qui amat proximum, ei ipsi, quæ Deo debetur, charitati satisfacit, cum ipse recipiat in se hanc beneficentiam. Quapropter fidelis Dei servus Moses tantum erga fratres ostendit amorem, ut etiam ex Dei libro, in quo fuerat inscriptus, deleri voluerit [5], si peccati venia populo non concederetur. Paulus vero pro fratribus suis cognatis secundum carnem anathema esse a Christo optare ausus fuit [6] : quippe qui Domini exemplo fieri se salutis omnium pretium cuperet, simulque nosset fieri non posse, ut a Deo abalienaretur qui ob ejus amorem gratiam Dei abjecisset servandi maximi mandati causa, imo ob id multo plura quam quæ dedisset recepturum esse. Cæterum ad hanc usque mensuram pervenisse Sanctorum erga proximum charitatem, ex dictis abunde demonstratum est.

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Ibid. 40. — [3] Joan. xiv, 23. — [4] Id. xv, 12. — [5] Exod. xxxii, 32. — [6] Rom. ix, 3.

INTERROGATIO IV.

De timore Dei.

RESPONSIO.

ATQUE iis quidem, qui recens introducuntur ad pietatem, institutio ea, quæ fit per timorem, utilior est, sapientissimo Salomone admonente ac dicente : « Principium sa»pientiæ timor Domini[1] : » sed vobis veluti jam ex Christi infantia egressis, nec amplius lacte indigentibus, sed qui solido dogmatum alimento secundum internum hominem ad perfectionem deduci potestis, præceptis sublimioribus opus est, in quibus tota ejus quæ in Christo est dilectionis veritas perficitur. Nimirum cavendum est vobis, ne forte uberiora Dei dona graviori multæ obnoxios vos reddant, si in beneficum Largitorem ingrati extiteritis. « Cui »enim, inquit, commendaverunt multum, plus repetent »ab eo[2]. »

INTERROGATIO V.

De cavenda mentis evagatione.

RESPONSIO.

I. ILLUD certe sciendum est, nos non posse aliud quodvis mandatum servare, neque Deum aut proximum dili

[1] Prov. I, 7, Psal. CX, 10, et Eccli. I, 16. — [2] Luc. XII, 48.

gere, si huc et illuc mente divagemur. Neque enim artem aut scientiam probe callere potest, qui ab alia ad aliam transit : neque unam etiam comparare, qui ea, quæ propria finis sunt, ignorat. Par namque est actiones ad scopum et finem quadrare : siquidem nihil quod rectum sit, via inepta et incongruenti peragitur. Nam neque artis ærariæ finis per figlinæ opera acquiri solet : neque per sedulum tibiæ cantum parantur athleticæ coronæ, sed unicuique fini peculiaris ac idoneus labor requiritur. Quare exercitatio etiam quæ fit juxta Christi Evangelium ad placendum Deo, in eo posita est, si curis mundi amandatis, omnem mentis avocationem propellamus. Quamobrem Apostolus, etsi alioquin permissæ sint nuptiæ, fuerintque habitæ benedictione dignæ, tamen eas, quæ ex his nascuntur, occupationes curis pro Deo gerendis opposuit, perinde quasi hæc inter se cohærere non possent, his verbis : « Qui sine » uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo pla» citurus sit Deo : qui autem cum uxore est, sollicitus est » quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori[1]. » Ita et Dominus suis Discipulis animo sincero et ab omni aberratione vacuo præditis testimonium reddidit, dicens : « Vos » de mundo hec non estis[2]. » Et contra, fieri non posse testatus est, ut mundus reciperet Dei cognitionem, et Spiritum sanctum caperet. « Pater enim juste, inquit, etiam » mundus te non cognovit[3]. » Et, « Spiritus veritatis, quem » mundus non potest accipere[4]. »

II. Quisquis igitur vere Deum sequi vult, vinculis affectionum vitæ hujus solvatur necesse est : quod per integrum secessum morumque veterum oblivionem perficitur. Quare nisi nos ipsi et a cognatione carnali et a societate vitæ removerimus, veluti ad alterum mundum per animi

[1] 1 Cor. VII, 32, 33. — [2] Joan. XV, 19. — [3] Id. XVII, 25. — [4] Id. XIV, 17.

habitudinem transmigrantes juxta eum qui dixit : « Nostra » enim conversatio in cœlis est[1], » scopum nostrum attingere non possumus, Deo videlicet ut placeamus, cum Dominus verbis decretoriis dixerit : « Sic omnis ex vobis qui » non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus » esse Discipulus[2]. » His autem peractis, cor nostrum omni custodia servandum est[3], ne unquam amittatur Dei cogitatio, neve rerum mirabilium ab eo gestarum memoria vanis phantasmatibus coinquinetur : sed circumferenda est sancta Dei cogitatio, sic ut quasi sigillum indelebile ex perpetua et pura recordatione in animis nostris imprimatur. Ita enim a nobis comparatur Dei dilectio, quæ simul excitat ad conficienda Dei mandata, et ipsa ab ipsis vicissim perpetuo et constanter servatur. Atque hoc Dominus ostendit, qui nunc quidem ait : « Si diligitis me, mandata mea » servate[4] : » nunc vero, « Si præcepta mea servaveritis, » manebitis in dilectione mea[5]. » Et, quod efficacius etiam possit commovere : « Sicut et ego Patris mei præcepta ser» vavi, et maneo in ejus dilectione[6]. »

III. Quibus illud nos docet semper in opere, quod faciendum constituerimus, præcipientis voluntatem tanquam scopum nobis proponere debere, ad eumque studium nostrum dirigere, uti etiam alio loco dicit : « Descendi de cœ» lo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus » qui misit me, Patris[7]. » Ut enim artes, quæ ad parandum victum excogitatæ sunt, ubi proposuerint sibi scopos quosdam peculiares, congruenter illis convenienterque singula opera sua accommodant : ita etiam cum opera nostra finem unum ac regulam habeant, nimirum ut mandata modis Deo acceptis exequamur, opus accurate peragi aliter non potest nisi ad jubentis voluntatem efficiatur. Futurum

[1] Philip. III, 20. — [2] Luc. XIV, 33. — [3] Prov. IV, 23. — [4] Joan. XIV, 15. — [5] Id. XV, 10. — [6] Ibid. — [7] Id. VI, 38.

est autem ut, si in quovis opere diligens studium ad voluntatem Dei faciendam conferamus, Deo per hanc recordationem conjungamur. Quemadmodum enim faber ferrarius, cum securim, exempli causa, cudit, ejus, qui id sibi operis locavit, memor est, ipsumque fert in animo, ac formam hanc, quæ sibi ab eo præscripta est, et magnitudinem attendit, atque suum opus ad voluntatem ejus, qui illud injunxit, dirigit; (si enim hunc ceperit oblivio, aut quidpiam aliud, aut longe dissimile efficiet ejus, quod facere instituerat :) ita et Christianus omni actione tum parva tum magna ad Dei voluntatem directa, simul et opus suum diligenter conficit, et memoriam præcipientis servat, ac implet quod dictum est : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear [1]. » Quin et perficit præceptum illud : « Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam » Dei facite [2]. » Si quis autem agendo depravat præcepti integritatem, eum sanguine Dei meminisse planum est. Memores igitur vocis illius qui dixit : « Nonne cœlum et terram » ego impleo, dicit Dominus [3]? » et, « Deus appropinquans » ego sum, et non Deus de longe [4]? » et, « Ubi sunt duo vel » tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum [5], » omnia facere debemus, ut fieri decet quæ in oculis Domini efficiuntur, et omnia cogitare, ut cogitari decet quæ ab ipso cernuntur. Sic enim et perpetuus futurus est timor odio habens iniquitatem [6], sicut scriptum est, et contumeliam, et superbiam, et vias malorum, atque charitas perficitur, impletque quod dictum fuit a Domino : « Non quæro » voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, » Patris [7], » cum anima continuo sibi plane persuadeat et bonas actiones judici et vitæ nostræ arbitro acceptas esse,

[1] Psal. xv, 8. — [2] 1 Cor. x, 31. — [3] Jer. xxiii, 24. — [4] Ibid. 23. — [5] Matth. xviii, 20. — [6] Psal. cxviii, 163. — [7] Joan. v, 30.

et malas ab eo condemnari. Puto autem una cum hoc etiam illud contingere, ut ne ipsa quidem Domini mandata conficiantur ad captandam hominum benevolentiam. Nemo est enim qui se ad inferiorem convertat, si persuasum habeat adesse præstantiorem. Quin potius si contigerit, ut quæ fiunt cuipiam homini clariori et illustriori grata sint et accepta, alteri vero viliori invisa et reprehensione digna videantur; contempta hac inferioris reprehensione, pluris facit præstantioris approbationem. Quod si inter homines res ita se habeant, quænam, quæso, anima vere prudens et sana, quæ Deum præsentem esse sibi penitus persuaserit, iis omissis, quibus Deo placere possit, modo se ad aucupandam humanam gloriam conversura est, modo vero neglectis Dei mandatis, inserviet humanæ consuetudini, aut a communi et anticipata opinione vincetur, aut flectetur a dignitatibus? Sic erat animatus qui dixit : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine[1]. » Et rursus, « Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar[2]. »

INTERROGATIO VI.

Quod necesse sit in secessu vitam degere.

RESPONSIO.

I. ATQUE etiam ad cavendam mentis evagationem conducit remota ac solitaria habitatio. Vitam siquidem, quæ promiscue agitur cum iis, qui secure perfectam præceptorum observationem contemnunt, perniciosam esse ac exi-

[1] Psal. CXVIII, 85. — [2] Ibid. 46.

tiosam ipse etiam Salomon ostendit, qui nos ita docet : « Noli esse sodalis viro furioso, neque una cum amico ira- » cundo habites : ne forte discas vias ejus, et sumas laqueos » animæ tuæ [1]. » Et illud : « Exite de medio eorum, et se- » paramini, dicit Dominus [2], » eodem pertinet. Ne igitur per oculos auresve subeant peccati irritamenta, eique imprudentes assuescamus : neve rerum, quas viderimus et audierimus, quasi formæ quædam ac imagines, in anima permaneant ad exitium interitumque nostrum ; et ut in precatione insistere possimus, primum habitatio eligatur solitaria et ab hominum consortio remota. Sic enim licebit et priores mores vincere, per quos vitam egimus a Christi præceptis alienam (non mediocre autem est hoc certamen, suam ipsius consuetudinem superare. Nam consuetudo per longum tempus corroborata, naturæ vim ac robur obtinet) et poterimus quoque peccati maculas abstergere, tum diligenti precatione, tum meditatione assidua voluntatum Dei : cui meditationi precationique inter multa animum distrahentia, quæ illum in vitæ hujus negotiis occupatum tenent, vacare non possumus. Et illud : « Si quis vult post me » venire, abneget semetipsum [3], » quis unquam inter hos degens explere poterit ? Nos enim oportet, si nosmetipsos abnegemus, et crucem Christi tollamus, sic ipsum sequi. Abnegare autem semetipsum, est præteritorum prorsus oblivisci, atque a voluntatibus suis secedere : quem secessum in promiscua hominum consuetudine servare difficillimum fuerit, ne dicam viribus omnino impar. Atque etiam ne quis tollat crucem suam, Christumque sequatur, impedimento est ejusmodi vitæ societas. Nam præparare se ad mortem pro Christo perferendam, mortificare membra quæ sunt super terram, accingi quasi in instructa acie ad periculum omne subeundum, quod nobis pro Christi no-

[1] Prov. XXII, 24, 25. — [2] 2 Cor. VI, 17. — [3] Luc. IX, 23.

mine impendeat, vitaque præsenti non affici, hoc est, crucem suam tollere : ad quod magna nobis impedimenta a communi vitæ consuetudine accedere videmus.

II. Et præter alia omnia quæ multa sunt, respiciens animus in delinquentium multitudinem, primum quidem non habet spatium peccata sua sentiendi, seque ob delicta conterendi per pœnitentiam; imo deterioribus secum collatis, etiam quamdam sibi vindicat virtutis speciem : deinde præ tumultibus et negotiis, quæ vita communis parere solet, a pretiosissima Dei memoria abstractus, non id duntaxat detrimenti accipit ut nec gaudeat, nec delectetur in Deo, nec perfruatur Domini deliciis, nec verborum ejus dulcedinem degustet, ita ut dicere queat : « Memor fui Dei, et » delectatus sum [1]. » Et, « Quam dulcia faucibus meis elo- » quia tua, super mel ori meo [2], » sed etiam judicia ipsius aspernari ac prorsus oblivisci assuescit, quo nullum majus aut perniciosius malum ei accidere potest.

INTERROGATIO VII.

Quod vita agenda sit cum iis, qui eodem animo impulsi, Deo placere sibi proponunt : et quod difficile simulque periculosum sit, solitarium vivere.

Quoniam igitur ex verbis tuis nobis persuasissimum est vitam, quæ degitur cum iis qui Domini præcepta contemnunt, periculosam esse, ex ordine discere volumus, num qui secessit a talibus, debeat privatim et seorsum a cæteris degere, an cum fratribus concordibus, et qui eumdem pietatis scopum sibi constituerint, vitam ducere.

[1] Psal. LXVI, 4. — [2] Id. CXVIII, 103.

Responsio.

I. Vitam, quæ simul cum pluribus agitur, ad multa utiliorem esse scio. Ac primum quidem, quod nemo nostrum sit, qui sibi ipsi sufficiat ad sublevandas corporis necessitates, sed in comparandis rebus necessariis alter alterius opera indigeamus. Quemadmodum enim pes aliam quidem obtinet facultatem, alia vero caret, et neque sine reliquorum membrorum auxilio suam ipsius vim reperit idoneam, aut perseveranter sibi ipsi sufficientem, neque in se subsidia habet, quæ quod sibi deest, suppleant : ita quoque in solitaria vita, et quod adest nobis, inutile redditur, et quod deest, comparari non potest : siquidem opifex Deus nos alterum alterius ope egere decrevit, sicut scriptum est, ut sic inter nos conjungamur[1]. Sed præterea diligendi Christi ratio et modus unumquemque quod proprium sibi fuerit, spectare non sinit; « Charitas enim, inquit, non quærit quæ » sua sunt[2]. » Vita autem solitaria et seorsum a cæteris omnibus acta scopum unicum habet, ut suis quisque utilitatibus inserviat. Hoc autem aperte adversatur charitatis legi, quam implevit Apostolus, qui non sua, sed multorum commoda quærebat, ut salvi fierent. Ad hæc in hujusmodi secessu unusquisque ne delictum quidem suum facile cognoscet, cum non habeat a quo redarguatur, et mansuete ac clementer corrigatur. Reprehensio enim, quæ ab inimico etiam fit, sæpe in viro probo et æquo sanitatis quærendæ desiderium parit : peccatum vero ab eo qui sincere diligit, scienter curatur; « Qui enim, inquit, diligit, diligenter erudit[3]. » Talem autem in solitudine reperire difficillimum est, si prius in vitæ societatem adjunctus non fuerit. Quare accidit ei quod dictum est : « Væ uni, quia si ceciderit,

[1] Eccli. XIII, 20. — [2] 1 Cor. XIII, 5. — [3] Prov. XIII, 24.

» non est qui erigat eum [1]. » Ad hæc præcepta plura a pluribus simul congregatis facile perficiuntur, ab uno non item : quandoquidem dum unum fit, impeditur alterum. Exempli causa, infirmi visitatio facit, ut hospes non excipiatur, et rerum ad vitam necessariarum largitio et distributio (maxime quando in his ministeriis multum insumendum est temporis) in causa est cur ad facienda opera studium conferri non possit, sic ut deseratur mandatum maximum, et maxime saluti conducibile : siquidem neque nutritur qui esurit, neque amicitur qui nudus est. Quis igitur inertem et infructuosam vitam ei, quæ fructuosa sit et Domini præcepto consentanea, velit anteponere?

II. Quod si etiam omnes, qui fuimus in una vocationis spe assumpti, unum corpus sumus, ac caput Christum habemus, sumusque singuli alii aliorum membra, nisi per concordiam in sancto Spiritu coagmentemur in unius corporis compagem, contra, si quisque nostrum eligat vitam solitariam, neque in rebus dispensandis communi utilitati, ut Deo acceptus sit, inserviat, sed illi suæ cupiditati in qua sibi placet, obsequatur : qui fieri poterit, ut divisi ac disjuncti mutuam membrorum inter se habitudinem, obsequiaque et obedientiam nostro capiti, qui Christus est, servemus ac tueamur. Neque enim possumus, si vitæ genere separemur, una cum eo, qui gloria afficitur, gaudere : neque cum eo, qui patitur, simul pati, cum unusquisque non valeat, ut credibile est, proximi statum cognoscere. Ad hæc cum nemo unus idoneus sit, qui dona spiritualia omnia suscipiat, sed juxta rationem fidei [2], quæ est in unquoque, detur Spiritus, in vitæ societate proprium cujusque donum fit contubernalium commune. « Alteri enim datur sermo sapientiæ, alteri vero sermo » scientiæ, alteri fides, alii prophetia, alii dona sanatio-

[1] Eccl. IV, 10, — [2] Rom. XII, 6;

» num [1], etc. » quæ singula qui accipit, is ipsa non sua magis quam aliorum causa habet. Quare in vitæ communitate, Spiritus sancti vis et efficacia uni tributa simul ad omnes transeat necesse est. Qui igitur vivit ab omni hominum cœtu sejunctus, fortasse unum donum habet : sed cum illud in seipso defossum detineat, ipsum per inertiam inutile reddit : quod quanti sit periculi nostis quotquot legistis Evangelia. Contra, in plurium contubernio et suo quisque dono fruitur, ipsumque multiplicat communicando, et ex alienis tanquam ex suis fructum capit.

III. Prætereaque plura commoda, quæ enumerare omnia non facile sit, complectitur vitæ societas : siquidem et ad bona, quæ a Deo nobis data sunt conservanda, utilior est quam solitudo, et ad cavendas externas inimici insidias tutior est expergefactio illa, quæ a vigilantibus fit, si quando contingat, ut unus aliquis obdormiscat eo mortis somno, quem ut deprecaremur a nobis, docuit nos David his verbis : « Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in » morte [2] : » et peccanti, si condemnationem concorditer a pluribus prolatam vereatur, facilius est secedere a peccato, sic ut convenire possit in eum illud, « Sufficit illi qui » ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus [3] : » et ei qui recte agit, satis est magna illa ac firma persuasio, quæ sibi multis approbantibus, atque operi assentientibus, innascitur. Si enim in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum [4], profecto qui bonum opus peregerit cum plurium testimonio, longe solidius firmabitur. Cæterum pericula præter ea, quæ diximus, vitam solitariam comitantur. Primum quidem et maximum in eo situm est quod sibi quisque placet. Cum enim neminem habeat qui ipsius opus probare possit, ad præcepti perfectionem jam per-

1 Cor. XII, 8-10. — [2] Psal. XII, 4. — [3] 2 Cor. II, 6. — [4] Matth. XVIII, 16.

venisse se arbitrabitur : deinde animi habitudinem semper inexercitam includens, neque vitia sua, neque profectum, quem in quibusvis operibus fecerit, cognoscit, cum materia omnis et occasio mandatorum conficiendorum resecetur.

IV. In quo enim humilitatem ostendet, qui neminem habet, quo seipsum declaret humiliorem? In quo commiserationem, amputata et abscissa plurium societate? Quomodo autem exercebit se ad patientiam, nemine voluntatibus ipsius obsistente? Quod si quispiam dicat Scripturarum doctrinam satis sibi esse ad mores emendandos, perinde facit atque is, qui discit quidem ædificare, nec unquam tamen ædificat, aut eodem modo atque is, qui edoctus est artem ærariam, sed qui data sibi documenta ad actum redigere non vult. Ad quem Apostolus possit dicere : « Non » auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis » justificabuntur [1]. » Ecce enim Dominus ob benignitatis suæ magnitudinem non sola doctrina, quæ in verbis sita est, contentus fuit : sed ut expresse evidenterque in dilectionis perfectione nobis traderet humilitatis exemplum, cinxit se ipse, et Discipulorum pedes lavit. Quem igitur tu lavabis? In quem officiosus eris? Præ quo futurus es ultimus, si ipse tecum solus degas? Bonum autem et jucundum illud, fratrum videlicet eodem in loco habitatio, quam unguento odorem ex summi pontificis capite emittenti Spiritus sanctus comparat [2], qua tandem ratione in solitaria habitatione implebitur? Itaque certaminis stadium, et expedita proficiendi via, et perpetuum exercitium, et mandatorum Domini meditatio, fratrum est eodem in loco habitatio : quæ et pro scopo habet Dei gloriam ex præcepto Domini nostri Jesu Christi, qui dixit : « Sic » luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra

[1] Rom. II, 13. — [2] Psal. CXXXII per totum.

» bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est [1], » et ritum ac formam Sanctorum servat, quorum fit in Actis mentio, et de quibus scriptum est: « Omnes autem, qui cre- » debant, erant simul in eodem loco, et habebant omnia » communia [2]. » Et rursus : « Multitudinis autem credentium » erat cor unum, et anima una : nec quisquam, eorum quæ » possidebat aliquid suum esse dicebat ; sed erant illis om- » nia communia [3]. »

INTERROGATIO VIII.

De renuntiatione.

Num oporteat primum renuntiare omnibus, et ita demum ad vitæ genus quod secundum Deum sit, accedere.

Responsio.

I. Cum Dominus noster Jesus Christus post documenta multa, eaque ex multis operibus valide comprobata, dicat omnibus : « Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et » tollat crucem suam, et sequatur me [4]. » Et iterum : « Sic » ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ pos- » sidet, non potest meus esse Discipulus [5], » arbitramur hoc præceptum ad plura, a quibus abalienare oportet, pertinere. Nam et diabolo ante omnia et carnis affectibus renuntiamus, qui nuntium remisimus occultis turpitudinibus, cognationibus corporeis, hominum amicitiis et vitæ consuetudini, quæ integritati Evangelii salutis adversetur. Et

[1] Matth. v, 16. — [2] Act. ii, 44. — [3] Id. iv, 32. — [4] Matth. xvi, 24. — [5] Luc. xiv, 33.

quod his magis necessarium est, sibi ipse renuntiat qui exuit veterem hominem cum actibus ipsius[1], qui corrumpitur secundum desideria erroris[2]. Ac etiam renuntiat omnibus mundanis affectibus, qui pietatis scopo impedimento esse possunt. Itaque qui ejusmodi est veros parentes eos esse existimabit, qui ipsum in Christo Jesu per Evangelium genuerint : fratres vero eos, qui acceperint eumdem adoptionis spiritum, prætereaque omnibus divitiis tanquam rebus alienis, ut reipsa sunt, intendet. Uno verbo, is cui propter Christum mundus totus crucifixus est, et ipse mundo, quomodo adhuc potest curarum mundanarum particeps esse, cum Dominus noster Jesus Christus et animæ odium et sui ipsius abnegationem ad summum perducat his verbis : « Si quis vult post me venire, abneget se» metipsum, et tollat crucem suam : » tumque subjungit, « Et sequatur me[3]. » Et rursus : « Si quis venit ad me, et » non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, » et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non » potest meus esse Discipulus[4]. » Quamobrem in eo sita est perfecta renuntiatio, si quem nec ipsius vitæ amor moveat, sed habeat sententiam mortis, sic ut nihil sibi confidat[5]. Inde autem initium sumit, si videlicet alienemur a rebus externis, exempli causa, a possessionibus, ab inani gloria, a vitæ consuetudine, a rerum inutilium studio, uti docuerunt nos sancti Domini Discipuli, Jacobus et Joannes, qui patrem suum Zebedæum, ipsumque, a quo tota illorum victus ratio pendebat, navigium reliquere : Matthæus vero, cum ab ipso telonio surrexit, Dominumque secutus est : qui non telonii solum emolumenta reliquit, sed pericula etiam contempsit, quæ a magistratibus tum sibi tum consanguineis suis impendebant, quod vectigalium rationes

[1] Col. III, 9. — [2] Ephes. IV, 22. — [3] Matth. XVI, 24. — [4] Luc. XIV, 26. — [5] 2 Cor. I, 9.

reliquisset infectas. Paulo denique totus etiam mundus crucifixus erat, et ipse mundo.

II. Sic qui vehementer Christum sequi desiderat, nihil, quod ad hanc vitam attineat, curare amplius potest, non ipsum parentum aut propinquorum amorem, si Domini præceptis adversetur. (Tunc enim locum etiam habet illud : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et » matrem [1], » et cætera :) non humanum timorem, ita ut illius causa aliquid utilium subtrahatur : quod præstitere Sancti, qui dicebant : « Obedire oportet Deo magis quam » hominibus [2] : » non hominum profanorum risum, quem bona opera concitarint, sic ut eorum contemptui cedat. Quod si quispiam velit eorum qui Dominum sequuntur, vim ac robur cum desiderio conjunctum, accuratius ac dilucidius cognoscere, meminerit Apostoli, qui ad docendos nos narrat quæ ad se spectabant, ac dicit : « Si quis » videtur confidere in carne, ego magis : circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebræus » ex Hebræis, secundum legem Pharisæus : secundum æmu-» lationem persequens Ecclesiam, secundum justitiam quæ » in lege est, conversatus sine reprehensione : sed quæ mihi » erant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detri-» menta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse » propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri: » propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ster-» cora esse ut Christum lucrifaciam [3]. » Etenim (ut non nihil audacter, at vere tamen eloquar) si Apostolus ipsa legis privilegia, quæ ad tempus tradita erant, comparavit cum spurcissimis corporis sordibus, quas et aversamur, et a nobis citissime removemus, quod videlicet obessent Christi cognitioni, eique, quæ in ipso est, justitiæ, et nostræ ad ipsius mortem conformationi, quid quis dixerit de ho-

[1] Luc. xiv, 26. — [2] Act. v, 29. — [3] Philip. iii, 4-8.

minum institutis? Et quid opus est nostris ratiocinationibus et Sanctorum exemplis confirmare sermonem? cum ipsa liceat afferre Domini verba, iisque timentem animam convincere : quibus hæc aperte ac evidenter testatur, ubi dicit : « Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omni- » bus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus [1]. » Et alibi post illud, « Si vis perfectus esse, » prius dixerat : « Vade, vende quæ habes, et da pauperibus; » tumque subjunxit : « Veni, sequere me [2]. » Atque etiam mercatoris parabola huc spectare cuivis æquo rerum æstimatori videbitur. « Simile est enim, inquit, regnum cœlorum homini » negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem » una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ ha- » buit, et emit eam [3]. » Planum est enim regnum cœleste per pretiosam margaritam adumbrari : quod nos assequi non posse declarant Domini verba, nisi omnia simul quæ habemus, et divitias, et gloriam, et genus, et si quid aliud est, cujus studio desiderioque plerique teneantur, pro eo comparando deseramus.

III. Deinde fieri quoque non posse ut recte agatur quod cupitur studiosius, si mens in varias curas diducta sit, idem Dominus affirmavit, cum dixit : « Nemo potest duobus Do- » minis servire [4]. » Et rursus : « Non potestis Deo servire et » mammonæ [5]. » Quamobrem thesaurus cœlestis a nobis eligendus est solus, ut in eo cor habeamus. « Ubi enim, in- » quit, est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit [6]. » Si igitur nobis ipsis aliquam possessionem terrenam aliquasque opes corruptioni obnoxias servaverimus, necesse est, mente hic quasi in quodam cœno defossa, animam ad Dei contemplationem nunquam pertingere, nec ullo unquam cœlestis pulchritudinis bonorumque nobis promissorum desiderio

[1] Luc. XIV, 33. — [2] Matth. XIX, 21. — [3] Id. XIII, 45, 46. — [4] Id. VI, 24. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 21.

commoveri : quæ adipisci non possumus, nisi assiduum ac vehemens desiderium nos ad ea petenda impellat, suscipiendumque eorum causa laborem levem reddat. Est igitur renuntiatio, ut ex dictis constat, dissolutio simul vinculorum terrenæ hujus ac temporariæ vitæ, et humanorum officiorum liberatio : quæ nos efficit magis idoneos, qui iter ad Deum deducens incœptemus. Est et occasio impedimenti expers, qua obtinetur possessio ususque rerum pretiosarum « Super aurum et lapidem pretiosum multum [1]. » Et, ut in summa dicam, est cordis humani ad cœlestem conversationem translatio, sic ut dicere possimus : « Nostra » enim conversatio in cœlis est [2]. » Et, quod maximum est, similitudinis ejus, quam cum Christo habere debemus, initium est : « Qui propter nos egenus factus est, cum esset » dives [3] : » quam nisi prius consequamur, vivendi rationem Christi Evangelio consentaneam attingere non possumus. Quando enim aut cordis contritio, aut mentis humilitas, aut iræ, tristitiæ, sollicitudinum, et, ne longum faciam, exitiosorum animi motuum liberatio in divitiis hujusque vitæ curis et aliarum rerum affectu atque consuetudine comparari potest ? Uno verbo, cui ne de ipsis quidem rebus necessariis sollicito esse licet veluti victu et vestitu, huic quæso quænam ratio permittet, ut malis divitiarum curis tanquam spinis detineatur : quæ quin jactum ab animarum nostrarum agricola semen ferat fructum, impediunt, Domino nostro dicente : « Hi sunt qui in spinis se» minati fuerunt, qui a curis et divitiis et voluptatibus vitæ » suffocantur, et non referunt fructum [4]. »

[1] Psal. XVIII, 11. — [2] Philip. III, 20. — [3] 2 Cor. VIII, 9. — [4] Luc. VIII, 14.

INTERROGATIO IX.

Qui adjungitur iis, qui Domino consecrantur, debet-ne facultates suas cognatis improbis citra delectum concredere.

RESPONSIO.

I. Cum Dominus dicat : « Vende quæ habes, et da pau»peribus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere »me [1]. » Et iterum : « Vendite quæ possidetis, et date elee»mosynam [2], » puto eum, qui hujusmodi consilio ductus a suis discedit, opes suas non oportere negligere, sed illud curare, ut omnia accurate accepta jam tanquam Domino consecrata cum omni pietate distribuat, aut per seipsum, si potest, eique licet per experientiam, aut per alios, qui multo cum examine delecti sint, quique facto de se periculo, ostenderint se eas fideliter prudenterque dispensare posse, cum scire debeat ipsas non sine periculo aut propinquis relinqui, aut a quovis obvio distribui. Etenim si is, cujus curæ regia bona concredita sunt, etiamsi sæpe nihil ex iis, quæ jam parta fuere, rapuerit, si tamen quæ acquiri poterant, negligentia sua non compararit, a crimine non absolvitur; quodnam judicium censere debemus ferendum ab iis, qui res Domino jam dicatas ignave ac negligenter dispensarint? Nonne negligentium mulctæ futuri sunt obnoxii, uti scriptum est : « Maledictus quisquis facit opera »Domini negligenter [3]. »

II. Ubique autem nobis cavendum est, ne unius mandati obtentu et nomine, alterum dissolvere videamus. Ne

[1] Matth. xix, 21. — [2] Luc. xii, 33. — [3] Jer. xlviii, 10.

que enim pugnare, aut cum iniquis contendere nobis decorum fuerit « (Siquidem servum Domini non oportet » litigare [1]) : » sed qui a carnalibus propinquis iniquius tractatus est, debet meminisse Domini, qui ait : « Nemo » est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut » patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut » agros, » non simpliciter, sed « Propter me et Evangelium, » qui non accipiat centies tantum in tempore hoc, et in » sæculo venturo vitam æternam [2]. » Certe quidem hisce improbis declarari oportet, ipsos sacrilegii scelere obstringi, idque ex præcepto Domini, qui ait : « Si peccaverit frater » tuus, vade, corripe eum [3], etc. » Sed cum ipsis pro tribunali externo litigare vetat pietatis sermo, his verbis : « Ei » qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tol- » lere, dimitte ei et pallium [4]. » Et, « Audet aliquis vestrum » habens negotium adversus alterum, judicari apud ini- » quos, et non apud Sanctos [5] ? » Illos autem coram his in judicium vocemus, majore habita ratione salutis fratris, quam copiæ divitiarum. Postquam enim Dominus dixit : « Si te audierit, » subjunxit : « Lucratus es » non pecunias, sed « Fratrem tuum [6]. » Est tamen cum explanandæ veritatis causa, ipso injuriæ auctore nos non raro ad communium arbitrorum judicium provocante, ad examen devenimus, nequaquam aggressi, sed eos, qui provocaverant, secuti, non nostrum iræ aut contentionis motum in apertum proferentes, sed veritatem declarantes. Sic enim et illum a malis eximemus vel invitum, et ipsi mandata Dei non violabimus, tanquam Dei ministri, non pugnaces, nec avari, constanter veritati patefaciendæ insistentes, et nusquam concessum studii modum excedentes.

[1] 2 Tim. II, 24. — [2] Marc. X, 29, 30. — [3] Matth. XVIII, 15. — [4] Id. V, 40. — [5] 1 Cor. VI, 1. — [6] Matth. XVIII, 15.

INTERROGATIO X.

Num omnes qui accedunt, recipiendi sint, vel quinam : et utrum statim sint admittendi, an cum probatione, et cum quali probatione?

RESPONSIO.

I. CUM benignus Deus, idemque salvator noster Jesus Christus prædicet, ac dicat : « Venite ad me omnes qui » laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos [1], » periculosum est repellere eos, qui nostra opera accedunt ad Dominum, ejusque jugum suave, ac præceptorum onus, quo ad cœlum attollimur, subire volunt. Nec tamen permittendum est, ut ullus, illotis pedibus, ad sancta documenta veniat, sed quemadmodum Dominus noster Jesus Christus adolescentem, qui ad se accesserat, de ejus vita anteacta percontatus est, cumque eam recte fuisse actam comperisset, præterea ut compararet quod ad perfectionem deerat, præcepit, et tunc ei se sequendi copiam fecit : ita profecto et a nobis præterita accedentium vita est expendenda, et iis, qui quid recte jam gesserint, documenta perfectiora tradenda sunt, qui vero vel ex prava vita convertuntur, vel ex indifferenti statu ad perfectam vitam in Dei cognitione sitam transeunt, hos perscrutari par est, nimirum qualibus præditi sint moribus, num instabiles, num ad judicia ferenda proni.

II. Enimvero qui sunt hujusmodi, inconstantiæ sunt suspecti. Hi nempe præterquam quod ipsi nihil utilitatis

[1] Matth. XI, 28.

capiunt, præterea sunt etiam cæteris detrimenti auctores, sparsis in opus nostrum probris, mendaciisque, et blasphemiis. Cum autem cura atque diligentia nihil non corrigatur, vincatque omnigena animæ vitia Dei timor, isti non sunt statim desperandi, sed ducendi ad idoneas exercitationes, sic ut temporis progressu ac laboriosis exercitiis periculum facientes eorum sententiæ atque propositi, si modo firmi aliquid in ipsis invenerimus, illos tuto admittamus : sin minus, dum adhuc extra sunt, dimittamus, ne experimentum fratribus afferat damni aliquid et exitii. Atque etiam explorare operæ-pretium est, num quis prius peccatis implicitus, abjecta omni verecundia prodat occultam turpitudinem, seque ipse accuset, simulque malorum suorum operum socios pudore afficiat, illosque a se ableget, juxta eum qui dixit : « Discedite a me omnes, qui opera» mini iniquitatem [1], » num etiam muniat se ad posteram vitam, ut ne amplius in similia vitia dilabatur. Cæterum communis cujusque probandi modus est, utrum scilicet citra pudorem paratus sit ad omnem humilitatem, sic ut artes suscipiat vel vilissimas, si illarum opus utile esse ratio comprobarit. Postquam autem unusquisque quasi vas quoddam Domino commodum, et ad quodvis bonum opus paratum omni tentatione adhibita declaratus fuerit ab iis, qui talia scite scrutari possunt, ita demum inter eos qui se Domino dedicarunt, annumeretur. Maxime autem ei, qui ab illustriore quodam vitæ genere juxta Domini nostri Jesu Christi exemplum ad humilitatem festinat, aliqua quæ probrosa admodum apud externos esse videantur, præscribenda sunt; observandumque, num sine ulla dubitatione seipsum ceu operarium pudoris expertem Deo exhibeat.

[1] Psal. vi, 9.

INTERROGATIO XI.

De servis.

RESPONSIO.

Porro quicumque servi sub jugo detenti, ad fratrum conventum confugiunt, admoniti et meliores effecti, ad dominos suos remittendi sunt : in quo imitandus est beatus Paulus, qui cum genuisset Onesimum per Evangelium, eum ad Philemonem remisit [1], sic ut alteri quidem persuaserit, ut si servitutis jugum modo Domino placenti perferretur, dignum eum regno cœlorum redderet, alterum vero exhortatus est non minas modo, quas huic intenderat, remitteret, memor veri Domini, qui dixit : « Si dimiseritis » hominibus peccata eorum, dimittet et Pater vester cœlestis » delicta vestra [2], » sed ut animo etiam æquiore erga ipsum afficeretur, sic scribens : « Forsitan enim ideo discessit ad » horam, ut æternum illum reciperes : jam non ut servum, » sed pro servo charissimum fratrem [3]. » Sed tamen si dominus improbus sit, qui aliqua contra legem præscribat, vimque servo inferat ad mandata veri heri Domini nostri Jesu Christi violanda, operam dare debemus, ut ne nomen Dei blasphemetur propter servum illum, qui quidpiam egerit non acceptum Deo (1). Adhibetur autem ejusmodi sollicitudo, aut cum servus ille præparatur ad eas ærumnas, quibus afficiendus est, tolerandas, ut quemadmodum scriptum est, Deo magis quam homini obediat [4], aut cum

[1] Philem. 10 et 12. — [2] Matth. vi, 14. — [3] Philem. 15, 16. — [4] Act. v, 29.

qui servum recepere, tentationes quæ sibi ipsius causa imminent, perferunt eo, qui Deo acceptus sit, modo.

INTERROGATIO XII.

Quomodo accipiendi sint qui connubio junguntur.

RESPONSIO.

Atque ii etiam, qui matrimonio conjuncti, ad hujusmodi vitæ genus accedunt, interrogandi sunt, an mutuo consensu id efficiant ex Apostoli præcepto. « Nam, inquit, sui » corporis potestatem non habet [1], » sicque qui accedit, coram pluribus testibus recipiendus est. Nam obedientiæ Deo debitæ nihil est præferendum. Quod si dissentiat altera pars, repugnetque, quod minus sollicita sit, quomodo placeat Deo, in mentem veniat Apostoli, qui dicit : « In pace » autem vocavit nos Deus [2]. » Atque impleatur præceptum Domini, qui dixit : « Si quis venit ad me, et non odit pa- » trem suum, et matrem, et uxorem, et filios, etc. non po- » test meus esse Discipulus [3]. » Nihil enim obedientiæ Deo debitæ est anteponendum. Cæterum nos castæ vitæ agendæ consilium non raro tum vehementium precum, tum assidui jejunii ope in multis prævaluisse novimus, Domino eos, qui prorsus obstinati erant, sæpe etiam per corporalem necessitatem ad rectum judicium comprobandum inducente.

[1] 1 Cor. VII, 4. — [2] Ibid. 25. — [3] Luc. XIV, 26.

INTERROGATIO XIII.

Quod etiam utilis est noviciis silentii exercitatio.

RESPONSIO.

ATQUI novitiis utilis est etiam silentii exercitatio. Etenim si linguam doment, simul et daturi sunt magnum continentiæ argumentum, et in silentio studiosissime atque attentissime discent ab iis, qui scienter sermone utuntur, quando et interrogare et unicuique respondere oporteat. Est enim et vocis contentio, et sermonis modus, et opportunitas temporis, et verborum proprietas, quæ pietatis cultoribus propria sit et peculiaris : quam fieri non potest ut discat qui consueta non dedidicerit. Silentium autem simul et priorum oblivionem ex intermissione parit, et otium ad discenda bona suppeditat. Quamobrem nisi aut peculiare aliquod negotium, et ad animæ suæ curam, et ad inevitabilem operis alicujus quod in manibus sit, necessitatem pertinens, aut instituta quæstio aliqua urgeat, in silentio degendum est, excepta videlicet Psalmorum modulatione.

INTERROGATIO XIV.

De iis, qui seipsos Deo voverunt, et deinde professionem suam irritam facere conantur.

Responsio.

Utique horum unusquisque, qui inter fratres admissus fuerit, posteaque professionem suam resciderit, perinde aspici debet, ut qui in Deum peccaverit, coram quo, et in quo pactorum confessionem deposuit. « Si vero, inquit, in » Deum quis peccaverit, et quis orabit pro eo[1] ? » Qui enim seipsum dicavit Deo, et deinde ad aliud vitæ genus transiit, factus est sacrilegus, cum ipse sui ipsius fur fuerit, donariumque Deo consecratum abstulerit. Quibus æquum est non amplius fores fratrum aperiri, ne si in brevi quidem transitu ad poscendum tectum accederent. Perspicua est enim Apostoli regula, qua jubemur subducere nos ab omni inordinato, neque commisceri cum illo, ut confundatur[2].

[1] 1 Reg. II, 25. — [2] 2 Thess. III, 14.

INTERROGATIO XV.

Qua ætate permittendum sit ut Deo seipsos voveant : qua item ætate virginitatis professio ratā habenda sit et firma.

RESPONSIO.

Cum Dominus dicat : « Sinite pueros venire ad me[1], » et Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras Litteras didicit[2], rursusque præcipiat liberos educari in disciplina et correptione Domini[3], omne tempus, primæ etiam ætatis, iis qui accedunt excipiendis idoneum esse censemus, eos quidem qui parentibus orbati sunt, nostrapte sponte assumentes, ut ad Jobi exemplum orphanorum parentes efficiamur[4]; eos vero, qui sub parentibus sunt, ab ipsis adductos, coram multis testibus suscipientes, ne occasionem demus volentibus occasionem, sed eorum, qui adversum nos blasphemiam loquuntur, os omne injustum obstruatur. Excipiendi igitur sunt ad hunc modum, nec ipsi tamen statim in fratrum corpore aut annumerandi sunt, aut recensendi, ne si illi a fine proposito aberrarent, ipsorum probra in pium vitæ institutum refunderentur : sed educandi illi quidem sunt in omni pietate, tanquam communes fratrum liberi, præterea que puerorum, sive mares sint, sive fœminæ, separari oportet et domos et diætam, ut erga seniores neque licentiam majorem, neque fiduciam immodicam habeant, sed congressus raritate erga antiquiores reverentiam servent, neque ex pœnis quæ perfectioribus ob

[1] Marc. XVIII, 16. — [2] 2 Tim. III, 15. — [3] Ephes. VI, 4. — [4] Job. XXIX, 12.


neglecta officia irrogantur, (si quando eos ab his discessisse contigerit) peccandi facilitas, aut sæpe animi elatio latenter eis innascatur, dum in iis, quæ ipsi recte faciunt, sæpenumero antiquiores delinquentes vident. Qui enim puer est mente, ab eo, qui ætate puer est, nihil differt. Quare nihil mirum si in utrisque eadem etiam vitia sæpenumero reperiantur. Neque vero in quibus antiquiores decorum servant ob suam ætatem, ea juniores ante tempus et præter decorum temere agant ob frequentem cum ipsis consuetudinem.

II. Quapropter cum hujus œconomiæ, tum reliquæ etiam servandæ disciplinæ ac sanctimoniæ causa distinctam esse oportet puerorum et natu majorum habitationem. Prætereaque, dum necessaria illa juvenibus exercitatio fiet, non turbabitur monachorum domus. Precationes autem, quæ per diem institutæ sunt, et pueris et antiquioribus sint communes. Nam pueri majorum exemplo compungi consuescunt : antiquiores vero in precationibus a pueris haud parum adjuvantur. Cæterum quod ad somnum, ad vigilias, ad tempus, mensuramque et qualitatem alimentorum attinet, convenienter pueris decernantur exercitationes et diætæ peculiares. Præficiatur autem talibus quispiam ætate provectior, cæterisque experientiâ præstantior, qui etiam lenitatis testimonium habeat : ut paterna clementia ac perito sermone corrigat juvenum peccata, atque peculiaria remedia singulis delictis afferat ; simulque et reprehendatur peccatum, et anima ad imperturbatum quemdam statum exerceatur. Exempli causa, iratus est quispiam suo coæquali? eum placare, ipsique pro facinoris ratione subservire cogatur. Nam humilitatis assuetudo iracundiam animi quasi excindit ; cum contra ejusdem elatio plerumque nobis iram ingeneret. Sumpsit cibos præter tempus? maxima diei parte jejunet. Immodice, aut

indecore cibum cepisse deprehensus est? ipse refectionis tempore a cibo abactus, alios rite edentes intueri cogatur, ut et abstinentia plectatur, et honestatem discat. Protulit verbum otiosum, contumeliam in proximum, mendacium, aliquid aliud quod interdictum sit? et ventre et silentio castigetur.


III. Atque etiam litterarum studium eorum instituto accommodatum esse oportet, et vocabulis e Scriptura sumptis utantur, et ipsis narrentur admirabilium factorum historiæ loco fabularum, et edoceantur sententias proverbiorum, et memoriæ præmia eisdem proponantur tam pro nominibus quam pro rebus, ut jucunde et quasi animum relaxantes, nulla cum molestia, nullaque offensione, ad scopum pertingant. Prætereaque qui sunt ejusmodi, recte educati, attentionem animi facile assequentur, atque mentis aberrationem vitare assuescent, si a magistris assidue interrogentur; ubi sit eorum animus, et quid in mente versent. Etenim illa ætas, ut pote simplex, fraudis nescia, et ad mendacium inepta, nullo negotio animi arcana prodit : accedit etiam, quod qui talis est, ne perpetuo veritis commentis immorari deprehendatur, fugiet absurdas cogitationes, atque objurgationum dedecus reveritus, semetipsum assidue ab ineptis revocabit.

IV. Animus igitur, dum adhuc facile conformari potest, dumque tener est, ac instar mollis ceræ, rerum oblatarum formas nullo negotio induit, ad omnia bona statim ab initio exercendus est : ut ubi affuerit ratio, habitusque discernendi accesserit, a jactis initio elementis, et a traditis pietatis formis cursus instituatur, ratione id quod utile est suggerente, consuetudine vero facilitatem ad recte agendum præbente. Tunc autem admittenda est virginitatis professio, tanquam quæ jam firma sit, et quæ ab ipsorum sententia ac judicio proficiscatur ; jam perfecta et absoluta



ratione : post quod tempus et præmia et pœnæ peccantibus aut recte facientibus ab æquo judice pro operum merito decernuntur. Testes autem hujusce propositi adhibendi sunt ecclesiarum præfecti, ut ipsorum opera et corporis sanctimonia veluti res quædam sacra Deo dedicetur, et firma sic hæc actio per testimonium. « Nam, inquit, in ore » duorum aut trium testium stabit omne verbum[1]. » Sic enim et fratrum agendi ratio nec male audiet, et eis qui seipsos Deo desponderunt, ac deinde professionem irritam facere conantur, nulla impudentiæ occasio relinquetur. Sed qui in virginitate vitam agere non vult, is, tanquam qui res Domini curare non valeat, coram iisdem testibus dimittatur. Cæterum qui professus fuerit post multam indagationem ac deliberationem, quam ei licere debet privatim facere dierum plurium spatio, ne quid per raptum a nobis fieri videatur, ita demum suscipiendus est, et inter fratres annumerandus, eamdem deinceps et domum et diætam habiturus cum majoribus. Sed quod dicere nos fugit, et nunc addere non abs re fuerit, nos, quod quibusdam artibus statim a puero danda opera sit, ubi jam pueri aliqui ad eas discendas visi fuerint esse idonei, nequaquam prohibere, quominus cum artis magistris interdiu maneant. Sed noctu eos necessario ad æquales suos transmittimus, quibuscum cibum etiam capiant necesse est.

[1] Matth. XVIII, 16.



INTERROGATIO XVI.

An ei, qui pie vivere vult, necessaria sit temperantia.

RESPONSIO.

I. LIQUET necessariam esse temperantiæ exercitationem. Primum quidem, quoniam temperantia ab Apostolo inter fructus Spiritus recensetur[1] : deinde vero, quoniam dicit nostrum ministerium etiam per illam inculpatum fieri, his verbis utens : « In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in cas» titate[2]. » Et alibi : « In labore et ærumna, in vigiliis sæpe : » in fame et siti, in jejuniis sæpe[3]. » Et rursus : « Omnis » autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet[4]. » Nulla autem res alia tam corpus castigat quam temperantia, aut illud æque in servitutem redigit. Nam juventutis fervor, et libidinum reprimendarum difficultas temperantia quasi freno quodam cohibetur. « Non enim prosunt stulto » deliciæ[5], » juxta Salomonem. Ecquid autem carne in deliciis degente, et juventute sese quoquoversum ferente stultius fingi potest? Quapropter Apostolus dicit : « Et » carnis curam ne faciatis ad concupiscentias[6]. » Item : « Quæ in deliciis est, vivens mortua est[7]. » Adde quod exemplum deliciarum, quibus dives fruebatur, temperantiam nobis necessariam esse ostendat, ne forte audiamus quod dives audivit, nimirum : « Recepisti bona tua in vita » tua[8]. »

[1] Gal. v, 23. — [2] 2 Cor. vi, 5, 6. — [3] Id. xi, 27. — [4] 1 Cor. ix, 25.— [5] Prov. xix, 10.— [6] Rom. xiii, 14.— [7] 1 Tim. v, 6.— [8] Luc. xvi, 25.

II. Quam vero metuenda intemperantia sit, etiam Apostolus docuit, cum illam numeravit inter defectionis proprietates, ac dixit : « In novissimis diebus instabunt tem» pora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes [1]. » Ac pluribus nequitiæ generibus recensitis, subjunxit : « Cri» minatores, intemperantes [2]. » Atque Esaü etiam intemperantia ceu malo maximo accusatus est, tanquam qui prioris ortus jura pro uno edulio vendidisset [3]. Præterea per intemperantiam cœpit homo non obtemperare. At Sancti omnes temperantiæ laude fuerunt spectati. Imo potius omnis Sanctorum ac Beatorum vita, ipsiusque Domini in carne præsentis exemplum ad hoc suggerendum nobis prodest. Moses per longam in jejunio et precatione perseverantiam legem accepit [4], « Deique verba audivit, tanquam si quis, inquit, loqueretur cum amico suo [5]. Elias Dei visione dignus tunc est habitus, cum ipse quoque pari modo abstinentia usus est. Quid autem Daniel? Quo pacto conspexit mira? Annon post vicesimam jejunii diem [6]? Quomodo vero tres pueri vim ignis extinxerunt? nonne per abstinentiam? Ac etiam Joannis tota vivendi ratio ab abstinentia sumpsit exordium. Ab hac Dominus quoque se ipse ostendere cœpit [7]. Temperantiam autem dicimus non universam prorsus ciborum abstinentiam (hoc enim violenta quædam vitæ dissolutio est) : sed eam, qua a rebus jucundis abstinemus, quæ ad pertinaciam carnis frangendam et ad attingendum pietatis scopum instituta sit.

III. Et in summa, quibus rebus frui desiderant qui libidinose vivunt, earum abstinentia nobis qui ad pietatem informamur, necessaria est. Neque vero in sola escarum voluptate moderanda exercetur temperantia, sed sese ad

[1] 2 Tim. III, 1, 2.— [2] Ibid. 3.— [3] Gen. xxv, 33.— [4] Deut. IX, 9. — [5] Exod. XXXIII, 11. — [6] Dan. x. — [7] Matth. III, 4, Luc. I, 25, et Matth, IV, 2.

omnem etiam rei cujusque adversantis privationem extendit. Quare qui perfecte temperans est, non ita ventrem domabit, ut vincatur ab humana gloria; non ita turpem cupiditatem superabit, ut non amplius superet divitias, aut alium quemvis probrosum affectum, veluti iram, aut tristitiam, aut reliqua vitia, quæ animas disciplinæ inexpertes in servitutem redigere solent. Fere enim quod in omnibus præceptis cernimus, illa inter se connexa esse, neque fieri posse, ut alterum separatim ab altero impleatur, id maxime in temperantia cernitur. Etenim et humilis est qui circa gloriam temperans est, et evangelicam inopiæ mensuram explet qui erga divitias temperanter afficitur, et iræ expers qui indignationem et iracundiam continet in officio. Imo etiam perfecta temperantiæ ratio linguæ præfinit terminos, et oculis limites, et auribus auditionem non curiosam: in quibus si quis non immoratur, intemperans est et protervus. Vides quemadmodum circum hoc unum præceptum, reliqua omnia tanquam in choro inter se conjuncta cohæreant.

INTERROGATIO XVII.

Quod oportet etiam risum continere.

RESPONSIO.

I. ATQUE etiam quod a plerisque negligitur, id diligenter a pietatis studiosis cavendum est. Nam intemperanti ac immodico risu detineri, indicio est grassari intemperantiam, nec sedari motus, nec a severa ratione comprimi laxitatem animi. Risu quidem leni et hilari effusionem

animi detegere indecorum non est, quantum scilicet necesse fuerit ut solum indicetur quod scriptum est : « Cordis » læti facies floret[1] » sed cachinnis vocem sustollere, et corpore præter voluntatem concuti non ejus est, qui mente quieta sit, aut probus, aut sui ipsius compos. Hoc risus genus Ecclesiastes quoque reprobans, tanquam quod animi constantiam maxime labefactet, ait : « Risui dixi circum» lationem[2]. » Et, « Sicut vox spinarum sub olla : ita risus » stultorum[3]. » Et Dominus eos quidem affectus, qui necessario corpus comitantur, et reliquos alios, qui virtutis testimonium præ se ferunt, veluti lassitudinem et commiserationem erga afflictos, ipse suscepisse perhibetur : sed, quantum ex Evangeliorum historia constat, risu nunquam usus est, imo vero eos, qui risu tenentur, miseros pronuntiat. Neque vero fallat nos ambiguum risus nomen[4]. Est enim Scripturæ familiare, sæpenumero animi gaudium et hilarem affectum ex bonis ortum, risum appellare, quemadmodum ait Sara : « Risum mihi fecit Deus[5]. » Et illud : « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis[6]. » Item illud Jobi : « Os autem verax implebit risu[7]. » Nam omnia hæc nomina pro hilaritate ob animi gaudium usurpata sunt. Quamobrem qui affectu omni superior est, quique nullum patitur voluptatis incitamentum, aut certe qui nullum prodit, sed gerit se constanter ac fortiter adversus omnem noxiam delectationem, is perfectus est continens : qui autem ejusmodi est, utique liber est ab omni peccato. Imo vero aliquando ab ipsis etiam rebus, quæ permittuntur, quæque necessariæ sunt ad vitam, abstinendum est, cum scilicet ob fratrum nostrorum utilitatem abstinentia instituitur. Sic Apostolus : « Si esca, inquit, scandalizat fratrem meum, » non manducabo carnem in æternum[8]. » Qui etiam cum

[1] Prov. XV, 13. — [2] Eccl. II, 2.— [3] Id. VII, 7.— [4] Luc. VI, 25.— [5] Gen. XXI, 6.— [6] Luc. VI, 21.— [7] Job. VIII, 21.— [8] 1 Cor. VIII, 13.

haberet potestatem vivendi ex Evangelio, non usus est hac potestate, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi [1].

II. Temperantia igitur tollit peccata, turbulentos motus amandat, mortificat corpus ad ipsas etiam usque naturales affectiones ac cupiditates, initium est spiritualis vitæ, conciliat æterna bona, stimulum voluptatis in seipsa extinguit. Voluptas enim magna illa est mali illecebra, qua nos homines ad peccatum valde admodum proclives sumus : a qua anima omnis velut ab hamo ad interitum pertrahitur. Quare qui ab ipsa non effœminatur, nec frangitur, per temperantiam peccata omnia vitat. Quod si quispiam, vitatis plurimis, ab uno superatur, is continens non est : quemadmodum neque sanus est, qui uno corporali morbo laborat; neque liber, qui imperio subjicitur unius, quicumque tandem ille sit, vilisque et plebeius. Ac reliquæ quidem virtutes cum in occulto exerceantur, raro veniunt in hominum conspectum : continentia vero eum, a quo possidetur, vel ipso congressu notum efficit. Ut enim obesitas et bonus color athletam notat : ita corporis macies et pallor, qui ex continentia emergit, indicio est Christianum vere athletam esse præceptorum Christi : qui inimicum suum in corporis infirmitate vincat, viresque suas in pietatis certaminibus ostendat, convenienter verbis illis : « Cum » infirmor, tunc potens sum [2]. » Quantum ex eo lucri est, si solum continentem videamus, vix et parce rebus necessariis utentem, et veluti onerosum naturæ ministerium persolventem, tempusque quo iis immoratur, ægro animo ferentem, et cito a mensa ad opera peragenda surgentem. Arbitror enim animum ejus, qui circa ventrem intemperans est, nullo sermone æque ac temperantis occursu vel solo commoveri, aut immutari. Atque hoc est, uti videtur, ad Dei gloriam edere, et bibere, ut in mensa etiam luceant

[1] 1 Cor. IX, 12. — [2] 2 Cor. XII, 10.

bona nostra opera, ut Pater noster qui in cœlis est, gloria afficiatur.

INTERROGATIO XVIII.

Quod omnia, quæ nobis apponuntur, sunt degustanda.

RESPONSIO.

Et illud quoque necessario statuatur, temperantiam iis, qui pro pietate certant, prorsus ad corpus macerandum necessariam esse : « Omnis enim, qui in agone contendit, » ab omnibus se abstinet [1]. » Sed tamen, ne una cum Dei inimicis corruamus, qui suam ipsorum conscientiam habent cauterio inustam, ob idque abstinent a cibis, quos Deus creavit, ut a fidelibus cum gratiarum actione sumantur, omnia, si quando occasio se dederit, degustanda nobis sunt, ut videntibus compertum sit et exploratum cuncta mundis munda esse [2], omnemque Dei creaturam esse bonam, nec quidquam, quod cum gratiarum actione assumatur, rejiciendum esse : « Sanctificatur enim per » verbum Dei, et orationem [3]. » Sic autem servanda est temperantiæ ratio, ut alimentis vilioribus, et ad vitam necessariis, quantum necessitas postulat, utamur, in eisque capiendis satietatis damnum vitemus, et ab his, quæ ad voluptatem parata sunt, prorsus abstineamus. Ita enim et voluptariorum libidinem excidemus, et eos, quorum conscientia cauterio notata est, certe quantum in nobis erit, curabimus, et nosmetipsos a suspicione utrinque liberabimus. « Ut quid enim, inquit, libertas mea judicatur ab

[1] 1 Cor. ix, 25. — [2] Tit. i, 15. — [3] 1 Tim. iv, 5.

» aliena conscientia [1] ? » Temperantia hominem indicat, qui una cum Christo mortuus sit, ac terrestria sua membra mortificarit. Hanc novimus matrem esse castimoniæ, sanitatis conciliatricem, atque impedimentorum quibus eorum, quæ in Christo sunt, operum fœcunditas præpeditur, maxime expultricem esse. Siquidem juxta Domini vocem, curæ hujus sæculi, voluptates vitæ, reliquarumque rerum cupiditates verbum suffocant, atque adeo infructuosum redditur [2]. Ab hac etiam aufugiunt dæmones, cum Dominus ipse nos docuerit genus illud nisi precatione et jejunio nequaquam exire [3].

INTERROGATIO XIX.

Quis sit continentiæ modus.

Responsio.

I. In animi quidem vitiis unus est continentiæ modus, integra scilicet a rebus ad perniciosam voluptatem ferentibus alienatio. In cibis autem quemadmodum alii aliis sunt necessarii, suntque et pro ætate et pro vitæ instituto, et pro corporis habitudine convenienter distincti : ita quoque illis utendi modus et ratio diversa sunt. Quo fit, ut regula una omnes pietatis exercitatores comprehendi non possint. Iis autem, qui rebus administrandis fuerunt præfecti, permittimus, ut habita ratione eorum, quæ cuique accidunt, mensuram pro ascetis sanis a nobis statutam prudenter immutent. Neque enim omnia sigillatim oratio complecti potest : sed ea solum, quæ a communi et gene-

[1] I Cor. x, 29. — [2] Matth. xiii, 22. — Id. xvii, 20.

rali doctrina dependent. Præfecti enim danda ægrotis per cibos solatia, aut levamentum ejus qui cæteroquin defatigatus fuerit propter operum assiduitatem, aut etiam levamen illius qui exempli gratia ad itineris aut arduæ cujusvis alterius rei laborem accingitur, pro necessitatis ratione semper præscribent, sequenturque eum, qui dixit : « Dividebatur singulis prout cuique opus erat [1]. » Neque igitur idem sumendi cibi tempus, neque modus, neque mensura omnibus sanciri potest : sed sit is scopus communis, ut fiat satis necessitati. Ventrem namque supra modum impleri, atque cibis onerari, res est maledicto digna, cum Dominus dixerit : « Væ vobis qui saturati estis nunc [2] : » hoc quoque et ipsum corpus ad opera inutile, et proclive ad somnum et incommodis magis expositum reddit. Neque vero esus jucunditas finis loco habenda est, sed usus ad vitam necessarius, vitata voluptatis intemperantia, atque protervitate. Etenim servire voluptatibus nihil aliud est quam ventrem Deum suum efficere. Quoniam enim corpus nostrum, utpote quod semper exinaniatur ac diffluat, expletione indiget, (quæ etiam causa est cur cibi appetitiones naturales sint) recta cibis utendi ratio repleri ad animalis conservationem jubet quod evacuatum est, sive sicco, sive humido opus fuerit alimento.

II. Quod igitur nos simpliciore apparatu a necessitate liberaturum est, id est adhibendum. Hoc autem declaravit Dominus ipse, cum fatigatam multitudinem, ne in via deficeret, epulo excepit, uti scriptum est [3]. » Etenim cum excogitando apparatu aliquo sumptuoso posset in deserto miraculum augere, adeo tenuem ac simplicem cibum eis paravit, ut et panes hordeacei essent, et pars piscis adhiberetur ad panem [4]. De potu autem ne mentionem quidem

[1] Act. II, 45. — [2] Luc. VI, 25. — [3] Matth. XV, 32. — [4] Joan. VI, 9.

fecit, quod aqua, quæ sponte naturæ scaturit, necessitatique sufficit, in promptu sit omnibus; nisi tamen ejusmodi potus cuipiam noceret ob infirmitatem, sic ut ex Pauli ad Timotheum consilio rejici deberet [1]. Imo vero omnia, quæ manifesto nocent, rejicienda sunt. Neque enim par est escas corporis conservandi causa assumere, ac rursus per ipsas escas inferre bellum corpori, eique ad mandatum conficiendum impedimento esse. Atque hoc idem nobis exemplo est, ut ad ea, quæ nocent, fugienda, licet grata sint et jucunda, animum nostrum assuefaciamus. Quod igitur facilius paratur, prorsus est anteponendum, ut ne continentiæ prætextu chariora ac sumptuosiora anxie inquiramus, et magno partis condimentis edulia apparemus : sed quod in unaquaque regione nullo negotio haberi potest, et vile est, et quo vulgus facile utitur, deligamus, ita ut ex quæsitis alimentis, utamur iis solis, quæ ad vitam sunt maxime necessaria, uti oleo, et aliis ejusmodi, et si quid ad necessarium ægrotantium levamen idoneum sit, idque si citra sollicitudinem tumultumque et negotium comparare liceat.

INTERROGATIO XX.

Quæ ratio tenenda sit in cibis, cum excipiuntur hospites.

Responsio.

I. Vana gloria, studium placendi hominibus, et quælibet res ad ostentationem gesta, prorsus in omni negotio Christianis interdicta sunt : quandoquidem qui et ipsum man-

[1] 1 Tim. v, 23.

datum ideo perficit, ut spectetur ab hominibus, et gloria afficiatur, mercedem ob ipsum sperandam amittit. Itaque iis, qui omnem humilitatis speciem propter Domini præceptum amplexi sunt, fugiendus admodum est omnis vanæ gloriæ modus. Quoniam autem videmus mundanos homines, qui cum pudore ferant paupertatis humilitatem, et ubi aliquis ipsis suscipiendus est hospes, omnem ciborum copiam ac magnificentiam studiosius apparent, timeo ne nos quoque clanculum eidem vitio fiamus obnoxii, atque de paupertate [1] quæ a Christo beata prædicata est, erubescere deprehendamur. Quemadmodum igitur vasa argentea, aut vela purpurea, aut stratum molle, aut vestimenta pellucida extrinsecus comparare nobis non convenit : sic fuerit indecorum excogitare epulas a nostra vivendi ratione multum abhorrentes. Nam circumcursare nos, ac investigare ea, quæ non ad necessarium usum requiruntur, sed quæ ad miseram voluptatem et ad inanem exitiosamque gloriam adinventa fuerunt, non turpe modo, et a scopo nobis proposito alienum, sed detrimentum etiam affert non leve, cum scilicet qui in deliciis vivunt, et ventris voluptatibus metiuntur beatitudinem, nos quoque eisdem curis quibus ipsi cum admiratione et stupore incumbunt, distentos vident. Etenim si malæ sunt deliciæ, et fugiendæ, nunquam eas amplecti debemus. Nihil enim eorum, quæ reprobata sunt, potest ullo tempore opportunum esse. Qui laute et delicate vivunt, præstantissimisque illinuntur unguentis, et vinum percolatum bibunt, eos incusat Scriptura [2]. Et ob delicias vidua, quæ viva erat, dicitur mortua [3]. Dives ob hujus vitæ delicias privatus est paradiso [4]. Quid igitur nobis cum apparatibus sumptuosis? Accessit hospes aliquis? Si frater sit, et idem vitæ institutum sequatur,

[1] Matth. v, 3, et Luc. vi, 20. — [2] Amos vi, 6. — [3] 1 Tim. v, 6. — [4] Luc. xvi, 22.

suam ipsius mensam agnoscet. Quæ enim reliquit domi, ea inventurus est apud nos. At fatigatus est ex itinere? tantum afferimus levamenti, quantum requiritur ad lassitudinem sublevandam.

II. Advenit alius sæculo huic addictus? Ex factis discat quæ ei sermo non persuasit, et frugalitatis in escis servandæ formam et exemplar accipiat. Maneant in ipso monumenta mensæ Christianorum, et ejus paupertatis, quæ Christi causa citra verecundiam perferenda est. Quod si his ille minime commovebitur, ac potius deridebit, rursus nobis non exhibiturus est molestiam. Nos autem cum divites quosdam videmus, qui deliciarum usum ponunt in præcipuis bonis, eorum vicem valde dolemus, quod vita omni in vanitate insumpta, et voluptatibus suis pro Deo habitis, nescientes in vita hac recipiunt bonorum partem, ac per præsentes delicias in paratum ignem præcipitantur, et in illius ardorem : imo si quando sese nobis obtulerit occasio, ne ipsis quidem hæc dicere dubitemus. Quod si futurum est, ut ipsi quoque simus eorumdem rei, et quoad licet nobis, inquiramus etiam ea quæ pertinent ad voluptatem, et ipsa ad ostentationem apparemus, vereor ne quæ destruimus, ea ædificare videamur, et per quæ cæteros judicamus, nosmetipsos condemnemus, qui simulate vita utamur, modo in hanc, modo in illam formam mutati, nisi forte immutemus etiam vestimenta nostra tum, cum in viros claros et superbos inciderimus. Quod si id turpe est, longe turpius est mensam nostram ob delicatos commutare. Æquabilis et constans est Christiani vita, et unicum scopum habet Dei gloriam : « Sive enim manducatis, sive » bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite [1], » ait Paulus qui in Christo loquebatur. At vero multiformis et varia est hominum mundanorum vivendi ratio, quæ sci-

[1] 1 Cor. x, 31.

licet aliis atque aliis modis ad conciliandam accedentium gratiam transformetur.

III. Quare tu quoque si copia ciborum atque lautitia fratri voluptatem afferre volens, mensam tuam immutas, ejus accusas erga voluptatem studium, atque per ea, quæ instruis, ipsius exprobras gulam, cum tamen ejusdem circa hæc voluptatem redarguas. Annon sæpenumero genere et modo apparatus consideratis, conjectavimus quis sit qui expectetur, aut quid sit? Nequaquam Dominus laudavit Martham in multiplex ministerium distractam: sed, « Sollicita es, inquit, et turbaris circa multa. Atqui » paucis, vel uno opus est [1] : » paucis quidem, quantum scilicet ad apparatum : uno vero, nempe fine ipso, ut videlicet necessitati fiat satis. Quale autem alimentum Dominus ipse millibus quinque apposuerit[2], haud ignoras. Votum autem Jacobi ad Deum hoc est : « Si dederis mihi, » inquit, panem ad comedendum, et vestimentum ad in- » duendum [3] : » non dixit : « Si dederis mihi delicias et sumptuosum apparatum. » Quid vero sapientissimus Salomon? « Divitias et paupertatem, inquit, ne dederis mihi : » sed constitue mihi necessaria, et sufficientia, ut ne satia- » tus mendax fiam, et dicam : Quis me videt? aut pauper » furer, et jurem nomen Dei mei [4] : » ita æstimans, divitias quidem satietatem esse, paupertatem vero penuriam integram esse rerum ad vitam necessariarum : per ea autem, quæ sufficiunt, statum quemdam nec indigentem, nec rerum ad usum requisitarum copia abundantem indicavit. Porro aliud alii sufficit pro corporis habitudine, et pro necessitate instante. Huic enim opus est alimento uberiore ac validiore propter laborem : illi vero, tenuiore levioreque, et in omnibus congruente, propter infirmitatem : sed ge-

[1] Luc. x, 41, 42.— [2] Matth. xiv, 21.— [3] Gen. xxviii, 20.— [4] Prov. xxx, 8, 9.

neratim opus est omnibus viliore et paratu faciliore. Attamen cura et quædam mensæ decentia necessaria est in omnibus, sed ita tamen, ut extra præscriptos nobis necessitatis terminos nunquam egrediamur, imo vero hospitalitatis is finis sit, ut spectetur quod necessitas cujusque accedentium postulat. Ait enim : « Veluti utentes mundo » hoc, et non abutentes [1]. » Abusus autem sumptus est ultra necessitatem. Non sunt nobis pecuniæ? nec sint. Non sunt referta nostra horrea? quid tum? Vivimus enim in diem, et in labore positus nobis est victus. Cur igitur escam a Deo esurientibus datam ad delicatorum voluptatem insumimus? in quo peccamus utrinque, cum et illis egestatis angustias, et his satietatis incommoda augeamus.

INTERROGATIO XXI.

Quomodo oporteat se gerere inter sedendum et accumbendum in tempore prandii, aut cœnæ.

Responsio.

Quandoquidem Domini nos ubique ad humilitatem assuefacientis præceptum est, ut et in prandiis accumbentes postremum locum occupemus, necesse est ei, qui omnia juxta mandatum peragere studet, ne hoc quidem præceptum negligere. Quamobrem si mundani aliqui nobiscum accumbant, fieri nos eis in hac etiam parte exemplum par est, ut non extollantur, neque primam sedem perquirant. Cum autem omnes pari consilio in unum coëant, ut videli-

[1] 1 Cor. VII, 31.

cet quavis occasione aliquod suæ humilitatis specimen dent, locum quidem ultimum ex Domini mandato occupare unicuique convenit : sed tamen si ad eum tenendum contentiosus fieret impulsus, ejusmodi agendi ratio improbanda esset, tanquam quæ evertat ordinem tumultumque afferat. Præterea si alter alteri cedere nolumus, atque de hoc pugnamus, ita iis qui de principe loco certant, similes efficiemur. Quare et hic quoque prudenter cognoscentes curantesque quod nobis decorum fuerit, accubationis ordinem permittere debemus excipientis arbitrio, quemadmodum submonuit et Dominus, cum dixit pertinere ad patremfamilias harumce rerum dispositionem [1]. Sic enim et nos invicem perferemus in dilectione, honeste omnia et secundum ordinem facientes : et illud dæmonstrabimus, nos non ad faciendam coram multis ostentationem, neque ad popularem gratiam demerendam humilitatem sectari, ex obstinata ac vehementi contentione : quin potius obtemperando exercebimus humilitatem. Altercari enim, majus est superbiæ indicium, quam primam sedem inter accumbendum tenere, cum jussi eam acceperimus.

INTERROGATIO XXII.

Quodnam vestimentum conveniat Christiano.

Responsio.

I. Superius demonstratum est et humilitatem, et simplicitatem, et in omnibus vilitatem, et sumptus tenuitatem necessarias esse, ut sint nobis causæ paucæ, quibus ob

[1] Luc. xiv, 10.

corporeas necessitates distrahamur. Itaque eo animo hæc etiam ratio circa vestitum observanda est. Etenim si danda nobis est opera, ut omnium simus postremi, utique quod etiam in hoc genere infimum fuerit, summopere est præferendum. Quemadmodum enim viri gloriæ cupidi, sibi ipsi ex vestimentorum etiam amictu gloriam aucupantur, quod spectari, et magni æstimari, ob amictum splendidum et pretiosum ambiant : sic videlicet qui suam ipsius vitam per humilitatem redegit ad infimam conditionem, quod in his quoque infimum fuerit, id sumere debet. Ut enim in publica cœna Corinthiis vitio datur, quod sumptuoso suo apparatu eos qui non habebant, pudore afficerent [1] : ita plane communi quoque et conspicuo vestimentorum usu, is, qui vulgi consuetudinem superat ornatus, ex quadam veluti comparatione, pauperi pudorem incutit. Cum autem Apostolus dicat : « Non alta sapientes, sed humilibus con» sentientes [2], » scrutetur seipsum quisque, utri magis similes esse Christianis conveniat, iis ne qui in regiis aulis habitant, et mollibus vestibus amicti sunt : an nuntio et præconi adventus Domini, quo major inter mulierum natos non surrexit [3], Joannem dico Zachariæ filium, cujus indumentum erat ex pilis cameli [4]. Sed et veteres sancti in melotis, in pellibus caprinis obambulabant [5].

II. Quis autem scopus in utendo habendus sit, admonuit Apostolus unico verbo, cum dixit : « Habentes ali» menta, et quibus tegamur, his contenti erimus [6], » tanquam solo nobis integumento opus sit : nec jam in vetitam varietatis et jactantiæ ex ea proficiscentis vanitatem, ne quid pejus dicam, incidamus. Hæc enim deinceps ab inutilibus vanisque artibus introducta sunt in vitam. Atque etiam notus est primus tegumentorum usus, quem

[1] 1 Cor. xi, 22 — [2] Rom. xii, 16. — [3] Matth. xi, 11. — [4] Id. iii, 4. — [5] Hebr. xi, 37. — [6] 1 Tim. vi, 8.

Deus ipse dedit indigentibus. Ait enim : « Fecit ipsis Deus » tunicas pelliceas [1]. » Nam ad indecora tegenda satis erat etiam ejusmodi tunicarum usus. Sed quoniam præterea alius concurrit scopus, ut nempe per indumenta foveamur, necesse fuerit animum appelli ad utriusque rei usum, ut et membra nostra indecora contegantur, et auxilio sint adversus aëris incommoda. Quoniam autem et in ipsis tegumentis, alia sunt multum utilia, alia minus, ea quæ ad plures usus accommodari possunt, par est præferri, sic ut neque lædatur paupertatis ratio, neque alia ad ostentationem, alia ad domesticum usum parta habeamus, neque rursus alia vestimenta sint diurna, alia nocturna : sed excogitandus est atque comparandus unus aliquis hujusmodi vestitus, qui ad omnia nobis sufficere possit, tum ad decorum ac honestum interdiu amictum, tum ad necessarium noctu operimentum. Ex hoc autem contingit, ut inter nos et cultum communem habeamus, et Christianus quasi peculiari quodam charactere vel ex ipso indumento notetur. Quæ enim ad unum et eumdem finem spectant, ea ut plurimum eamdem inter se formam servant.

III. Atque etiam in eo utilis est peculiaris hæc amictus ratio, quod prænuntiet unumquemque, ac vitæ secundum Deum actæ professionem in antecessum declaret : quæ res facit ut qui nobiscum versantur, convenientes ac congruas actiones a nobis exigant. Indecorum enim et inhonestum non æque in hominibus obscuris, atque in iis qui magna profitentur, apparet. Plebeium enim aut obscurum quempiam hominem infligentem plagas, aut publice accipientem, et voces obscenas emittentem, et in tabernis versantem, et alia id genus indecore peragentem, nemo facile attenderit, cum facta illa universo vitæ ipsius instituto convenire intelligat : sed qui perfectum vitæ genus profite-

[1] Gen. III, 21.

tur, si quid vel minimum neglexerit eorum, quæ officii sunt, hunc omnes observant, ipsique id probri loco objiciunt, ac faciunt quod dictum est : « Conversi dirumpent » vos [1]. » Quare hac cultus habitusque professione tanquam documento quodam, a vitiis infirmiores arcentur vel inviti. Ut igitur in vestitu peculiaris quidam est ornatus militis, alius senatoris, alius alterius, ex quibus ut plurimum conjectantur ipsorum dignitates : ita quoque Christianum habere vel in vestitu peculiare quiddam, quo traditus ab Apostolo modestus ornatus conservetur, par est et decorum. Qui quidem modo statuit episcopum ornatum esse debere [2], modo vero mulieres in habitu cultuque ornato esse jubet [3], ita tamen, ut ornatus vox ex proprio Christianismi proposito accipiatur. Hoc idem et de calceamentis dico, adeo ut quod minime exquisitum est, quodque minimo sumptu parari potest, ac necessitatis scopo sufficit, omni tempore præferatur.

INTERROGATIO XXIII.

De zona.

RESPONSIO.

NECESSARIUM esse zonæ usum declarant etiam priores Sancti. Joannes quidem pellicea zona lumbos suos præcingebat [4], et ante ipsum etiam Elias. Scriptum est enim, quasi hominis proprium quiddam fuisset illud : « Vir pilo» sus. » Et, « Zona pellicea circa renes ejus [5]. » Et Petrus

[1] Matth. vii, 6.— [2] I Tim. iii, 2.— [3] Id. ii, 9.— [4] Matth iii, 4. — [5] 4 Reg i, 8.

quoque zona usus fuisse perhibetur, uti liquet ex verbis Angeli sic illum alloquentis : « Præcingere, et subliga soleas » tuas [1]. » Prætereaque beatum Paulum, ex eo quod Agabus in eum pronuntiavit vaticinio, zona usum fuisse constat. « Virum enim, inquit, cujus est zona hæc sic alligabunt in » Jerusalem [2]. » Et Job etiam præcingi Dominus præcipit. Etenim quasi hoc signum sit animi cujusdam virilis, et ad rem gerendam parati, ait : « Accingere tanquam vir lum» bum tuum [3]. » Itemque zonæ usum omnibus Domini Discipulis familiarem fuisse ex eo intelligitur, quod interdictum ipsis fuerit, ne æs haberent in zonis [4]. Et alioqui necesse est ei, qui per se ipse aliquod opus tractaturus sit, succinctum esse et ad motus liberum, sic ut zona quoque ei sit opus, per quam tunica ad corpus contrahatur : et ipsum, si undelibet sit circumplicata, magis fovebit, eumdemque ad motus expeditum præstabit. Nam et Dominus cum pararet se, ut ministraret Discipulis, accepto linteo cinxit se. Cæterum de indumentorum multitudine nihil opus est dicere, cum in eo, quem de paupertate habuimus, sermone ea res antea a nobis satis expensa sit. Etenim si is, qui duas tunicas habet, non habenti jubetur alterum dare [5], sine dubio plures possidere sui ipsius causa prohibetur. Quibus igitur duas tunicas habere vetitum est, iis quid attinet de earum usu legem sancire ?

[1] Act. XII, 8. — [2] Id. XXI, 11. — [3] Job. XXXVIII, 3. — [4] Matth. X, 9. — [5] Luc. III, 6.

INTERROGATIO XXIV.

His abunde nobis explicatis, jam consequens fuerit, ut discamus, qua ratione debeamus inter nos vivere.

Responsio.

Cum Apostolus dicat : « Omnia honeste et secundum ordinem fiant [1], » honestam illam esse et ordinatam vivendi in communi Fidelium societate rationem arbitror, qua membrorum corporalium servatur ratio : ut alius quidem oculi vim obtineat, cui scilicet concredita sit communis rerum cura, quique et quæ facta fuerint probet, et facienda prævideat consideretque : alius vero aurium aut manus, ut et audiantur et agantur quæ congruunt, et ex ordine quisque cujusque loco sit. Sciendum est igitur quod quemadmodum in membris periculosum est unumquodque membrum munus suum negligere, ut non alio uti ad eam rem, cujus causa a conditore Deo factum est (sive enim manus, sive pes non obtemperet ductui oculi, illa quidem ad totius interitum res exitiosas attrectabit, hic vero offendet, aut etiam per præcipitia deferetur : sive oculus ita clauserit se, ut non videat, necesse est et ipsum perire una cum reliquis membris quæ patiuntur quæ diximus) : ita neque præfecti negligentia periculo vacat, cum judicandus sit pro omnibus, neque subditi contumacia detrimento ac damno caret, imo est magis periculosa si etiam aliis offendiculo sit. Quisquis igitur in suo ipsius loco accuratum ac diligens studium ostendit, exequiturque præ-

[1] 1 Cor. XIV, 40.

ceptum Apostoli, qui ait : « Studio non pigri [1], » alacritatis laudem obtinet : si vero negligens sit, sibi contraria asciscet, videlicet miseri cognomen, et illud, væ. « Maledic-» tus enim, inquit, omnis qui facit opera Domini negli-» genter [2]. »

INTERROGATIO XXV.

Quod præfectus qui peccantes non redarguit, horrendum subiturus sit judicium.

Responsio.

I. Quamobrem cui demandata est communis cura, is ita afficiatur, quasi qui de singulis redditurus sit rationem. Quippe si inciderit in peccatum frater unus, nec tamen antea justificationem Dei ei declararit, aut si lapsus, in eo perstiterit, quod modum emendandi se ab eo non edoctus fuerit, sciat sanguinem ipsius ex suis manibus requisitum iri [3], uti scriptum est. Et maxime, si quidquam eorum, quæ placent Deo, non ex inscitia neglexerit, sed potius ex eo quod ob assentationem ad uniuscujusque vitia sese accommodet, disciplinæ integritatem labefactarit. « Qui enim, inquit, » beatos vos dicunt, decipiunt vos, et semitam pedum ves-» trorum turbant [4]. Qui autem conturbat vos, portabit » judicium, quicumque est [5]. » Quapropter ne id nobis contingat, in iis, quæ cum fratribus habebimus colloquiis regulam apostolicam sequi debemus. « Neque enim, inquit,

[1] Rom. XII, 11. — [2] Jer. XLVIII, 10. — [3] Ezech. III, 20. — [4] Isaï. II, 12. — [5] Gal. V, 10.

» aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis : » neque in occasione avaritiæ, Deus testis est : nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab » aliis [1]. »

II. Qui ergo ab his vitiis purus est, forte ductum errationis expertem, sibique fructuosum, et se sequentibus salutarem præstare poterit. Quisquis enim vere in charitate agit, non autem propter humanos quosdam honores, neque ad vitandam delinquentium offensionem, ut eis jucundus fiat et gratus, is cum dicendi libertate sincere et pure prolaturus est sermonem, quippe qui in ulla re veritatem adulterare nolit. Quamobrem ei etiam conveniunt quæ subinde dicta sunt : « Sed facti » sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix » foveat filios suos : ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed » etiam animas nostras [2]. » Qui vero non ita sese gerit, dux est cæcus, et seipsum dat præcipitem, et sequentes simul trahit. Quantum igitur malum sit, fratri esse auctorem errandi loco recti ductus, ex dictis intelligi potest. Hoc præterea indicio est neque perfici dilectionis mandatum : siquidem nullus pater filium suum, si in foveam casurus sit, deserit, neque postquam lapsus est, eum in ruina derelinquit. Quanto autem magis horrendum sit, animam in malorum abyssum delapsam relinqui in exitio, quid jam attinet dicere? Debet igitur pro fratrum animabus vigilare, et tanquam qui rationem redditurus sit, ea quæ ad cujusque salutem faciunt, curare. Imo de his ita sollicitus esse debet, ut etiam ad mortem usque suum pro ipsis studium ostendat, non modo ob ea quæ de charitate a Domino generatim omnibus dicta sunt, nempe, « Ut animam suam ponat quis pro amicis suis [3], »

[1] 1 Thess. II, 5, 6. — [2] Ibid. 7, 8. — [3] Joan. XV, 13.

sed etiam ob peculiarem agendi rationem illius, qui dixit : « Desiderantes vos cupide, volebamus tradere vo- » bis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nos- » tras [1]. »

INTERROGATIO XXVI.

Quod omnia etiam cordis arcana sint præposito detegenda.

RESPONSIO.

UNUSQUISQUE autem eorum qui subditi sunt, si modo profectum eximium velit facere, et in ejus vitæ, quæ ex Domini nostri Jesu Christi præceptis transigitur, firmo et stabili statu versari, debet neque motum ullum animæ occultum apud seipsum servare, neque verbum ullum inconsiderate proferre, sed hisce fratribus, qui infirmis benigne et humane curandis præfecti sunt, cordis arcana aperire. Ita enim quod laudabile est, stabilitur, quod vero reprobum, congruenti remedio sanabitur : atque per mutuum hujusmodi exercitium perfectio a nobis comparabitur, facta paulatim accessione.

[1] 1 Thess. II, 8.

INTERROGATIO XXVII.

Quod ipse quoque præfectus, si quando aberret, ab his qui inter fratres primas obtinent, admonendus sit.

RESPONSIO.

Atque etiam quemadmodum præfectus in omnibus fratrum dux esse debet, ita quoque vicissim, si quando præfectus ipse delicti alicujus suspectus fuerit, ipsum commonefacere munus est reliquorum. Quamobrem ne exolvatur disciplina, iis, qui cum ætate tum prudentia præstant, danda est admonendi potestas. Si quid igitur fuerit, quod emendari operæ-pretium sit, juvabimus et fratrem, et per illum nosmetipsos, qui hunc ipsum qui veluti vitæ nostræ regula est, suaque rectitudine perversitatem nostram redarguere debet, ad rectam viam reduxerimus: sin autem temere turbati fuerint nonnulli illius causa, ipsi iis, quæ falso suspecta fuerant cognitis, certiores facti, ab ea, quam de ipso conceperant, suspicione liberantur.

INTERROGATIO XXVIII.

Quomodo oporteat affici omnes erga immorigerum et inobsequentem.

Responsio.

I. Sane cum quis segniter obedit Domini mandatis, primum quidem operæ-pretium est omnes eum tanquam membrum ægrum miserari, et præfectum suis ipsius hortamentis infirmitatis illius curationem tentare: perseverantem vero in contumacia, et emendari nolentem, acrius coram toto fratrum cœtu coarguere, eique cum omni hortatu mederi. Quod si sæpius admonitus, pudore non afficitur, neque reipsa semetipsum sanat, eum veluti sui ipsius pestem (ut est in proverbio) non quidem sine multis lacrymis ac gemitibus, sed tamen ut membrum corruptum et penitus inutile, medicorum exemplo, a communi corpore resecare debemus. Ili enim quodcumque tandem membrum insanabili morbo correptum repererint, ut ne latius lues serpat, vicinasque partes ob continuitatem corrumpat, secando urendove illud tollere soliti sunt. Quod et necesse est a nobis effici in iis, qui Domini mandata odio habent, aut impediunt; Domino ipso jubente ac dicente: « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, » et projice abs te [1]. » Quæ enim talibus tribuitur humanitas, insulsæ illi Heli benignitati est assimilis, qua erga filios suos præter Dei voluntatem usus, coarguitur [2]. Ostendere itaque ementitam erga malignos benignitatem, est verita-

[1] Matth. v, 29. — [2] 1 Reg. iii, 13.

tem prodere, insidiari communitati, et ad mala indifferenter patranda assuefacere, cum jam non fiat quod scriptum est : « Cur non magis luctum habuistis, ut tolleretur de » medio vestrum, qui hoc opus fecit[1] : » sed necessario accidit quod subditur : « Modicum fermentum totam massam » corrumpit[2]. Peccantes autem, inquit Apostolus, coram » omnibus argue, » statimque ejus rei causam affert, his verbis, « Ut et cæteri timorem habeant[3]. »

II. In summa autem quisquis medelam sibi a præposito adhibitam recusat, secum ipse pugnat. Etenim si parere non vult, sed suam tuetur voluntatem, cur tandem cum eo manet ? Cur etiam ipsum assumit vitæ suæ moderatorem ? Ubi autem quis semel in fratrum corpore numerari consensit, si judicetur vas esse ministerio idoneum, tametsi mandatum vires superare videtur, judicio in eum, qui ultra vires præcepit, rejecto, docilitatem et obedientiam ad interitum usque ostendat, memor Domini, qui « Factus est » obediens usque ad mortem, mortem autem crucis[4]. » Rebellio autem et contradictio plura mala arguit, fidei morbum, dubitationem de spe, fastum ac superbiam morum. Neque enim quisquam detrectat imperium, qui non prius contempserit consilii auctorem : neque qui credit Dei promissis, spemque firmam in eis reponit, etiamsi præcepta ardua sint et difficilia, unquam in ipsis observandis torpebit, cum sciat non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram quæ revelabitur gloriam[5]. Et cui persuasum est eum, qui sese humiliat, exaltatum iri, majorem alacritatem, quam quæ a præcipiente expectatur, ostendit, quippe qui illud non ignoret, quod momentanea afflictionis levitas mire supra modum æternum pondus gloriæ pariat[6].

[1] 1 Cor. v, 2. — [2] Ibid. 6. — [3] 1 Tim. v, 20. — [4] Philip. II, 8. — [5] Rom. VIII, 18. — [6] 2 Cor. IV, 17.

INTERROGATIO XXIX.

De eo, qui cum animi elatione, aut murmuratione agit.

RESPONSIO.

SANE opus ejus, qui murmuravit, aut extulisse se compertus est, cum operibus eorum, qui corde humiles sunt, et spiritu contriti, nequaquam commiscendum est : imo his pii nullo modo uti debent. « Nam quod hominibus al» tum est, abominatio est ante Deum [1]. » Quinetiam aliud est præceptum Apostoli, dicentis : « Neque murmuraveri» tis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab » exterminatore [2]. » Item illud : « Non ex tristitia, aut ex ne» cessitate [3]. » Quare non est admittendum talium opus, æque ac vituperabile sacrificium : quod certe nefas fuerit cæterorum operi admisceri. Si enim qui obtulerunt in altari ignem alienum, tantam iram experti sunt [4], qui, quæso, periculosum non est, opus quod ab animi affectione Deo invisa proficiscatur, ad mandata ipsius exequenda adhibere? « Quæ enim, inquit, est societas justitiam inter et » injustitiam : aut quæ pars fideli cum infideli [5]? » Idcirco ait : « Iniquus qui immolat mihi vitulum, velut qui occidit » canem : et qui offert similaginem, velut sanguinem suil» lum [6]. » Unde pigri et rebellis opera a fratrum conventu sunt necessario removenda. Atque ea in parte diligentem operam ponere præfectos par est, ut neque ipsi violent decretum illius qui dixit : « Ambulans in via immaculata,

[1] Luc. XVI, 15. — [2] 1 Cor. X, 10. — [3] 2 Cor. IX, 7. — [4] Lev. X, 1, 2. — [5] 2 Cor. VI, 14, 15. — [6] Isaï. LXVI, 3.

»hic mihi ministrabat : non habitabat in medio domus »meæ, qui faciebat superbiam [1], »neque auctores sint, ut qui præcepto admiscet peccatum, laborisque segnitie, aut animi tumore, qui ex majori industria oriatur, opus coinquinat, in sua pravitate permaneat, qui quod eo utantur, illum sua ipsius mala sentire non sinunt. Itaque et præposito persuasum sit oportet, se, nisi suo fratri, ut decet, præsit, sibi gravem atque inevitabilem iram asciscere. Nam sanguis illius requiretur de manibus ipsius [2], sicut scriptum est. Ac etiam ita comparatus sit subditus, ut nullum mandatum, ne difficillimum quidem, conficiat pigre ac segniter, cui scilicet persuasum esse debeat tribuendam sibi esse in cœlis multam mercedem. Exhilaret igitur subditum spes gloriæ, ut in omni gaudio et patientia opus Domini fiat.

INTERROGATIO XXX.

Quali animi affectione debeant præfecti fratrum curam habere.

RESPONSIO.

VICISSIM præfectum non extollat dignitas, ne ipse quoque ab ea quæ humilibus promissa est beatitudine excidat [3], aut etiam inflatus incidat in judicium diaboli [4] : sed illud pro certo habeat, plurium curam habere, esse pluribus servire. Ut igitur qui sauciis multis ministrat, detergitque singulorum vulnerum saniem, et remedia pro præ-

[1] Psal. c, 6, 7. — [2] Ezech. III, 18. — [3] Matth. v, 3, et Luc. vi, 20. — [4] I Tim. III, 6.

sentis mali natura adhibet, ex hoc ministerio nequaquam occasionem sumit elationis, sed potius humilitatis studiique ac sollicitudinis : sic multo etiam magis cui totius fratrum societatis sanandæ provincia est delegata, is ut omnium minister, et tanquam qui de omnibus rationem redditurus sit, animum attendere, et sollicitus esse debet. Hoc enim pacto assecuturus est propositum, cum Dominus dicat: « Qui vult esse inter vos primus, sit omnium novis» simus, et omnium minister[1]. »

INTERROGATIO XXXI.

Quod exhibitum a præfecto ministerium sit suscipiendum.

Responsio.

Atque officia etiam ad corpus pertinentia, quæ ab iis præstentur, qui inter fratres principatum videntur tenere, suscipienda sunt ab inferioribus. Nam humilitatis ratio et majorem, ut subserviat, admonet, et minori ostendit non ab re sibi operam dari. Nam Domini exemplum ad hoc nos deducit, qui pedes Discipulorum suorum lavare dedignatus non est, nec tamen ipsi adversus id ausi sunt resistere. Sed et qui initio ob multam reverentiam recusarat Petrus, statim ipse, inobedientiæ periculum edoctus, obedivit. Non est igitur cur metuat subditus, ne ab humilitatis proposito aberret, si quando sibi subserviat major. Sæpe enim confertur officium ad eum docendum, et ad dandum efficax exemplum magis, quam quod instans ulla necessi-

[1] Marc. IX, 34.

tas id postulet. Ostendat igitur in obedientia et imitatione humilitatem, non autem reluctans, superbiæ ac arrogantiæ opus efficiat, obtentu et simulatione humilitatis. Contradictio enim indicio est velle eum, qui repugnat, sui juris esse, neque alteri parere. Magis ergo inflationis et contemptus specimen edit, non autem humilitatis ac obedientiæ in omnibus. Quapropter necesse fuerit obedire ei qui dixit : « Supportantes invicem in charitate[1]. »

INTERROGATIO XXXII.

Quomodo oporteat erga cognatos secundum carnem affici.

RESPONSIO.

I. Iis quidem, qui semel admissi sunt inter fratres, permittere non debet præfectus, ut ad quidquam distrahantur, aut per speciem visitandorum cognatorum secedant a fratribus vitamque degant a testibus remotam, aut curis incumbant, suis secundum carnem propinquis patrocinaturi. Nam in summa, meum et tuum in fratribus dici vetat Scriptura : « Erat enim, inquit, omnium credentium cor » unum et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat[2]. » Itaque parentes alicujus vel fratres secundum carnem, siquidem secundum Deum vivunt, ab omnibus fratribus tanquam communes patres aut cognati colantur. « Quicumque enim fecerit, » inquit Dominus, voluntatem Patris mei qui in cœlis est, » hic frater meus, et soror et mater est[3]. » Sed tamen sa-

[1] Ephes. IV, 2. — [2] Act. IV, 32. — [3] Matth. XII, 50.

tius ducimus horum curam attinere ad fratrum præfectum. Quod si implicati sunt vita communi, nulla res cum eis nobis communis est, qui honestum decorumque servare et assidue Deo cohærere studemus, citra ullam mentis aberrationem. Nam præterquam quod nihil ipsis afferimus utilitatis, tumultibus etiam atque perturbatione nostram ipsorum vitam replemus, peccatorumque occasiones accersimus. Sed ne eos quidem, qui olim fuerint propinqui, acceduntque ad visitandos nos, si Dei aspernentur mandata, ac pietatis officium ducant pro nihilo, par est suscipere, ut qui Dominum non diligant, qui dixit : « Qui non » diligit me, sermones meos non servat [1]. Quæ est autem » societas justitiæ et iniquitati? aut quæ pars fideli cum » infideli [2]? »

II. Et imprimis prorsus curandum est, ut iis, qui adhuc in virtutum exercitio degunt, adimantur peccandi occasiones, quarum hæc est maxima, recordatio anteactæ vitæ, nequando ipsis contingat, quod dictum est : « Conversi sunt cordibus suis in Ægyptum [3] : » quod plerumque usuvenit, quando cum iis, qui secundum carnem propinqui sunt, crebrum ac frequens colloquium seritur. In universum autem permitti non debet, ut sive cognatus, sive externus aliquos sermones habeat cum fratribus, nisi de illis id nobis persuasum sit, ipsos ad ædificationem et animarum perfectionem in collocutionem venire. Quod si opus est eos, qui semel accesserint, alloqui, fungantur hoc munere ii, quibus concreditum est donum loquendi, tanquam iis, qui scienter possint loqui et audire, quæ ad fidei ædificationem pertineant, cum Apostolus non omnibus inesse loquendi facultatem, sed id donum paucis concessum fuisse manifeste doceat, cum dixit : « Alii enim per » Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scien-

[1] Joan. XIV, 24. — [2] 2 Cor. VI, 14, 15. — [3] Num. XIV, 4.

»tiæ [1]. » Et alio in loco, « Ut potens sit exhortari in doc»trina sana, et eos qui contradicunt, arguere [2]. »

INTERROGATIO XXXIII.

Quis sit modus colloquendi cum sororibus.

Responsio.

I. Qui semel nuptias abnegavit, abnegabit utique multo magis eas curas, quibus ait Apostolus confici maritum, quomodo scilicet placiturus sit suæ uxori, omninoque ab omni sollicitudine, quæ ad ineundam a muliere gratiam suscipitur, purgabit semetipsum, veritus judicium ejus, qui dixit : « Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus pla»cent [3]. » Quare ne cum viro quidem congredi animum inducet, ad ejus sibi conciliandam gratiam; sed ob id studium quod cuique a proximo juxta Dei præceptum debetur, necessitate exigente, cum eo in colloquium veniet. Neque vero sine ullo delectu cuilibet volenti concedenda est loquendi potestas : neque ad eam rem tempus omne, aut omnis locus idoneus est. Sed si juxta Apostoli præceptum nolumus cuiquam offendiculo esse, neque Judæis, neque Græcis, neque Ecclesiæ Dei, sed omnia decore ac ordinate, omniaque ad ædificationem perficere, necesse fuerit et personæ, et temporis, et utilitatis, et loci delectum decenter ac rite haberi : quibus omnibus vel umbra quævis suscipionis pravæ fugabitur. In omni autem agendi ratione apparebit gravitatis ac castimoniæ specimen in iis, qui probati et electi fuerint, ut se invicem invisant ac deli-

[1] I Cor. xiv, 8. — [2] Tit. i, 9. — [3] Psal. v, 2, 6.

berent de rebus Deo placentibus, sive ad corporis necessitatem, sive ad animarum curam pertineant. Sint autem non pauciores quam duo ex utraque parte. Nam persona una facile fit obnoxia suspicioni, ut ne quid amplius dicam, et ad ea quæ dicuntur, confirmanda, minus habet roboris, cum aperte declaret Scriptura in duobus aut tribus stare omne verbum [1]. Neque vero plures quam tres, ne studium sedulitatis ejus quæ propter Domini nostri Jesu Christi præceptum adhibetur, impediatur.

II. Quod si necessarium est quosdam ex aliis fratribus quidquam quod ad quempiam privatim pertineat, loqui aut audire, non hi ipsi in mutuum veniant congressum et colloquium : sed cum selectis sororibus ætate provectioribus res ipsorum tractent selecti seniores, et ita eorum opera sermo, qui necessarius fuerit, fiat. Hic autem ordo non in mulieribus solum erga viros, aut in viris erga mulieres, sed in personis etiam ejusdem sexus erga sexus ejusdem personas servetur. Hi igitur præter reliquam in omnibus pietatem ac gravitatem, sint etiam prudentes et in interrogando, et in respondendo, fidelesque et providi ad sermonem administrandum, ac impleant illud : « Disponet sermones suos in judicio [2], » sic ut simul et negotia eorum qui sese ipsorum fidei commiserint, conficiantur, et de iis, quas tractaverint, rebus nihil jam habeant dubitationis. Inserviant autem et corporis necessitatibus alii quidam, et ipsi quoque cum approbatione, qui sint et ætate provecta et habitu ac moribus graves, ut ne percutiant alicujus conscientiam per malam suspicionem : « Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia [3]? »

[1] Matth. XVIII, 16. — [2] Psal. CXI, 5. — [3] 1 Cor. X, 29.

INTERROGATIO XXXIV.

Cujusmodi esse debeant ii, qui fratribus dispensant res necessarias.

Responsio.

I. Atque etiam ex iis, qui intus res necessarias distribuunt, omnino necesse est in singulis ordinibus aliquos esse, qui eos imitari possint, a quibus efficiebatur quod dictum est in Actis : « Dividebatur singulis prout cuique » opus erat [1] : » qui curent magnopere, ut misericordes sint ac lenes erga quoslibet, neque ulli suspicionem præbeant singularis studii aut propensionis erga quosdam, juxta mandatum Apostoli, qui dixit : « Nihil faciens in alte- » ram partem declinando [2], » neque vicissim contra, jurgii et contentionis, quam idem tanquam a Christianis alienam rejicit, dicens : « Si quis videtur contentiosus esse, nos » talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ » Dei [3] : » ut horum causa, et iis, quibuscum ipsis contentio est, necessarias res subtrahant, et iis, in quos animi inclinatione propendent, plus æquo largiantur. Illud autem significationem habet odii fraterni, hoc vero amoris singularis, qui hinc maxime vituperatur, quod per eum ea, quæ e charitate oritur, concordia fugetur e fratrum cœtu, et in ipsius locum suspiciones pravæ, æmulationesque et contentiones, ac quædam ad agendum segnities succedant.

II. Quamobrem qui fratribus distribuunt necessaria,

[1] Act. iv, 35. — [2] 1 Tim. v, 21. — [3] 1 Cor. xi, 16.

tum ob ea quæ dicta sunt, tum ob alia ejusdem generis multa, quæ accidere solent, eos necesse est summe ab amore singulari et a contentione puros esse atque expurgatos. Saneque debent hujus affectus sibi ipsi conscii esse, ac studium adeo magnum ostendere, tam ipsi, quam ii, qui alio munere funguntur ad fratrum ministerium, tanquam si non hominibus, sed Domino ipsi inserviant, qui ob multam bonitatem delata iis, qui se ipsi consecrarunt, honorem et studium, perinde habet, quasi ea ipse accepisset, et pro his hæreditatem regni cœlorum pollicetur. « Venite enim, inquit, benedicti Patris mei, possidete pa» ratum vobis regnum a constitutione mundi. Nam quate» nus fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecis» tis [1] : » contraque, segnitiei et incuriæ agnoscere periculum, ac meminisse ejus, qui dixit : « Maledictus omnis qui » facit opera Domini negligenter [2]. » Etenim non e regno solum ejiciuntur, sed Domini etiam expectant sententiam illam, quæ adversus istiusmodi homines lata est, horrendam quidem et terribilem : « Discedite a me maledicti in » ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus [3]. » Quod si ii, qui in curam et ministerium incumbunt, lucrum tantum ex suo studio referunt, et judicium tam grave ex negligentia præstolantur, quanta iis, qui ministrandi munus suscipiunt, opus est sollicitudine, ut se reddant dignos, qui vocentur Domini fratres? id quod Dominus docet, cum dicit : « Quicumque enim fecerit voluntatem » Patris mei, qui in cœlis est, hic meus et frater, et soror, » et mater est [4]. »

III. Quisquis enim Dei voluntatem per totam suam vitam scopum sibi non proposuit, sic ut et in sanitate per studium operum Domini ostendat dilectionis laborem, et

[1] Matth. xxv, 34 et 40. — [2] Jer. xlviii, 10. — [3] Matth. xxv, 41. — [4] Id. xii, 50.

in infirmitate tolerantiam omnem atque lenitatem cum gaudio commonstret, is in periculo versatur. Primum quidem et maximum est, quod a Domino et a fratrum ipsius consortio sit abalienatus, quoniam separavit se ipse, cum Dei voluntatem non fecit : secundum vero, quod audet indigne particeps fieri eorum quæ dignis parata sunt. Quapropter etiam in hoc operæ-pretium est meminisse Apostoli, qui dixit : « Adjuvantes autem etiam exhortamur, ne » in vacuum gratiam Dei recipiatis [1] : » et jubemus eos qui in locum fratrum Domini vocati sunt, talem Dei gratiam contumelia non afficere, neque dignitatem tantam amittere ob neglectam Dei voluntatem, sed potius obtemperare eidem Apostolo, dicenti : « Obsecro vos ego vinctus » in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati » estis [2]. »

INTERROGATIO XXXV.

An in eodem pago construi conveniat plures fratrum conventus.

RESPONSIO.

1. HANC nobis quæstionem membrorum exemplum, quod ad multas res usurpamus, commode explanat. Quoniam igitur superius ostensum est corpori, quod ad omnem actionem pulchre ac rite aptum futurum sit et accommodatum, opus esse oculis, et lingua, et reliquis, quæcumque necessaria sunt et potissima, difficile sane, nec sine multo negotio invenitur anima quæ plurium oculus esse possit. Etenim si fratrum præfectum disciplinæ ratio postulet et

[1] 2 Cor. VI, 1. — [2] Ephes. IV, 1.

providum, et loquendi peritum, et sobrium, et misericordem, et in perfecto corde justificationes Dei requirentem, quî, quæso, fieri potest, ut hujusmodi plures in eodem pago reperiantur. Quod si tamen forte adinvenirentur aliquando duo aut tres, quod quidem non est facile factu, nec unquam factum cognovimus, longe præstabilius est, si hi inter se curam sollicitudinemque partiantur, alterque alterius laborem sublevet : videlicet ut peregre profecto altero, aut occupatione aliqua distento, aut aliis quibusdam casibus impedito, quemadmodum usuvenit, ut unus aliquis præpositus secedat nonnunquam a fratrum conventu, præsto sit alter, qui de ejus absentia ipsos consoletur. Aut si res non ita se habeat, ad conventum alium se conferat, cui opus sit moderatore. Atque etiam ad scopum quem nobis proposuimus, multum nobis prodesse potest externorum negotiorum experientia. Quemadmodum igitur artium communium periti invident artium earumdem æmulis, ipsa re latenter æmulationem vulgo ingenerante : ita etiam hoc ut plurimum accidit in hac vita. Initio enim de virtute contendentes, studentesque superare se invicem, sive in recipiendis hospitibus, sive in augendo monachorum numero, sive in aliis quibusdam ejusmodi operibus faciendis, tum demum progrediendo in rixas et jurgia delabuntur. Deinde contingit, ut peregre quidem advenientibus fratribus, oboriatur dubitatio multa difficultasque, ejus quam expectabant requiei vice ac loco, dum scilicet ita animo distrahuntur, ut nesciant ad utros accedere oporteat, quando et hos illis anteponere grave est, et tamen fieri non potest ut utrisque, maxime si festinent, fiat satis : iis vero, qui tum primum accedunt ad eamdem cum ipsis vitam agendam, non mediocrem afferent animi anxietatem, quos suæ vitæ moderatores oporteat seligi, cum omnino necesse sit, si qui deligantur, reliquos improbari.

II. Contingit igitur statim a prima die, ut ipsi ex quadam animi elatione lædantur, quod non seipsos forment ad disciplinam, sed assuescant fratrum judices fieri atque censores. Cum ergo nullum bonum certum et confessum reperiatur in divisis ac distinctis habitationibus, imo vero cum sint incommoda tot et tanta, prorsus abs re fuerit alias ab aliis separari. Quod si forte domicilium aliquod ita jam constructum sit, cito emendandum est ac reformandum, et maxime post detrimentorum experientiam. Nam in sententia sua perseverare, manifesta contentio est. « Si quis autem videtur contentiosus esse, inquit Apostolus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei [1]. » Quam enim causam dicturi sunt impedimento sibi esse, ne conjungantur? Num ob res necessarias comparandas? at paratu sunt longe faciliores in communi domicilio, cum una lucerna, et unus focus et omnia talia omnibus sufficere possint. Oportet enim, si quid aliud, etiam in his facilitatem omnimodo requiri, sic ut earum quæ necessario possidendæ sunt rerum copia imminuatur. Accedit etiam, quod in divisis habitationibus major numerus esse debeat eorum, qui necessaria fratribus extrinsecus afferunt : contra, dimidio minor in uno et eodem contubernio. Quam autem difficile sit inveniri virum, qui Christi nomen non dedecoret, sed qui suum cum externis congressum in peregrinationibus efficiat sua professione dignum, vobis, me vel tacente, notum est. Ad hæc qui sic disjuncti permanent, qua ratione possunt eos, qui in communi vivunt, ædificare, sive compellendo ad pacem, si quando opus fuerit, sive exhortando ad præcepta alia? qui quod inter se conjuncti non sunt, pravas sibimetipsis suspiciones moveant. Prætereaque audimus Apostolum ad Philippenses scribentem : « Implete gaudium meum, ut

[1] 1 Cor. XI, 16.

» idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, » idem sentientes : nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem » arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed » etiam ea quæ aliorum [1]. »

III. Quæ igitur major est humilitatis significatio, quam si fratrum præfecti alii aliorum imperio subjiciantur? Si enim pares sunt in spiritualibus donis, eos simul decertare satius est. Quemadmodum igitur ostendit nobis Dominus ipse, cum Discipulos binos et binos misit [2] : ita ex ipsis alter alteri submitti prorsus cum gaudio volet, haud immemor Domini, dicentis : « Qui se humiliat, exaltabitur [3]. » Quod si forte hic pauciora habuerit, ille plura, præstabilius est debiliorem a fortiori assumi. Atque etiam quomodo non manifeste violatur apostolicum præceptum quo dicitur : « Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed etiam » ea quæ aliorum. » Arbitror enim fieri non posse, ut hoc in divisis mansionibus recte perficiatur, cum quælibet turma pro iis, quibuscum versatur, curam singularem et propriam gerat, cæteros vero non curet : quod, ut dixi, manifeste adversatur Apostoli præcepto. Et quoniam Sancti illi, quorum frequens est mentio in Actis, idipsum plerumque testantur, de quibus scriptum est, modo quidem : « Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una [4] : » modo vero : « Omnes credentes erant in eodem loco, et » habebant omnia communia [5], » liquet nullam fuisse inter hos omnes divisionem, nec quemquam fuisse sui juris : sed omnes una et eadem cura gubernatos fuisse ; idque, etiamsi horum omnium numerus esset quinque millium : in quibus fortasse non pauca erant, quæ hominum judicio viderentur conjunctionem ac concordiam impedire. Cum autem qui

[1] Philip. II, 2-4.— [2] Marc. VI, 7.— [3] Luc. XVIII, 14. — [4] Act. IV, 32. — [5] Id. II, 1 et 44.

in singulis vicis reperiuntur, adeo illis numero inferiores sint, quæ ratio permittit ipsos a se invicem separatos esse? Utinam autem fieri posset, ut non modo qui in eodem pago simul sunt congregati, sic permanerent, sed plures etiam, qui diversis in locis constituti sunt fratrum conventus, ab una tantum cura, eorum, qui æquo in omnes animo sapienterque rebus omnium consulere possent, in spiritus consensione et pacis vinculo regerentur.

INTERROGATIO XXXVI.

De iis, qui secedunt a fratrum societate.

RESPONSIO.

SANE qui semel mutuo professi sunt victuros se simul in eodem loco, iis nequaquam licitum est indifferenter abire et secedere : quando illud quod quis in iis quæ cepit consiliis non perseveret, duabus de causis contingit, vel ex damno, quod ex communi habitatione oriatur, vel ex animi instabilitate illius, qui sententiam mutet. Qui igitur separat se a fratribus ob detrimentum, non occultet in semetipso causam, sed damnum prodat juxta modum a Domino traditum, cum dixit : « Si peccaverit frater tuus, vade, corripe ipsum inter te et ipsum solum [1], etc. » Et quidem si id quod postulat, emendetur, et fratres lucratus est, nec ipsorum societatem ignominia afficit : sin eos in malo perseverare, nec emendationem admittere viderit, iis qui de rebus ejusmodi judicare possint, indicabit, et ita demum adhibitis plurium testimoniis secedat. Jam autem non separabitur a fratribus, sed ab alienis, cum Dominus homi-

[1] Matth. XVIII, 15.

nem in malo permanentem ethnico et publicano comparet. « Qui enim, inquit, ejusmodi est, sit tibi sicut ethnicus et » publicanus [1]. » Quod si subducit se a fratrum consortio sua ipsius levitate, suam infirmitatem curet : aut si nolit, a fratribus non admittatur. Cæterum si alius alio trahatur propter Domini mandatum, tales non submovent se, sed munere ac ministerio suo funguntur. Aliam præterea causam, ob quam separandi sint fratres, ratio non admittit. Primum quidem, quoniam nomini Domini nostri Jesu Christi quod ipsos conjunxit, infertur dedecus : deinde, quoniam uniuscujusque conscientia erga alterum pura esse non poterit, sed mutua futura est inter illos suspicio. Hoc autem aperte pugnat cum præcepto Domini, qui ait : « Si » offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia » frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus » tuum ante altare, et vade, prius reconciliare fratri tuo : » et tunc veniens offer munus tuum [2]. »

INTERROGATIO XXXVII.

An precum et psalmodiæ obtentu et nomine opera sint negligenda, et quæ tempora precationi sint idonea : et primum an oporteat operari.

Responsio.

I. Cum Dominus noster Jesus Christus dicat : « Dignus » est » non simpliciter, neque indiscriminatim quilibet, sed « Operarius cibo suo [3] : » Apostolus vero jubeat laborare, bonumque propriis manibus efficere [4], ut unde tribuamus

[1] Matth. xviii, 17. — [2] Id. v, 23, 24. — [3] Id. x, 10. — [4] Ephes. iv, 28.

egenti, habeamus, diligenter laborandum esse, re ipsa liquet. Neque enim pietatis scopum ceu segnitiei prætextum et laboris fugam ducere oportet : sed ceu certaminis, majorisque laboris ac nostræ in afflictionibus tolerantiæ materiam et occasionem, ut et nobis dicere liceat : « In labore » et ærumna, in vigiliis abundantius, in fame et siti [1]. » Quippe non ob corporis castigationem modo, sed etiam propter charitatem erga proximum, utilis nobis est hujusmodi vitæ ratio, ut et infirmis fratribus per nos Deus suppeditet necessaria, juxta formam in Actis ab Apostolo traditam, cum ait : « Omnia ostendi vobis, quoniam sic labo» rantes, oportet suscipere infirmos [2]. » Et rursus : « Ut ha» beatis unde tribuatis egenti [3], » quo digni judicemur, qui audiamus : « Venite benedicti Patris mei, possidete para» tum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, » et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bi» bere [4]. »

II. Et quidem quantum sit otii malum, quid attinet memorare, cum Apostolus aperte præcipiat, ut qui non laborat, neque etiam manducet [5]? Quemadmodum igitur necessarium est unicuique quotidianum alimentum : ita quoque labor pro viribus necessarius est. Neque enim temere Salomon laudis loco scripsit illud, « Panem otiosa non co» medit [6]. » Et rursus Apostolus de seipso ait : « Neque gra» tis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fa» tigatione nocte et die laborantes [7], » quanquam sibi, utpote Evangelium prædicanti, ex Evangelio vivere liceret. Quin et Dominus cum malitia conjunxit pigritiam, dicens : « Serve male et piger [8]. » Sed et sapiens Salomon non ex iis solum, quæ jam memorata sunt, operantem laudat, sed

[1] 2 Cor. XI, 27. — [2] Act. XX. 35. — [3] Ephes. IV, 28. — [4] Matth. XXV, 34, 35. — [5] 2 Thess. III, 10. — [6] Prov. XXXI, 27. — [7] 2 Thess. III, 8. — [8] Matth. XXV, 26,

redarguit etiam pigrum comparatione tenuissimorum animalium, cum ait : « Vade ad formicam, o piger [1]. » Quare metuendum est ne forte et hoc nobis in judicii die objiciatur, cum qui nobis facultatem operandi dedit, opera huic facultati convenientia a nobis exiget. « Etenim cui, » inquit, commendaverunt multum, plus petent ab eo [2]. » Quoniam autem precum et psalmodiæ obtentu nonnulli opera refugiunt, sciendum est in aliis quidem quibusdam rebus proprium esse cujusque rei tempus, juxta Ecclesiasten, qui dixit : « Omni negotio tempus est [3] : » sed precationi et psalmodiæ sicut et pluribus aliis rebus nullum non tempus idoneum esse, ita ut interea dum admovemus manus ad opera, modo quidem ipsa lingua (quando id fieri potest, aut conducit potius ad fidei ædificationem,) sin minus, corde in Psalmis et hymnis et canticis spiritualibus Deum collaudemus [4], uti scriptum est, et ita inter operandum precationem expleamus, gratias quidem agentes ei, qui et manuum vires ad conficienda opera, et mentis solertiam ad cognitionem comparandam suppeditavit, quique materiam largitus est, tam eam quæ in instrumentis, quam eam quæ in excultis a nobis artibus adhibetur, precantes vero, ut huc spectent manuum nostrarum opera, ut Deo placeamus.

III. Hoc modo etiam mentem a vanis cogitationibus avocamus, cum in qualibet actione a Deo exposcimus et felicem operis successum, et ei qui vim agendi impertivit, rependimus gratias, cumque, uti antea dictum, propositum ei placendi custodimus. Etenim nisi hæc ita se habeant, qui fieri potest, ut cohæreant inter se quæ ab Apostolo dicta sunt? et illud videlicet, « Sine intermissione orate [5] : » et illud, « Nocte et die operantes [6]. » Neque vero, quoniam gra-

[1] Prov. VI, 6. — [2] Luc. XII, 48. — [3] Eccl. III, 1, et VIII, 6. — [4] Coloss. III, 16. — [5] 1 Thess. V, 17. — [6] 2 Thess. III, 8.

tiarum actio lege etiam præcepta est omni tempore, eamque vitæ nostræ necessariam esse et ex natura et ex ratione commonstratum est, idcirco oportet precationum tempora in fratrum conventibus constituta negligere, quæ necessario delegimus, quod eorum quodlibet accepta a Deo beneficia singulari quodam modo in memoriam revocet. Matutinum quidem, ut animi ac mentis nostræ primi motus Deo consecrentur, et nihil aliud prius curandum suscipiamus, quam exhilarati fuerimus Dei cogitatione, sicut scriptum est : « Memor fui Dei et delectatus sum [1] : » neque corpus ante admoveatur operi, quam effecerimus quod dictum est : « Ad te orabo, Domine, mane exaudies » vocem meam. Mane astabo tibi, et videbo [2]. » Rursus vero tertia hora surgatur ad precandum, fratresque convocentur, etiamsi divisi alii aliis operibus fuerint occupati, et ita Spiritus donum circa tertiam horam Apostolis collatum in memoriam redigentes omnes uno eodemque animo illum venerentur, ut ipsi quoque fiant digni, quibus sanctitas conferatur, simulque petant, ut dux sit itineris, ac ea quæ utilia sunt, edoceat, juxta eum, qui dixit : « Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me [3]. » Et alibi : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam [4], » sicque rursus incumbamus operibus.

IV. Quod si forte aliqui propter operum aut locorum naturam longius abfuerint, illic sine ulla hæsitatione singula quæ communiter statuta sunt, exequi necessario debent. « Nam si, inquit Dominus, duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum [5]. » Sexta

[1] Psal. LXXVI, 4. — [2] Id. V, 4, 5. — [3] Id. L, 12-14. — [4] Id. CXLII, 10. — [5] Matth. XVIII, 20.

quoque hora necessariam esse precationem, Sanctorum exemplo, judicavimus : qui dicunt, «Vespere et mane et me» ridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam[1].» Et ut liberemur ab incursu et dæmonio meridiano, etiam eodem tempore recitetur nonagesimus Psalmus. Nonam autem horam ad orandum necessariam esse, Apostoli ipsi nobis prodidere in Actis, in quibus narrantur Petrus et Joannes ascendisse in templum « Ad horam orationis no» nam [2]. » Jam completa die, de iis quæ in ipsa data sunt nobis, aut recte a nobis gesta sunt, persolvantur gratiæ, itemque ea, quæ prætermissa sunt, confiteamur : quippe sive voluntarium, sive non voluntarium, sive etiam latens peccatum admissum est, aut in verbis, aut in factis, aut in ipso corde, Deum de his omnibus per preces placamus. Prodest enim plurimum præterita considerare, ut ne rursus in similia delabamur. Quapropter inquit : « Quæ dicitis » in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini[3]. »

V. Ac rursus, nocte incipiente, petendum est, ut inoffensa et a visis libera requie fruamur : qua hora etiam nonagesimus Psalmus necessario dicatur. Mediam autem noctem nobis ad orandum necessariam esse tradiderunt Paulus et Silas, quemadmodum Actorum historia declarat, his verbis : « Media autem nocte Paulus et Silas laubabant Deum [4]. » Et Psalmista, cum ait : « Media nocte surgebam ad confi» tendum tibi, super judicia justitiæ tuæ [5]. » Et rursus antevertere diluculum par est, et ad precationem exurgere, ne in somno ac cubili a die deprehendamur, juxta eum qui dixit : « Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer » eloquia tua [6]. » Ex quibus temporibus nullum est negligendum ab iis, qui diligenter ad Dei et Christi ipsius gloriam vivere instituerunt. Diversitatem autem atque varie-

[1] Psal. LIV, 18. — [2] Act. III, 1. — [3] Psal. IV, 5. — [4] Act. XVI, 25. — [5] Psal. CXVIII, 62. — [6] Ibid. 148.

tatem in precibus et in psalmodia, quæ statis horis fiunt, utilem esse arbitror, quod in æquabilitate quidem torpescat sæpe nescio quomodo animus, atque præsens absens est. Mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur ejus desiderium, et attentio instauratur.


INTERROGATIO XXXVIII.

Cum abunde tuo nos sermone docueris, et precationem omitti nullo modo posse, laboremque necessarium esse: reliquum est jam, ut doceamur, quæ artes professioni nostræ conveniant.

Responsio.

Speciatim quidem artes aliquas decernere facile non est, quod aliæ apud alios requirantur juxta locorum naturam, et negotiationum, quæ in singulis regionibus fiunt, commoditatem. In universum tamen ita harum delectus designari potest, ut eæ exerceantur, quæcumque vitæ nostræ servant quietem atque tranquillitatem, et quæ neque indigent negotio multo ad suam ipsarum materiam parandam, neque multa sollicitudine, ad ea quæ facta sunt divendenda, quæque neque virorum neque mulierum indecoros congressus nobis conciliant, aut noxios : siquidem peculiarem scopum nobis in omnibus propositum esse existimandum est, simplicitatem scilicet atque vilitatem ; nobisque cavendum, ne stultis ac noxiis hominum cupiditatibus inserviamus, iis efficiendis, quæ ipsis in studio esse solent. Quare in textoria quidem, id quod in vitæ consuetudine versatur, non quod ad juvenes captandos ac laqueis irretiendos ab impuris quibusdam excogitatum est, a nobis assumi debet.

Similiter quoque in sutoria, in iis solum rebus quæ ad necessarium vitæ usum requiruntur, per artem operam nostram ponamus. Architectura vero, et ars lignaria, et æraria, et agricultura, ipsæ quidem per se necessariæ sunt vitæ, multumque afferunt utilitatis, nec speciali ratione a nobis rejiciendæ sunt : sed tamen quandocumque aut nobis creant tumultum, aut conjunctionem vitæ fratrum distrahunt, illas tunc necesse est vitare; cum eas artes anteponere debeamus, quæ neque vitam nostram distrahant, neque impedimento sint, quominus assidua Domini præsentia servetur, et quæ neque a tempore aut psalmodiæ, aut precationis, aut reliquæ disciplinæ avocent eos, qui in pietatis exercitio insistunt. Quare si quando in eis nihil insit, quod præcipuo vitæ nostræ instituto noceat, hæ plurimis aliis anteponendæ sunt, et maxime agricultura, cum per se comparet necessaria, liberetque a longiore vagatione agricolas, impediatque quominus discurrant huc et illuc, si modo, ut diximus, neque a vicinis, neque a contubernalibus tumultus nobis et turbas excitet.



INTERROGATIO XXXIX.

Quomodo opera sint vendenda, suscipiendaque peregrinatio.

Responsio.

Atque in eo etiam ponendum studium est, ne opera procul divendamus, neve nos ipsos vendendi causa demus in publicum. Convenientius enim fuerit in uno eodemque loco commorari, utiliusque, tum ad mutuam ædificationem, tum ad perfectam quotidiani victus conservationem.

Quare malimus detrahi aliquid de pretio, quam modici lucri gratia extra terminos abire. Quod si id fieri non posse docuerit experientia, operæ-pretium est, ne peregrinatio sit nobis infructuosa, et loca et civitates piorum virorum seligere, atque multos fratres, quorum singuli sua ipsorum opera exportent, ad eos qui designabuntur conventus simul concurrere; simulque proficisci, ut cum Psalmis, precibusque, et mutua ædificatione iter conficiant. Cum autem pervenerint ad locum, eligant eadem diversoria, tum mutuæ custodiæ gratia, tum ut nullum precandi tempus, neque diurnum, neque nocturnum nos effugiat, tum ut unusquisque ex hominum intractabilium et avarorum congressu minus detrimentum accipiat, si sit cum pluribus, quam si solus esset. Nam vel injuriosissimi nolunt suæ injustitiæ testes multos habere.

INTERROGATIO XL.

De nundinis, quæ fiant in conventibus.

RESPONSIO.

VERUMENIMVERO ne eas quidem nundinationes quæ in locis, ubi martyres coluntur, fiunt, nobis convenire ostendit Scriptura. Non enim alius cujusquam rei gratia in martyriis aut locis adjacentibus decet Christianos reperiri, quam orandi causa, et ut Sanctorum constantiam, qui pro pietate ad mortem usque decertarunt, in memoriam revocantes, ad similem æmulationem incitentur, meminerintque perquam horrendæ iræ Domini, qui cum et semper et ubique mitis esset et humilis corde, uti Scriptum est, in eos solos, qui circum templum vendebant, emebantque,

flagellum intendit, tanquam si mercatura precationis domum in latronum speluncam transmutasset[1]. Neque vero, quoniam alii jam eam, quæ apud Sanctos obtinebat, consuetudinem violavere, qui cum pro se invicem orare debuissent, et una cum pluribus Deum adorare, et cum lacrymis implorare, ipsumque pro peccatis propitium reddere, gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis sese ædificare (quod adhuc nostra etiam memoria usitatum et observatum fuisse novimus), pro his omnibus forum, nundinasque, ac commune emporium et tempus illud et locum efficiunt, continuo nos etiam hos imitari par est, ejusque rei participatione absurda et inepta confirmare : sed nobis eos conventus ad imitandum proponere debemus, qui de Domino nostro in Evangeliis narrantur, Apostolique mandata, tanquam quæ ad hanc agendi rationem conducant, perficere. Ita autem scribit : « Cum convenitis, unusquisque » vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim » habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad » ædificationem fiant[2]. »

INTERROGATIO XLI.

De auctoritate et obedientia.

Responsio.

I. Sane in his ipsis, quæ concessæ sunt, artibus, nequaquam permittendum est unicuique, ut eam, quam callet, aut discere vult, exerceat : sed eam, ad quam judicabitur idoneus. Nam qui se ipse abnegavit, seque spoliavit omnibus suis voluntatibus, non quod vult, facit, sed quod do-

[1] Joan. II, 15. — [2] I Cor. XIV, 26.

cetur. Neque vero ratio sinit eum a semetipso quod utile est deligere, qui semel semetipsum aliis gubernandum tradiderit, qui ad quodcumque eum in nomine Domini idoneum cognoverint, ad id destinabunt ipsum. Quisquis enim in opere deligendo cupiditati suæ obsequitur, insimulat se ipse. Primum quidem, quod placeat sibi ipsi : deinde, quod aut propter gloriam mundanam, aut propter spem lucri, aut propter aliquid hujusmodi, ad hanc autem propendeat, aut quod laborem leviorem anteponat ob segnitiem atque socordiam. Cum autem quis in his vitiis versatur, argumentum est nondum hunc a cupiditatum malignitate liberum esse. Neque vero se abnegavit, qui suis inservire vult affectibus, neque remisit nuntium mundi negotiis, cum adhuc lucri et gloriæ desiderio teneatur. Neque etiam mortificavit membra sua terrestria, qui non sustinet operum laborem : sed potius præ se fert arrogantem esse se et contumacem, ut qui suum unius judicium melius esse ducat et præstantius plurium sententia. Sive igitur tenet quis artem a communitate haud improbatam, eam deserere non debet (est enim animi inconstantis, et mentis incertæ, nihili facere præsentia) sive non habet, sibi ipsi ne sumat, sed quod a majoribus probatum est, suscipiat, ut in omnibus obedientia servetur. Quemadmodum autem sibi ipsi delectum permittere, indecorum esse monstratum est : ita quoque rem ab aliis approbatam non suscipere, probro vertitur. Imo etiam si quis habeat artem, non placeat autem ejus usus fraternitati, abjiciat ipsam prompto animo, seque nullius rei mundanæ studiosum esse ostendat. Nam facere quidem cogitationum voluntates, ejus est qui spem non habet[1], juxta Apostoli sententiam : sed exhibita in omnibus obedientia, quiddam est laude dignum, cum idem Apostolus aliquos laudet, quod seipsos dederint

[1] 1 Thess. IV, 12.

primum Domino, deinde etiam nobis per voluntatem Dei [1].

II. Cæterum unumquemque oportet operi suo intentum esse, eique animo alacri et studioso incumbere, et velut Deo inspectore, impigro studio et attentiore diligentia illud inculpate exercere, ut semper dicere possit : « Ecce sicut » oculi servorum in manibus dominorum suorum : ita oculi » nostri ad Dominum Deum nostrum [2] : » non autem ab alia ad aliam transite. Nec enim natura nostra pluribus simul muneribus fungi potest, ideoque unam artem accurate factitare, quam multas imperfecte attingere, utilius est. Etenim si distrahant plura, et ex alio ad aliud transeamus, præterquam quod nullum opus absolvitur, inde etiam animi levitas, si jam inest, redarguitur, aut si nondum fuerit, ingeneratur. Quod si ita aliquando necessitas postulet, par est eum, qui idoneus est, aliis etiam artibus suppetias venire : neque id a semetipso, sed si quando invitatus sit, sic ut id nequaquam faciamus nostro primo consilio, sed casu quodam urgente, quemadmodum et in corporis membris fit, quando, titubante pede, manu innitimur. Et rursus, quemadmodum a seipso artem aggredi detrimentosum est : sic detrectare imperata, dignum est reprehensione : quod fiat, ne alatur arrogantiæ vitium; neve obedientiæ et docilitatis regula dissolvatur. Cæterum instrumentorum cura præcipue ad cujusque artis opificem attinet. Quod si forte aliquando contigerit, ut aliquod negligatur, ea res tanquam quæ omnium communis sit, ita convenienti modo ab iis curari debet qui id primi animadverterint. Etsi enim ipsorum usus quorumdam sit proprius, tamen quæ ex his percipitur utilitas, communis est. Contemnere enim alterius artis instrumenta, veluti nihil ad se spectantia, ejus est, qui ea pro alienis habet. Neque vero eos, qui artes

[1] 2 Cor. VIII, 5. — [2] Psal. CXXII, 2.

tractant, decet sibi vindicare instrumentorum dominium, ita ut aut fratrum præfecto potestatem non faciant his utendi ad quam ipse cumque rem velit, aut sibi ipsis libertatem dent ea vendendi, aut permutandi, aut alio quovis modo tradendi, aut alia præter ea quæ habent, comparandi. Qui enim semel ita statuit, se ne suarum quidem manuum dominum esse, sed qui potius earum opera alteri regenda commisit, quomodo convenienter suo instituto faciet qui ejusmodo est, si summum jus obtineat in artis instrumenta, et in his dominii dignitatem usurpet?


INTERROGATIO XLII.

Quo consilio et quo animo ii, qui laborant, laborare debeant.

RESPONSIO.

I Atque illud etiam nosse operæ-pretium est eum, qui laborat, labori incumbere debere, non ut per opera suis inserviat necessitatibus, sed ut Domini præceptum impleat, qui dixit : « Esurivi, et dedistis mihi manducare[1], etc. » Nam pro se ipso sollicitum esse omnino a Domino prohibitum est, cum dixit : « Ne solliciti sitis animæ vestræ quid » manducetis, neque corpori vestro quid induamini[2] : » item cum subjungit : « Hæc enim omnia gentes inquirunt[3]. » Quamobrem in opere suscipiendo huc quisque spectare debet, ut sublevet indigentes opera sua, non autem, ut commodis suis serviat. Ita enim non accusabitur de sui ipsius amore, atque fraternæ charitatis benedictionem a Domino accipiet, qui ait : « Quatenus fecistis uni ex his fratri-


[1] Matth. xxv, 35. — [2] Id. vi, 25. — [3] Ibid. 32.



» bus meis minimis, mihi fecistis [1]. » Nec quisquam Apostoli verba sententiæ nostræ adversari existimet, qui dicit : « Ut » operantes suum panem manducent. » Hoc enim ad inordinatos dictum est, et ad segnes, perinde ac si ipsis diceret præstabilius esse unumquemque sibi victum parare, nec aliis gravem esse, quam vitam in otio traducere. « Audimus » enim, inquit, quosdam inter vos esse inordinate ambu- » lantes, nihil operantes, sed curiose agentes : iis autem qui sunt ejusmodi, inquit, denuntiamus, et obsecramus, ut cum quiete operantes, suum panem manducent [2]. » Et illud : « Nocte autem et die operantes, ne gravaremus » quempiam [3], » eodem pertinet, quandoquidem Apostolus fraternæ charitatis causa ad inordinatos excindendos sese laboribus ultra quam sibi præscriptum fuerat, subjiciebat. Cæterum ejus, qui ad perfectionem festinat, est noctem et diem operari, ut possit impartiri ei qui opus habuerit [4].

II. Quisquis enim in seipso, aut in eo etiam, qui distribuendarum rerum necessariarum curam suscepit, spem suam collocat, aut suum, aut contubernalis sui opus subsidium sibi esse ad vitam degendam sufficiens existimat, is, quatenus spem reponit in homine, venit in periculum, ne incidat in maledictionem, qua dicitur : « Maledictus » homo qui spem habet in homine, et fulciet carnem bra- » chii sui : et a Domino recedet anima ejus [5]. » Scriptura enim illis quidem verbis : « Qui spem habet in homine, » in alterum spem conferre, his vero, « Et fulciet carnem bra- » chii sui, » in seipso confidere vetat. Horum autem utrumque nominatur defectio a Domino. Imo etiam adjungitur utriusque exitus : « Quia erit quasi sylvestris myrica in » deserto, et non videbit quando venerint bona [6]. » Ostendit

[1] Matth. xxv, 40. — [2] 2 Thess. III, 11, 12. — [3] Ibid. 8. — [4] Ephes. IV, 28. — [5] Jer. XVII, 5. — [6] Ibid. 6.



videlicet Scriptura spem aut in se, aut in alio quovis repositam, defectionem a Domino esse.

INTERROGATIO XLIII.

Modus qui servandus sit in faciendis operibus, abunde fuit nobis explicatus : prætereaque si quid forte reliquum esset, id invenire ipso rerum usu doceremur. Jam vero id ut exponas, rogamus, quales scilicet esse oporteat fratrum præfectos, aut quomodo suos contubernales gubernare debeant.

Responsio.

I. Dictum quidem est quasi in summa de hac etiam parte : quoniam tamen haud immerito partem hanc vobis amplius explanari vultis (nam qualis fuerit præfectus et princeps, tales plerumque fieri solent et subditi) ipsam necesse est non obiter ac oscitanter prætermittere. Oportet igitur ut is, qui præfectus est, memor præcepti Apostoli, qui ait : « Exemplum esto fidelium [1], » vitam suam efficiat cujuscumque præcepti Domini evidens exemplum, ut videlicet iis, qui a se docendi sunt, causam nullam relinquat, cur Domini mandatum tale esse putent, quod aut fieri non possit, aut quod contemni debeat. Initio igitur primum hoc est ; nimirum in charitate Christi ita excolenda est ab eo humilitas, ut, vel ipso tacente, operum suorum exemplum ad docendum proponatur sermone quovis efficacius. Etenim si hæc est Christianismi meta, imitatio Christi juxta humanitatis mensuram, prout convenit uniuscujusque vocationi, ii quibus credita est plurium regendorum

[1] 1 Tim. iv, 12.

cura, infirmiores sua ipsorum opera ad imitandum Christum promovere debent, juxta beatum Paulum, qui dicit : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi [1]. »

II. Proinde servando eo, qui a Domino nostro Jesu Christo traditus est, humilitatis modo, ipsos primos accuratum et omnibus numeris absolutum exemplar fieri operæ-pretium est. « Discite enim a me, inquit, quia mitis sum » et humilis corde [2]. » Morum igitur mansuetudo, et humilitas cordis, characterem præpositi atque insigne constituant. Si enim Dominus servis suis ministrare non erubuit, sed voluit servus esse terræ, et luti, quod finxit ipse, et in hominem conflavit : « Ego enim, inquit, in medio vestrum » sum, sicut qui ministrat [3], » quid æqualium nostrorum causa facere par est, ut existimare possimus assecutos nos illum imitatione fuisse? Hoc igitur unum est, quo maxime præditum esse præfectum oportet. Tum misericordem esse, et eos, qui inexperti officiorum aliquid omiserint, patienter sufferentem, non prætereuntem silentio peccata, sed rebelles tolerantem leniter, medelamque cum omni clementia atque moderatione eis adhibentem. Item idoneum esse, qui remedii modum morbo convenientem excogitet, non autem aspere increpantem, sed cum mansuetudine commonefacientem [4], atque erudientem, uti scriptum est, pervigilem in administrandis rebus præsentibus, providum futurorum, peritum decertandi cum fortibus, et debilium infirmitates perferendi, talem, qui omnia et facere et dicere possit ad eorum, qui secum degunt, perfectionem. Præfecturam non sibi sumentem, sed qui delectus sit ab iis, qui primas obtinent in aliis fratrum conventibus, et qui in vita anteacta morum suorum specimen sufficiens ediderit. « Et hi enim, inquit, probentur primum, deinde minis-

[1] 1 Cor. XI, 1. — [2] Matth. XI, 29. — [3] Luc. XXII, 27. — [4] 2 Tim. II, 24, 25.

» trent, nullum crimen habentes[1]. » Sic qui ejusmodi est, accipiat præfecturam, instituatque inter fratres disciplinam, et opera, prout unusquisque idoneus est, dispertiatur.

INTERROGATIO XLIV.

Quibus permittendæ sint peregrinationes, et quomodo, ubi redierint, sint interrogandi.

Responsio.

I. Peregrinandi detur facultas ei, qui citra animæ suæ detrimentum, et cum utilitate eorum, quibuscum graditur, iter perficere possit. Nam si nemo idoneus affuerit, præstat in rerum necessariarum penuria afflictionem omnem atque angustiam vel ad mortem usque perpeti, quam corporalis levamenti causa certissimum animæ detrimentum negligere. « Bonum est enim mihi, inquit Apostolus, » magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet[2] : » et hoc in iis, quæ liberum est omittere, quanto igitur magis in his, quæ præcepta sunt? Quanquam etiam huic ipsi incommodo medetur lex charitatis. Si enim contigerit, ut in uno fratrum conventu desit, qui commode mitti possit, ii qui propinqui sunt, supplebunt quod deerit, iter facientes simul, nec unquam a se invicem disjungentur, ut tam qui infirmi sunt anima, quam qui corpore etiam debiles sunt, ii sic cum fortioribus conjuncti, incolumes serventur. Atque hoc longe antea a præposito constitutum sit, ne postea in ipso necessitatis articulo remedium ullum, quod per temporis angustias adhibere liceat, nanciscatur. Cæte-

[1] 1 Tim. III, 10. — [2] 1 Cor. IX, 15.

rum præfectus post reditum viatorem percontetur, quid egerit, in quorum hominum venerit congressum, quos cum eis sermones habuerit, quid versaverit animo, num diem totam, totamque noctem exegerit in timore Dei, an prævaricatus sit, et aliquid violaverit eorum quæ statuta sunt, aut externis incommodis victus, aut sua ipsius segnitie dilapsus.

II. Et quod quidem recte gestum est, laudando confirmet : in quo vero deliquit, id corrigat diligenti ac perita adhortatione. Ita enim et peregre proficiscentur, vigilantiores erunt, si itineris rationem reddere cogantur, et nos ne in separationis quidem tempore vitam ipsorum negligere videbimur. Hoc autem et Sanctis familiare fuisse, Actorum historia tradit, ubi docet, quemadmodum Petrus Jerosolymam reversus, aliis illic commorantibus, rationem reddiderit societatis ejus, quæ sibi fuisset cum gentibus [1] : similiterque, quemadmodum Paulus et Barnabas reversi, coacta Ecclesia, annuntiaverint quæ cum ipsis fecisset Deus. Et rursus, quod siluerit universa multitudo, et audierit Barnabam et Paulum, qui narrabant quæcumque Deus fecisset per ipsos [2]. Illud autem nosse oportet, itiones, negotiationesque et quæstus cauponios fratribus omni modo fugiendos esse.

[1] Act. XI, 5. — [2] Id. XV, 12.

INTERROGATIO XLV.

Quod oportet post præfectum etiam alium aliquem esse, qui possit, eo absente, aut occupatione aliquã distento, fratrum curam suscipere.

Responsio.

I. Quandoquidem usuvenit non raro, ut vel propter corporis infirmitatem, vel peregrinandi necessitatem, vel ob alium quemvis casum, præfectus absit a fratrum conventu, etiam aliquis alius cum approbatione tam ipsius, quam aliorum qui approbandi periti sint, ad hoc delectus sit, ut, eo absente, suscipiat fratrum curam, sic ut etiam præsentes unus aliquis sermone adhortetur soleturque, non autem fratres, absente præposito, formam status popularis assumant, ad regulæ et traditæ disciplinæ dissolutionem, et quæcumque approbata sunt et recepta, ad Dei gloriam observentur : ut etiam adsit qui advenientibus hospitibus prudenter respondeat, ut et qui sermonem requirunt, ædificentur pro argumenti dignitate, nec tamen fratrum communitas confundatur. Etenim si omnes æqualiter accurrant ad dicendum, id tumultus causa est, et perturbatæ disciplinæ signum ; cum Apostolus ne eos quidem, qui docendi munere donati sunt, plures simul loqui sinat, ubi dicit : « Quod si alii revelatum fuerit, prior taceat [1]. » Et rursus hujusce perturbationis ineptiam coarguit, his verbis : « Si ergo convenerit universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intraverint autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent quod insanitis [2] ? »

[1] 1 Cor. xiv, 30. — [2] Ibid. 23.

II. Quod si ex ignorantia alium interroget hospes; quanquam qui alterius loco interrogatus est, copiose respondere possit, sileat tamen ipse disciplinæ servandæ causa, eumque cui hæc provincia data est ostendat, uti coram Domino fecere Apostoli, idque, ut recte decenterque sermone utamur. Etenim si in sanandis corporibus non est cujusvis aut medicamento, aut ferro uti ad infirmos curandos, sed illius, qui et longo tempore et experientia, et curationum exercitio, et peritorum documentis artem hanc assecutus sit, quomodo par fuerit quoslibet ad curationem eam, quæ per sermonem adhibetur, indiscriminatim prosilire? Qua in re quod etiam minimum est, si negligatur, maximum detrimentum affert. Enimvero apud quos ne panis quidem distributio quibuslibet permittitur, sed ejusmodi munus ad quemdam, qui cum approbatione huic rei præpositus sit, pertinet, quomodo non cum delectu ac cautione multo majore alimentum spirituale petentibus dandum est ab aliquo, qui ad id magis idoneus sit. Quare non est arrogantiæ vulgaris, aliquem de Dei judicio interrogatum tam audacter tamque temere respondere audere, neque eum, cui sermonis dispensandi partes traditæ sunt, indicare : qui cum sit omnino fidelis ac prudens dispensator, et ad spiritualem escam in tempore distribuendam electus est [1], et, ut scriptum est, ad suos sermones in judicio dispensandos [2]. Quod si quidpiam fugiat eum, qui respondere debet, noverit vero alter, non statim ipsum redarguere festinet, sed privatim quod sibi visum est, suggerat. Hæc enim causa est inferioribus efferendi se adversum superiores. Quare etiamsi quis responderit utiliter, sed præter officium, pœnis perturbatæ disciplinæ obnoxius est.

[1] Luc. XII, 42. — [2] Psal. CXI, 5.

INTERROGATIO XLVI.

Quod non debet quisquam fratri, aut sibi ipsi peccata occultare.

RESPONSIO.

PECCATUM omne præfecto declarari oportet, sive ab eo ipso qui peccavit, sive ab iis, qui conscii sunt, si ipsi non possint mederi, uti a Domino præceptum est. Enimvero vitium silentio dissimulatum morbus est in animo oblitescens. Ut igitur eum de nobis bene meritum esse non dixerimus, qui exitiosa mala in corpore includeret, sed eum potius, qui ea afficiendo dolore, et incidendo proferret in apertum, ut aut per vomitum rejiceretur quod noxium est, aut tandem morbo jam detecto, modus curandi facile cognosceretur; ita utique peccatum occultare, est consciscere mortem ægrotanti. « Nam, inquit, stimulus mortis »peccatum [1]. Objurgationes autem apertæ, meliores sunt »amicitia abscondita [2]. » Itaque alter alteri non occultet peccatum, ut ne fratricida pro fratris amatore evadat, neque ipse sibi ipsi. « Qui enim, inquit, non medetur sibi in »operibus suis, frater est perdentis seipsum [3]. »

[1] 1 Cor. xv, 56. — [2] Prov. xxvii, 5. — [3] Id. xviii, 9.

INTERROGATIO XLVII.

De iis, qui non admittunt ea quæ a præposito constituta sunt.

RESPONSIO.

Cum quis præpositi statuta non admittit, debet aperte vel privatim ei contradicere, si modo suppetat ipsi valida aliqua ratio, eaque Scripturis consentanea, vel silentio mandatum conficere. Quod si eum pudeat, ad hoc adhibeat alios quosdam internuntios, ut si hoc mandatum Scripturæ adversetur, ipse et seipsum, et suos fratres a noxa eximat : sin autem liqueat illud a recta ratione alienum non esse, se a vana ac periculosa inquisitione liberet. « Qui » enim hæsitat, inquit, si manducaverit, condemnatus est : » quia non ex fide [1] : » et ut simplicioribus nullam infringendæ obedientiæ occasionem det. « Expedit enim, inquit » Dominus, ut suspendatur mola asinaria circa collum ejus, » et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de » pusillis istis [2]. » Quod si quipiam perseveraverint in contumacia, clanculum quidem queribundi, sed non detegentes tamen mœrorem, tanquam disceptationis inter fratres exortæ auctores, et perinde ac si certissimam mandatorum auctoritatem concussissent, essentque rebellionis et inobedientiæ magistri, e fratrum conventu amandentur. « Ejice » enim, inquit, pestilentem ex concilio, et exibit cum eo » jurgium [3]. » Et rursus : « Expellite pravum a vobis ipsis. » Nam paululum fermenti totam conspersionem fermen» tat [4]. »

[1] Rom. xiv, 23. — [2] Matth. xviii, 6. — [3] Prov. xxii, 6. — [4] 1 Cor. v, 6 et 13, et Galat. v, 9.

INTERROGATIO XLVIII.

Quod præpositi agendi ratio non est curiose examinanda, sed suo quisque operi intentus esse debet.

RESPONSIO.

CÆTERUM ne quis facile in hoc disceptationis ac contentionis vitium incidat, ad suum, et aliorum detrimentum, illud in universum inter fratres observandum est, ut initio nullus investiget curiose præfecti agendi rationem, neque eorum, quæ fiunt, satagat, iis solum exceptis, qui tum gradu, tum prudentia ipsi præposito sunt proximi; quos etiam necessario ad consilium ac deliberationem de rebus communibus faciendam adhibebit, obsecutus hortamento illius, qui dixit : « Omnia fac cum consilio [1]. » Cum enim ei animas nostras gubernandas commiserimus, tanquam Deo de his rationem redditur o: abs re omnino fuerit in rebus vilissimis ipsi fidem non adhibere, et absurdis ineptisque contra fratrem suspicionibus et nos ipsos repleri, et aliis earumdem occasionem præbere. Ne igitur id contingat, unusquisque ad quod vocatus est, in eo permaneat, et ita totum se in rerum ad se pertinentium cura occupet, ut in inquirendis aliorum negotiis nullo modo sollicitus sit, sed sanctos Domini Discipulos imitetur, inter quos, cum res ipsa quæ de Samaritana narratur, quamdam posset injicere suspicionem, « Nihilominus tamen, inquit, nemo dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea [2] ? »

[1] Eccli. XXXII, 24. — [2] Joan. IV, 27.

INTERROGATIO XLIX.

De iis, quæ in controversiam veniunt inter fratres.

RESPONSIO.

De controversiis autem, quæ inter fratres oriuntur, illud statuendum est. Quotiescumque dissident aliqui inter se de re aliqua, non oportet contentiose inter se colluctari, sed ad aliquos magis idoneos judicium transferre. Quare ne ordo confundatur, omnibus interrogantibus, et semper, neve garriendi et nugandi detur occasio, unum aliquem esse oportet approbatum, qui ea de quibus nonnulli ambigunt, aut communi fratrum examini proponere, aut ad præfectum referre. Ita enim rectius et magis scite quæsita expendentur. Etenim si in unoquoque negotio scientia atque experientia opus est, quanto magis in ejusmodi rebus? Et si instrumentorum usum nemo inexpertis committat, multo magis operæ-pretium fuerit sermonis tractationem peritis concedere : qui possint et locum, et tempus, et interrogandi modum dignoscere, atque citra contentionem, tum prudenter quærendo, tum sapienter auscultando, controversiarum enodationem ad communitatis ædificationem summa cum diligentia servare.

INTERROGATIO L.

Quomodo præpositus increpare et objurgare debeat.

Responsio.

Cæterum præpositus delinquentes non objurget, aliqua animi commotione impulsus. Nam redarguere fratrem cum indignatione et ira, non est illum a peccato liberare, sed seipsum delictis obstringere. Quamobrem dixit : « In mansuetudine corripiat eos qui resistunt[1]. » Neque, si in contemptum veniat alicui, ob id præbere se vehementem debet : ubi vero alium contemni viderit, erga eum, qui deliquit, declaret se benignum ac indulgentem, quin potius tunc in ipsum peccatum invehatur. Ita enim et suspicionem a se illam hominis seipsum immodice amantis submovebit, et planissime se non peccantem odisse, sed peccatum aversari declarabit, qui scilicet diverse se gerat in sua, et in alterius causa. Quod si indignatur non eo, quem dixi, modo, sed diverso, præ se fert, se neque propter Deum, neque propter delinquentis periculum, sed ob suæ gloriæ cupiditatem, aut imperitandi studium indignari. Oportet enim studium quidem pro Dei gloria, cui violatione mandati infertur injuria, ostendi : misericordiam vero fraterno amore dignam, pro fratris salute, qui in peccato periclitatur (quia « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur[2], ») in quovis peccato tanquam in peccatum incitari, et in eo acriter vindicando animi fervorem commonstrare.

[1] 2 Tim. II, 25. — [2] Ezech. XVIII, 4.

INTERROGATIO LI.

Quomodo delictum illius qui peccavit, corrigendum sit.

RESPONSIO.

De reliquo corrigat male affectos ad modum medicorum, non irascens debilibus, sed pugnans adversus morbum : imo vero insurgat in vitia, atque severiore disciplina, si opus est, morbum animæ sanet, exempli causa, vanam gloriam, injungendis humilitatis exercitiis : otiosos sermones, silentio : immodicum somnum, vigiliis in precando insumendis : segnitiem corporis, labore : edacitatem indecoram, jejunio : murmurationem, separatione a reliquis, sic ut neque ex fratribus quisquam velit cum eo operari, neque ipsius opus cæterorum operibus admiscere, sicut supra dictum est, nisi exacta citra pudorem pœnitentia appareat eum hoc vitio liberatum esse. Tunc enim opus, quod inter murmurandum confectum fuerit, admitti poterit : et tamen ne sic quidem inserviat fratrum usui, sed ad alium usum convertatur. Horum autem ratio in superioribus satis exposita fuit.

INTERROGATIO LII.

Quo animo irrogatæ pœnæ perferendæ sint.

RESPONSIO.

Quemadmodum autem diximus medelam infirmis a præposito afferendam esse citra ullam animi concitationem :

ita vicissim ab iis, qui curantur, mulctæ odii loco non sunt accipiendæ, neque cura ea, quæ ex misericordia ad animæ eorum salutem ab ipso adhibetur, ducenda est pro tyrannide. Turpe est enim eos, qui ægro corpore sunt, tantum medicis confidere, ut sive secent, sive urant, sive amarulentis medicamentis molestiam creent, ipsos de se bene meritos fuisse putent; nos vero erga animarum nostrarum medicos, quando disciplina duriore salutem nobis afferunt, non eodem modo affici, cum Apostolus dicat : « Et quis est, » qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me [1]. » Item, « Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, » quantam in vobis operatur sollicitudinem [2]. » Quare habita finis ratione, qui molestiam, quæ secundum Deum est, nobis exhibet, beneficus habendus est.

INTERROGATIO LIII.

Quomodo ab artium magistris pueri delinquentes corrigendi sunt.

RESPONSIO.

ATQUE etiam oportet artium magistros, si qua in re deliquerint discipuli contra ipsam artem, privatim vitium reprehendere, et errata emendare. Quæcumque vero peccata indicant morum perversitatem, veluti contumacia, contradictio, segnities circa opera, aut otiosus sermo, aut mendacium, aut quidpiam aliud ejusmodi, quod piis interdictum sit, ea oportet ad communis disciplinæ moderatorem referre, et coram eo redarguere, ut ipse et mensuram et modum, quibus peccata sanentur, excogitet. Si enim

[1] 2 Cor. II, 2. — [2] Id. VII, 11.

objurgatio est animæ curatio, non est cujuslibet objurgare, sicut nec mederi, nisi si præfectus ipse multo adhibito examine, id cuipiam permiserit.

INTERROGATIO LIV.

Quod ii, qui præficiuntur fratrum conventibus, de negotiis suis inter se colloqui debent.

RESPONSIO.

OPERÆ-PRETIUM est autem fratrum præfectos nonnunquam statis quibusdam temporibus et locis in unum convenire : in quibus res præter rationem occurrentes, moresque tractatu difficiles, et quomodo singula gesserint, sibi invicem exponant, ut si quis in aliquo deliquerit aliquando, id certissime detegatur multorum judicio, contraque, si quid recte factum sit, id plurium testimonio confirmetur.

INTERROGATIO LV.

An medicinæ pietatis instituto conveniat.

RESPONSIO.

I. QUEMADMODUM singulæ artes subsidiis loco ob naturæ debilitatem nobis a Deo concessæ sunt, velut agricultura, quod ea quæ sua sponte e terra gignuntur, non essent satis ad necessitates sublevandas, textoria vero, quod necessarius esset indumentorum usus tum ad decorum, tum ad

arcendas aëris injurias, pariterque ars domorum extruendarum : ita et ars medica data est. Cum enim corpus nostrum, utpote morbis obnoxium, variis incommodis, tum extrinsecus advenientibus, tum intrinsecus ab alimentis proficiscentibus subjaceat, et modo redundantia, modo defectu afflictetur, ars medica pro exemplo medelæ ejus, quæ animo curando adhibenda sit, nobis a totius vitæ nostræ moderatore Deo concessa est, cujus ductu quod superfluum est, rescinderetur, et quod deest, adjiceretur. Ut enim si essemus in paradiso voluptatis, nihil industria et labore indigeremus : ita quoque si a morbis essemus immunes, uti ante lapsum, cum primum res creatæ sunt, fuerat concessum, nullo medicinæ subsidio nobis ad levamen opus esset. Sed quemadmodum posteaquam expulsi sumus in hunc locum, et audivimus illud, « In sudore vultus tui vesceris pane tuo [1], » tunc facta longa experientia multoque insumpto labore in excolenda terra, ad lenienda ejus execrationis incommoda artem agriculturæ effecimus, Deo nobis ejus artis intelligentiam atque cognitionem impertiente : sic quoque ubi in terram, unde fueramus assumpti, denuo reverti jussi sumus, et ad molestam carnem morti ob peccatum addictam, ob idque his morbis subjectam, juncti sumus, oblatum est nobis medicinæ etiam auxilium, quo saltem aliquantulum ægrotantes levarentur.

II. Neque enim fortuito ex terra germinaverunt herbæ, quæ ad singulos morbos accommodatæ sunt : imo certe productæ sunt ex Conditoris voluntate, commodis nostris inservituræ. Quamobrem ea quidem naturalis vis, quæ in radicibus inest, et in floribus, aut foliis, aut fructibus, aut succis, aut quæcumque ex metallis, aut ex mari ad corporis utilitatem opportuna esse deprehensa sunt, ab aliis inventis, quæ ad cibum et potum spectant, nihil diffe-

[1] Gen. III, 19.

runt : sed tamen quod superflue ac curiose excogitatum est, et multum negotii requirit, et quasi omnem nostram vitam convertit ad carnem curandam, vitandum est Christianis; dandaque nobis studiose opera est, ut ita, si quando opus fuerit, hac arte utamur, ut ei non tribuamus omnem bonæ aut malæ valetudinis causam, sed ut ad declarandam Dei gloriam, et ad habendum animæ curandæ exemplar usum eorum quæ offert, admittamus. Quod si defecerint nos medicinæ præsidia, nequaquam levandi mali omnem spem in hac arte reponamus: sed sciendum fore, ut aut non sinat tentari nos ultra quam possumus[1], aut quemadmodum olim Dominus, modo lutum faciens, illinebat, jubebatque lavari in Siloam[2], modo sola voluntate contentus erat, dicens : « Volo. Mundare[3], » quosdam vero in afflictationibus decertare permisit, probatiores ipsos per tentationem efficiens, ita nunc quoque peculiari aliqua ratione agere nobiscum velit, qui scilicet aliquando invisibiliter latenterque medeatur, cum id animis nostris expedire judicaverit, aliquando vero statuat nos et ipsis corporeis auxiliis in nostris morbis uti, idque, ut hac curationis dilatione firmam et stabilem reddat accepti beneficii memoriam, aut etiam, quemadmodum dixi, ut aliquod exemplum. quod in curandis animis imitari possimus, nobis proponat. Ut enim in corpore, necesse est amoveri quod alienum est et contrarium, et quod deest, apponi : sic etiam in animis nostris, non abs re fuerit quod alienum est et contrarium removere, et quod secundum naturam est, assumere. Siquidem fecit Deum hominem rectum[4], nosque ad bona opera condidit, ut in eis ambulemus.

III. Et quemadmodum illic secari, uri, et amara medicamenta sumere non recusamus, corporis sanandi causa :

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Joan. IX, 6, 7. — [3] Matth. VIII, 3.— [4] Eccl. VII, 30.

ita etiam hic, sermonem objurgatorium quantumvis secantem, et amarulenta reprehensionum remedia pro animæ medela operæ-pretium est perferre : quod quidem iis, qui emendati non fuerant, exprobrat propheticus sermo, his verbis : « Numqud resina non est in Galaad, aut medicus » non est ibi ? Quare non ascendit sanatio filiæ populi » mei [1] ? » Atque hoc etiam, quod in morbis inveteratis per longum tempus, perque auxilia simul dolorem creantia et varia expectatur sanitas, indicio est, animæ quoque peccata per sedulas preces, et diuturnam pœnitentiam, ac disciplinam severiorem, quam ratio ad sanationem nobis sufficientem esse monuerit, a nobis corrigi debere. Non igitur, quoniam aliqui arte medica non probe utuntur, ejus nobis utilitas omnis fugienda est. Neque enim, quoniam intemperantes quidam voluptatum sectatores coquinaria, aut pistoria, aut textoria ad delicias excogitandas abutuntur, cum limites rerum necessariarum excedant, continuo omnes simul artes rejici a nobis debent : contra potius, quod ab illis corruptum fuit, id ex recto ipsarum usu coarguendum est. Sic etiam et in medicina, par non est acceptum a Deo munus criminari ob malum usum. Nam et in medicorum manibus sanitatis suæ spem collocare, belluinum est ; quod tamen usuvenire nonnullis miseris videmus, qui etiam non verentur eos appellare servatores : et commoda ex ea nascentia omnino aversari, animi est obstinati. Sed sicut Ezechias ficorum massam non putabat primam esse sanitatis suæ causam [2], neque ei acceptam referebat corporis sui curationem, sed ad Dei gloriam gratiarum etiam actionem adjecit ob conditas ficus : sic nos quoque, si a Deo bene prudenterque vitam nostram moderante plagas accipimus, primum quidem ab ipso petimus, ut indicet nobis causam, cur ita plectamur : deinde,

[1] Jer. VIII, 22. — [2] 4 Reg. XX, 7.

ut liberemur ab his molestiis, deturque nobis patientia, adeo ut una cum tentatione præstet etiam eventum, quo possimus sufferre [1].

IV. Collatum autem nobis sanitatis beneficium, sive per vinum oleo admixtum, ut in eo qui incidit in latrones [2], sive per ficus, ut in Ezechia [3], cum gratiarum actione recipimus. Nec quidquam differre arbitremur, sive modo invisibili Deus nos curet, sive corporeum quiddam adhibeat : quæ corporalia sæpenumero efficacius nos conducunt ad munus Domini intelligendum. Atque etiam sæpe castigationis causa in morbos collapsi, ad asperam gravemque curationem perferendam pœnæ loco condemnati sumus. Itaque neque sectiones, neque ustiones, neque acrium molestorumque remediorum acerbitatem, neque inedias, neque exactam diætæ et victus rationem, neque rerum exitialium abstinentiam a nobis repudiandas esse recta ratio suadet, salvo tamen (rursus dico) proposito animæ utilitatis, quippe cui hoc exemplum propositum sit, ut illud in sui ipsius curatione imitari discat. Periculum autem est non mediocre, ne mens in errorem incidat, quasi omnis morbus subsidiis medicinæ indigeret. Non enim naturæ tribuendæ sunt ægritudines omnes, neque ex vitioso victu, aut aliis quibusdam corporalibus principiis nobis accedunt : quibus quidem curandis utilem esse medicinam nonnunquam videmus. Sæpe enim morbi sunt peccatorum mulctæ, ad convertendos nos irrogatæ. « Quem enim, inquit, » diligit Dominus, castigat [4]. » Item, « Ideo inter vos multi » infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Si enim nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum » judicamur autem a Domino, corripimur, ut non cum hoc » mundo damnemur [5]. » Quamobrem qui sunt hujusmodi,

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Luc. x, 34. — [3] 4 Reg. xx, 7. — [4] Prov. III, 12. — [5] 1 Cor. XI, 30-32

(ubi nostra ipsorum delicta cognoverimus), usu medicinæ prætermisso, pœnas sibi illatas debent silentio perferre, juxta eum, qui dixit : « Iram Domini portabo, quoniam » peccavi ei[1], » et ita emendare se, ut dignos pœnitentiæ fructus edant ; item meminisse Domini, qui dixit : « Ecce » sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid » contingat[2]. » Accidunt autem etiam aliquando ægritudines, postulante diabolo, cum scilicet benignus Dominus aliquem velut pugilem magnum cum ipso in certamen committit, et jactantiam ipsius summa servorum suorum tolerantia deprimit, quod in Job factum fuisse didicimus[3]. Aut etiam iis, qui malorum intolerantes sunt, in exemplum a Deo proponuntur quidam, qui adversa ad mortem usque perseveranter tolerare potuerunt, velut Lazarus, qui cum tot et talibus ulceribus affligeretur[4], nusquam tamen scribitur quidquam ab illo divite aut petivisse, aut morosum se præstitisse et molestum ob præsentem rerum statum. Quapropter assecutus est requiem in sinu Abrahæ, tanquam qui recepisset mala in vita sua. Quanquam et aliam morborum causam in Sanctis contingere reperimus, velut in Apostolo. Etenim ne naturæ terminum videretur excedere, neve quispiam arbitraretur eum naturaliter aliquid solito majus et excellentibus habere (quod visum est Lycaonibus, qui ei coronas obtulere et tauros[5]) idcirco ad declarandam naturam humanam jugiter cum ægritudine conflictabatur.

V. Quid igitur emolumenti ex medicina accedere possit ejusmodi hominibus ? seu potius, quod eis periculum non impendet, qui scilicet ad corpus curandum se a recta ratione avertant ? Qui vero ex prava diæta sibi ipsis ascivere infirmitatem, ii corporis curatione quasi quodam typo et

[1] Mich. vii, 9. — [2] Joan. v, 14.— [3] Job. ii, 6.— [4] Luc. xvi, 20. — [5] Act. xiv, 12.

exemplari, ad animam curandam uti debent, sicut superius dictum est. Etenim et ex re nostra fuerit, a noxiis ex medica ratione abstinere, utilia seligere, præcepta servare. Atque ipsa etiam corporis ab infirmitate ad bonam habitudinem commutatio, sit nobis loco solatii, ut ne desperemus de anima, quasi ex peccatis ad suam ipsius integritatem rursus per pœnitentiam reverti non posset. Neque igitur fugienda penitus ars ista est, neque in ea omnis spes collocanda. Sed quemadmodum utimur quidem agricultura, sed tamen a Deo petimus fructus, et quemadmodum committimus gubernaculum gubernatori, Deum vero rogamus ut ex pelago evadamus incolumes : ita quoque si, cum ratio sinit, medicum advocemus, ab ea, quæ in Deo ponenda est, spe non excidimus. Videtur autem mihi hæc ars ad continentiam quoque non parum conferre. Video enim et voluptates ab ipsa rescindi, et satietatem damnari, et victus varietatem, nimiamque in apparandis condimentis solertiam velut incommodam ablegari, et in summa indigentiam ab eadem appellari sanitatis matrem, ita ut ex hac etiam parte ejus consilium nobis inutile non sit. Sive igitur utimur aliquando medicinæ præceptis, sive ea repudiamus ob aliquam causam earum, quas ante memoravimus, huc spectandum est, ut Deo placeamus, consulaturque animæ utilitati, et compleatur mandatum Apostoli, qui dicit : « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite[1]. »

[1] 1 Cor. x, 31.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

REGULÆ BREVIUS TRACTATÆ.

PROŒMIUM.

Benignus Deus, « Qui docet hominem scientiam [1], » iis quidem, quibus creditum est donum docendi, præcipit per Apostolum [2], ut perseverent in doctrina; eos vero, qui divinorum documentorum ædificatione indigent, per Moysen admonet, dicens : « Interroga patrem tuum, et annun- » tiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi [3]. » Quapropter necesse est nos quidem, quibus creditum est munus docendi, paratos esse omni tempore et promptos ad instruendas perficiendasque animas, et modo publice coram tota Ecclesia contestari, modo privatim permittere unicuique eorum, qui ad nos accesserint, ut suo arbitratu nos seorsum rogare possint quæ pertinent et ad sanitatem fidei, et ad veritatem ejus vivendi ritus, qui est ex Evangelio Domini nostri Jesu Christi, ex quibus utrisque homo Dei constanter perficitur : vos vero, nihil otiosum, nihil vobis infructuosum relinquere, sed præterea, quæ in communi discitis, etiam privatim de rebus conducibilibus interro-

[1] Psal. xciii, 10. — [2] 1 Tim. 1, 3. — [3] Deut. xxxii, 7.

gare, et omne vitæ otium ad vestram utilitatem dirigere. Ergo si nos in hoc congregavit Deus, multaque, quod ad externos tumultus attinet, requie perfruimur, neque ad quidquam aliud agendum convertamur, neque somno rursus corpora tradamus, sed in meditandis ac expendendis rebus necessariis transigamus reliquam noctis partem, explentes quod dictum est a beato Davide : « In lege Domini » meditabitur die ac nocte [1].

INTERROGATIO I.

An liceat, aut expediat alicui, ut sibi ipsi permittat facere, dicereve quæ bona existimat, citra testimonium divinarum Scripturarum.

RESPONSIO.

CUM Dominus noster Jesus Christus dicat quidem de sancto Spiritu : « Non enim loquetur a semetipso, sed » quæcumque audierit, hæc loquetur [2]; » de seipso vero : « Non potest Filius a se facere quidquam [3]; » et iterum : « Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, » ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar : » et scio quia mandatum ejus vita æterna est : quæ ergo » ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor [4], » quis eo dementiæ deveniet, ut a seipso audeat aliquid vel cogitatione concipere, qui scilicet ductore sancto et bono Spiritu indigeat, ut dirigatur in viam veritatis, sive in mente, sive in sermone, sive in actione, et cæcus sit, et in tenebris degat, sine Sole justitiæ ipso Domino nostro Jesu

[1] Psal. I, 2. — [2] Joan. XVI, 13. — [3] Id. V, 19. — [4] Id. XII, 49, 50.

Christo, qui suis mandatis tanquam radiis illuminat. « Præceptum enim Domini, inquit, lucidum, illuminans » oculos [1]. » Sed quoniam rerum, aut verborum apud nos usitatorum alia in sancta Scriptura per Domini mandatum declarata sunt, alia silentio prætermissa, de iis quidem, quæ scripta sunt, nulli omnino licet aut aliquid facere eorum, quæ vetita sunt, aut aliquid omittere eorum, quæ jussa sunt, cum Dominus semel præceperit, ac dixerit : « Et servabis verbum quod præcipio tibi hodie : non ad- » jicies ad ipsum, nec detrahes ab ipso [2]. » Formidabilis enim quædam judicii expectatio superest, atque æmulatio ignis, qui eos, qui aliquid ejusmodi audent, devorabit [3] : de iis vero, quæ silentio præterita sunt, regulam nobis tradidit apostolus Paulus, cum dixit : « Omnia mihi licent, » sed non omnia expediunt : omnia mihi licent, sed non » omnia ædificant. Nemo quod suum est, quærat : sed » quod alterius unusquisque [4]. » Quare necesse omnino est, aut Deo ex ejus mandato subjici, aut aliis propter mandatum illius. Scriptum est enim : « Subjecti invicem » in timore Christi [5]. » Quin et Dominus ait : « Qui vult » inter vos esse magnus, sit omnium postremus, et omnium » servus [6]; » Abalienatus videlicet a suis voluntatibus, exemplo ipsius Domini, dicentis : « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit » me, Patris [7]. »

[1] Psal. XVIII, 9. — [2] Deut. IV, 2. — [3] Hebr. X, 27. — [4] I Cor. X, 22-24. — [5] Ephes. V, 21. — [6] Matth. XX, 27, et Marc. X, 44. — [7] Joan. VI, 38.

INTERROGATIO II.

Qualem professionem a se mutuo exigere debeant qui simul secundum Deum vivere volunt.

RESPONSIO.

EAM, quæ a Domino cuique accedenti proposita est, cum dixit : « Si quis vult post me venire, abneget semet» ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me [1]. » Qualem autem vim habeat horum unumquodque, dictum est in ea, quæ ad ipsum pertinet, interrogatione.

INTERROGATIO III.

Quomodo convertemus peccantem : aut si non convertat sese, quomodo cum illo agendum sit.

RESPONSIO.

VELUT præceptum est nobis a Domino, cum dixit : « Si » peccaverit frater tuus, vade, corripe eum inter te et » ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum : » si vero non audierit, adhibe tecum etiam unum, aut » duos, ut in ore duorum testium aut trium stet omne » verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si au» tem non audierit quoque Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus » et publicanus [2]. » Si itaque hoc contingat, « Sufficit tali » objurgatio hæc, quæ fit a pluribus [3]; » Cum Apostolus

[1] Matth. XVI, 24. — [2] Id. XVIII, 15-17. — [3] 2 Cor. II, 6.

scripserit : « Argue, increpa, obsecra in omni patientia, » et doctrina [1]. » Et rursus : « Quod si quis non obedit » verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commis- » ceamini cum illo, ut confundatur [2]. »

INTERROGATIO IV.

Si quis pro levissimis etiam peccatis coarctet ac urgeat fratres, his verbis : « Debetis agere pœnitentiam, » numquid et ipse immisericors est, et charitatem dissolvit.

Responsio.

Cum Dominus affirmaverit iota unum aut unum apicem a lege non præterire, donec omnia fiant [3], pronuntiaveritque homines de omni verbo otioso quod locuti fuerint, rationem in judicii die esse reddituros [4], nihil contemnendum est quasi parvum. « Qui enim, inquit, rem con- » temnit, contemnetur ex ea [5]. » Et alias, quale peccatum audeat quis parvum dicere, postquam Apostolus hanc protulit sententiam : « Per prævaricationem legis Deum in- » honoras [6]. » Quod si stimulus mortis peccatum est, non hoc, aut illud, sed indefinite omne omnino peccatum, immisericors est qui silet, non qui redarguit, tanquam qui venenum relinquat in eo, qui a venenata bestia morsus est, non autem eximat. Quinetiam qui ejusmodi est, evertit charitatem. Scriptum est enim : « Qui parcit baculo, » odit filium suum : qui autem diligit, diligenter casti- » gat [7]. »

[1] 1 Tim. IV, 2. — [2] 2 Thess. III, 14. — [3] Matth. V, 18. — [4] Id. XII, 36. — [5] Prov. XIII, 13. — [6] Rom. II, 23. — [7] Prov. XIII, 24.

INTERROGATIO V.

Quomodo debeàt quis pœnitentiam agere de singulis peccatis, et cujusmodi fructus pœnitentia dignos ostendere.

RESPONSIO.

NIMIRUM si habeat animum illius, qui dixit : « Iniquitatem odio habui, et abominatus sum [1]. » Item si præstiterit quæ referuntur in sexto Psalmo, et in aliis multis, et si fecerit quæ ob peccatum ab alio admissum facta fuisse testatur Apostolus, ab iis, qui secundum Deum contristati fuerant. « Ecce enim, inquit, hoc ipsum secundum Deum » contristari vos, quantam in vobis operatum est sollicitudi» nem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, » sed desiderium, sed vindictam, sed æmulationem? in » omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio [2]. » Itidem si, Zachæi exemplo, oppositam virtutem crebro excoluerit.

INTERROGATIO VI.

Qui verbis confitetur se pœnitere, peccatum vero non corrigit, quis est.

RESPONSIO.

EXISTIMO de eo, qui hujusmodi est, id scriptum fuisse : « Si te rogaverit inimicus magna voce, ne credideris ei :

[1] Psal. CXVIII, 163. — [2] 2 Cor. VII, 11.

» septem enim sunt nequitiæ in anima ejus [1]. » Et alio in loco : « Sicut canis cum redierit ad suum vomitum, et » odibilis efficitur : sic homo sua malitia revertens ad pec- » catum suum [2]. »

INTERROGATIO VII.

Quodnam est judicium adversus eos, qui peccantes deffendunt.

RESPONSIO.

GRAVIUS quam quod prolatum fuit in eum de quo dictum est : « Expedit illi ut suspendatur mola asinaria circa » collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet » unum de pusillis istis [3]. » Non enim jam objurgationem ad emendationem, sed defensionem ad peccati confirmationem accipit qui peccavit, imo vero invitat alios ad similia vitia. Quamobrem defensori hujusmodi et patrono, nisi ediderit fructus pœnitentia dignos, convenit quod a Domino dictum est : « Si oculus tuus dexter scandalizat te, » erue eum et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat » unum membrorum tuorum, et non totum corpus tuum » conjiciatur in gehennam [4]. »

[1] Prov. XXVI, 25,— [2] Ibid. XI.— [3] Luc. XVII, 2.— [4] Matth. V, 29.

INTERROGATIO VIII.

Quomodo debet suscipi, quem vere pœnitet.

RESPONSIO.

VELUT Dominus docuit, cum dixit : « Convocat amicos, » et vicinos, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni ovem » meam, quæ perierat [1].

INTERROGATIO IX.

Quomodo erga eum, qui citra pœnitentiam peccat, erimus animati.

RESPONSIO.

UTI Dominus præcepit, cum dixit : « Si autem et Eccle- » siam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus [2]. » Et sicut Apostolus docuit, cum scripsit : « Subtrahatis vos » ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum » traditionem, quam acceperunt a nobis [3]. »

[1] Luc. xv, 6. — [2] Matth. xviii, 17. — [3] 2 Thess. iii, 6.

INTERROGATIO X.

Anima, quæ in multis peccatis misere versata fuerit, quo timore, et quibus lacrymis recedere debeat a peccatis, et qua spe quave affectione ad Deum accedere.

Responsio.

Primum quidem odisse debet reprobam suam vitam anteactam, et ipsam ejus memoriam execrari, detestarique. Scriptum est enim : « Iniquitatem odio habui et abominatus sum, legem autem tuam dilexi [1] : » deinde vero timoris magistram assumere æterni judicii ac supplicii comminationem, itemque cognoscere, tempus lacrymarum tempus esse pœnitentiæ, uti docuit David in sexto Psalmo. Quippe certissime credat peccata purgari per sanguinem Christi, in magnitudine misericordiæ, et multitudine miserationum Dei, qui dixit : « Si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut nivem dealbabo : et si fuerint ut coccinum, sicut lanam dealbabo [2]. » Tum demum nacta facultatem ac potestatem placendi Deo, dicit : « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea [3]. » Atque ita accedens psallit Deo, ac dicit : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me [4]. »

[1] Psal. cxviii, 163. — [2] Isaï. i, 18. — [3] Psal. xix, 6 et 12, 13. — [4] Ibid. 2.

INTERROGATIO XI.

Quomodo oderit quis peccata.

RESPONSIO.

EVENTUS tristis ac molestus semper odium parit in eos, qui ejusmodi rerum auctores sunt. Si cui igitur persuasum sit, quot et quantorum malorum causa peccata sint, ea sponte et ex animo prosequitur ejusmodi odio, quale ostendit, qui dixit : « Iniquitatem odio habui, et abominatus » sum [1]. »

INTERROGATIO XII.

Quomodo animus habeat persuasum, peccata sibi a Deo fuisse remissa.

RESPONSIO.

NEMPE si viderit affectum se, sicuti illum, qui dixit : « Iniquitatem odio habui, et abominatus sum. » Deus enim cum unigenitum Filium suum pro remissione peccatorum nostrorum demisit, ea, quantum in ipso fuit, omnibus in antecessum condonavit. Quoniam autem misericordiam et judicium David sanctus canit [2], testaturque Deum misericordem esse, et justum, necesse fuerit quæ et Prophetæ et Apostoli in locis, ubi de pœnitentia agunt, retulere, ea a nobis effici, ut appareant judicia justitiæ Dei, et misericordia ipsius in condonandis peccatis exerceatur.

[1] Psal. CXVIII, 163. — [2] Id. C, 1.

INTERROGATIO XIII.

An oporteat post baptisma peccantem de salute desperare, si inveniatur in multitudine peccatorum : aut usque ad cujusmodi mensuram peccatorum sperandum sit in benignitate Dei, per pœnitentiam.

RESPONSIO.

Si fieri potest, ut multitudo miserationum Dei numeretur, ac magnitudo misericordiæ Dei mensura quapiam circumscribatur, collata cum multitudine et magnitudine peccatorum, tunc abjiciatur spes omnis. Quod si ea, ut constat, et ad mensuram et ad numerum redigi possint, fieri autem non queat, ut metiatur quis Dei misericordiam, ac miserationes numeret, non tempus est desperandi, sed agnoscendi misericordiam, ac detestandi peccata, quorum venia proponitur in Christi sanguine, velut scriptum est. Quod autem nequaquam desperandum sit, docemur ex multis locis, multisque modis, maxime autem ex parabola Domini nostri Jesu Christi, quæ de eo filio narratur, qui acceptam hæreditatem paternam insumpserat in peccata[1]. » Cujus pœnitentia qualem et quantam celebritatem meruerit, ex ipsis Domini verbis ediscimus. Sed et per Esaïam dicit Deus : « Si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, » sicut nivem dealbabo : et si fuerint ut coccinum, sicut » lanam dealbabo[2]. » Quod quidem tantummodo verum esse nobis sciendum est, si pœnitentiæ modus ex animi affectione peccatum execrante, eximius et excellens adhibeatur, sicut scriptum est tum in Veteri, tum in Novo Tes-

[1] Luc. XV, 13 et seqq. — [2] Isaï. I, 18.

tamento : et edatur fructus dignus, uti dictum est in ea, quæ ad hoc pertinet, interrogatione.

INTERROGATIO XIV.

Ex quibus fructibus probanda sit vera pœnitentia.

RESPONSIO.

MORES pœnitentium, et affectus recedentium a peccato, et studium fructuum pœnitentia dignorum relata sunt in suis locis.

INTERROGATIO XV.

Quid hoc sibi vult : « Quoties peccaverit in me frater meus, et remittam ei [1]? » *Et in cujusmodi peccatis meum est condonare.*

RESPONSIO.

POTESTAS remittendi non absolute tradita est, sed consistit in obedientia pœnitentis, et in concordia quæ habenda est cum eo, qui animam ipsius curat. Scriptum namque est de talibus : « Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis » a Patre meo, qui in cœlis est [2]. » At vero de cujusmodi peccatis id sit intelligendum, ne quærere quidem licet, cum Testamentum Novum nullum nobis discrimen indicet, sed quibuslibet rite pœnitentibus polliceatur veniam cujus-

[1] Matth. XVIII, 21. — [2] Ibid. 19.

que, et maxime, cum Dominus ex sua ipsius persona pollicitus sit de omni re.

INTERROGATIO XVI.

Cur aliquando anima etiam sine conatu, dolore naturaliter fere quasi illapso, compungatur, aliquando vero ita doloris expers sit, ut etiam conatu adhibito compungi non possit.

RESPONSIO.

TALIS quidem compunctio donum Dei est, aut ad excitandum desiderium, ut animus, gustata doloris ejusmodi dulcedine, eum excolere studeat, aut ad id demonstrandum posse animum diligentioris studii ope in assidua compunctione versari, ut nullus sit excusationi locus iis, qui illam ex negligentia amiserint : sed conari, et tamen non posse, simul et nostram negligentiam, cui in alio tempore dediti fuerimus, manifeste arguit, (neque enim fieri potest, ut quis derepente aliquid aggressus, id assequatur citra meditationem, ac citra multam assiduamque exercitationem) et eodem tempore indicio est animum subjici vitiis aliis, neque sibi ab his permitti, ut vel ad ea, quæ vult, liber sit ; juxta eam, quam Apostolus protulit, sententiam : « Ego » autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Non enim » quod volo, hoc ago : sed quod odi, illud facio. » Et rursus : « Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod ha- » bitat in me peccatum [1]. » Nimirum Deus ipse id nobis ad nostram utilitatem contingere sinit, si quomodo animus per ea quæ invitus patitur, cognitionem attingat ejus, in

[1] Rom, VII, 14-17.

cujus potestate sit, et ut sibi ipsi conscius quibus in rebus peccato serviat præter voluntatem, resipiscat ex laqueo diaboli, inveniens Dei misericordiam ad eos, quos vere pœnitet, suscipiendos paratam.

INTERROGATIO XVII.

Si quis comedere in animo habuerit, deinde condemnaverit seipsum, numquid id ei tanquam anxie sollicito sit vitio vertendum.

Responsio.

Sane si memoria nondum natura perturbante prævertit esuriendi tempus, manifesta est animi aberratio, accusans ipsius tum erga præsentia affectionem, tum erga ea quæ Deo placent, segnitiem. Parata est autem etiam sic Dei misericordia. Etenim si quis seipsum condemnarit, pœnitentiæ causa absolutus est a crimine, et si caverit de cætero lapsum, memor Domini, qui dixit : « Ecce sanus factus es, » jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat [1]. » Quod si, cogente natura, et fame invalescente, sensus commoveat memoriam, sed tamen superet ratio tum ob studium, tum ob suam circa meliora occupationem, memoria hæc non condemnanda est, sed victoria laudanda.

[1] Joan. v, 14.

INTERROGATIO XVIII.

An par fuerit ei, qui in fratrum conventu aliquando deliquit, munus aliquod demandare post multam exercitationem, et si par sit, quale tandem illud esse debeat.

RESPONSIO.

MEMORES Apostoli dicentis : « Sine offensione estote et » Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per » omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, » sed quod multis ut salvi fiant [1], » multam adhibere debemus curam, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi, neve infirmis simus offensioni, et ne quosdam instruamus ad improbitatem. Quamobrem in his quoque, qui hujusmodi sunt, necessario considerandum est et expendendum id quod faciat ad fidei ædificationem, et ad cujusque virtutis in Christo profectum.

INTERROGATIO XIX.

Si quis veniat in suspicionem peccati, nec tamen aperte illud committat, numquid debeat is observari, ut deprehendatur id quod suspectum est.

RESPONSIO.

PRAVÆ suspiciones [2], et quæ a proposito malevolo proficiscuntur, culpantur ab Apostolo. Verum is, cui fuit de-

[1] 1 Cor. x, 32, 33. — [2] 1 Tim. vi, 4.

mandata omnium cura, omnes observet necesse est, in charitate Christi, et desiderio illius, qui suspectus est, curandi, ut fiat quod dictum est ab Apostolo : « Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu [1]. »

INTERROGATIO XX.

Debet-ne is, qui in peccatis versatus fuerit hæreticorum societatem refugere, aut etiam prave viventium consuetudinem declinare.

Responsio.

Cum Apostolus dixerit : « Subtrahatis vos ab omni fratre » ambulante inordinate, et non secundum traditionem, » quam acceperunt a nobis [2], » in universum quævis cujusque rei vetitæ societas et in mente, et in sermone, et in actione noxia est omnibus, et periculosa. Est autem operæpretium eos, qui in peccatis versati sunt, sese etiam diligentius observare. Primum quidem quod animus peccato assuetus, ad illud ut plurimum proclivior sit : deinde vero, quod quemadmodum in curandis iis, qui corpore laborant, cautione majore opus est, ita ut ea etiam, quæ sanis utilia sunt, sæpenumero rejiciantur, ita in iis etiam, qui animo ægrotant, multo major cautio, et diligentia requiratur. Quantum autem detrimentum accedat ex peccantium societate, idem Apostolus hocce argumento declarat : « Modicum fermentum totam massam fermentat [3]. » Quod si ab iis, qui in moralibus errant tantum affertur detrimentum, ecquid de iis dicendum est, qui prave sentiunt de Deo, quos opinio prava ne in cæteris quidem sanos esse

[1] Coloss. I, 28. — [2] 2 Thess. III, 6. — [3] 1 Cor. V, 6.

permittit, semel ob ipsam ignominiæ vitiis traditos, uti liquet ex multis locis, et maxime ex iis, quæ in Epistola ad Romanos de quibusdam dicta sunt hunc in modum : « Et » sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit » illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non » conveniunt : repletos omni iniquitate, fornicatione, mali- » tia, avaritia, nequitia : plenos invidia, homicidio, con- » tentione, dolo, malignitate : susurrones, detractores, Deo » odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores ma- » lorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompo- » sitos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia : » qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt » quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum » qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus[1]. »

INTERROGATIO XXI.

Unde mentis aberratio, et variæ cogitationes : et quomodo ipsas emendabimus.

RESPONSIO.

EVAGATUR animus ubi iners est, nec in rebus necessariis occupatur. Iners autem ex eo efficitur mens, et plus justo secura, quod Deum adesse non credat, corda et renes scrutantem. Si enim hoc crederet, perageret prorsus quod dictum est : « Providebam Dominum in conspectu meo » semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear[2]. » Qui autem hoc, et quæ huic similia sunt, facit. neque audebit unquam, neque ei licebit per otium quidquam cogitare eorum, quæ minime dirigantur ad fidei ædificatio-

[1] Rom. I, 28-32. — [2] Psal. XV, 8.

nem, etiamsi bonum esse videtur, nedum eorum, quæ prohibita sunt, et Deo non placent.

INTERROGATIO XXII.

Unde nascuntur turpia illa visa noctu contingentia.

RESPONSIO.

NASCUNTUR certe ex absurdis motibus interdiu in animo contingentibus. Quod si anima in Dei judiciis occupata, extiterit pura, atque res honestas et Deo placitas assiduo meditata fuerit, etiam ejusmodi insomnia habebit.

INTERROGATIO XXIII.

Ex cujusmodi verbis otiosus sermo judicetur.

RESPONSIO.

IN summa, verbum omne, quod non facit ad propositum in Domino negotium, otiosum est. Et tantum est ejusmodi verbi periculum, ut etiamsi bonum sit quod dicitur, si tamen non dirigatur ad fidei ædificationem, non jam propter verbi bonitatem is, qui locutus est, effugiat periculum, sed propterea quod verbum non protulerit ad ædificationem, contristet Spiritum sanctum Dei. Hoc enim aperte docuit Apostolus, his verbis : « Omnis sermo spurcus ex ore vestro » non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, » ut det gratiam audientibus[1]. » Quin et illud subjungit :

[1] Ephes. IV, 29.

« Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati » estis[1]. » Contristare autem Spiritum Dei, quantum malum sit, quid jam attinet dicere?

INTERROGATIO XXIV.

Quid est convitium?

RESPONSIO.

VERBUM omne, quod eo animo profertur, ut imprimatur dedecus, convitium est, quanquam ipsum verbum non videtur esse contumeliosum. Atque hoc planum est et manifestum ex Evangelio, in quo de Judæis dicitur illud : « Ipsum convitiis sunt consectati, dixeruntque ei : Tu es » illius Discipulus[2]. »

INTERROGATIO XXV.

Quid est obtrectatio?

RESPONSIO.

Duo tempora esse arbitror, in quibus liceat mali aliquid de aliquo dicere. Nimirum quando necesse est aliquem cum aliis, qui ad id idonei sint, consilium inire quo pacto corrigendus sit qui peccavit. Et rursus cum opus fuerit communire aliquos, qui sæpe ex ignorantia alicui malo tanquam bono adjungi possent : quandoquidem præcipit Apostolus, ut ne cum talibus conjungamur[3], ne quis forte

[1] Ephes. IV, 30. — [2] Joan. IX, 28. — [3] 2 Thess. III, 14.

nanciscatur laqueos animæ suæ. Quod quidem eumdem Apostolum fecisse comperimus ex his quæ ad Timotheum scribit : « Alexander ærarius multa mihi mala ostendit, » quem et tu devita : valde enim restitit verbis nostris [1]. » At vero præter hujusmodi necessitatem, si quis aliquid dicat contra aliquem, ut idipsum criminetur, aut vitio vertat, maledicus est et obtrectator, tametsi verum est quod dicitur.

INTERROGATIO XXVI.

Qui detrahit fratri, vel audit detrahentem, et tolerat, qua dignus est animadversione.

Responsio.

Separandi sunt ambo a reliquorum societate. « Detra» hentem enim secreto proximo suo, hunc persequebar [2]. » Et alibi dictum est : « Detrahentem nolito libenter audire, » ne evertaris [3]. »

INTERROGATIO XXVII.

Si vero detrahat quis præfecto, quomodo ipsi attendemus.

Responsio.

Judicium illud manifestum est ex ira Dei adversum Mariam, quando de Moyse oblocuta est [4], cujus peccatum Deus, ne ipso quidem Moyse precante, inultum reliquit.

[1] 2 Tim. iv, 14, 15. — [2] Psal. c, 5. — [3] Prov. xx, 13. — [4] Num. xii, 10.

INTERROGATIO XXVIII.

Si quis voce audaciore, et verbis petulantibus respondet alicui, et de hoc commonefactus dicat : « Nihil mali mihi est in corde, » ei-ne fides adhibenda est?

RESPONSIO.

Non omnia animi vitia manifesta sunt omnibus, ne ei quidem, qui his obnoxius est, quemadmodum contingit et in corpore. Ut igitur in corpore harum rerum periti signa quædam habent morborum occultorum, et qui ipsius ægri sensum effugiunt : ita et in animo, etsi suum ipsius morbum non sentit qui peccat, fides tamen habenda est Domino, qui et huic et iis, qui cum ipso sunt, declarat malum hominem ex malo cordis sui thesauro mala proferre. Etenim qui malus est bonum aliquod verbum aut factum sæpe etiam simulat : bonus vero mali aliquid simulare non potest. « Providentes enim bona, inquit, non tantum coram » Domino, sed etiam coram hominibus[1]. »

INTERROGATIO XXIX.

Quomodo possit quis non irasci.

RESPONSIO.

Si ab inspectore Deo et a Domino præsente se semper conspici putet. Quis enim subjectus unquam in principis

[1] Rom. XII, 17.

oculis quidquam audet eorum, quæ ipsi non placent? Etsi non expectet ab aliis obedientiam, ipse tamen præparetur ad obtemperandum, ratus se ab omnibus superari. Si enim obedientiam requirit utilitatis suæ causa, noverit quod Domini sermo unumquemque aliis inservire debere doceat: sin ulciscitur violatum Domini præceptum, non opus est ira, sed misericordia et commiseratione, juxta eum qui dixit: « Quis infirmatur, et ego non infirmor[1]. »

INTERROGATIO XXX.

Quomodo amputabimus vitium pravæ concupiscentiæ.

Responsio.

Flagranti atque vehementi desiderio explendi voluntatem Dei, talique, quale se habere indicavit, qui dixit: « Judicia Domini vera, justificata in semetipsa: desiderabilia » super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora » super mel et favum[2]. » Semper enim desiderium rerum meliorum, si potestatem habeat atque facultatem fruendi iis quæ desiderantur, cogit minora aspernari, aversarique, uti docuere omnes Sancti: quanto autem magis ea, quæ mala sunt, et pudore digna?

[1] 2 Cor. XI, 29. — [2] Psal. XVIII, 10, 11.

INTERROGATIO XXXI.

An omnino ridere non liceat.

RESPONSIO.

Cum Dominus eos, qui nunc rident, condemnet[1], perspicuum est nullum tempus fideli ad ridendum unquam dari : maxime cum tot sint, qui Deum ignominia afficiant per legis violationem, et in peccatis morti tradantur[2], pro quibus mœrere convenit, ac ingemiscere.

INTERROGATIO XXXII.

Intempestivus et immodicus sopor unde nascatur, et quomodo ipsum propulsemus.

RESPONSIO.

Contingit hujusmodi sopor, cum anima in Dei cogitationibus fit segnior, Deique judicia aspernamur : deponimus autem ipsum, cum sincere ac rite cogitamus de majestate Dei, ejusque voluntatem expetimus, juxta eum qui dixit : « Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormi- » tationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam » locum Domino, tabernaculum Deo Jacob[3]. »

[1] Luc. vi, 25. — [2] Rom. ii, 23. — [3] Psal. cxxxi, 4, 5.

INTERROGATIO XXXIII.

Qua ratione deprehenditur quis studio placendi hominibus obnoxius esse.

RESPONSIO.

Cum studium erga laudatores ostenderit, segnitiem vero et socordiam erga vituperatores. Si enim Domino placere vult, semper et ubique idem erit, perficiens quod dictum est : « Per arma justitiæ a dextris, et a sinistris : per gloriam et ignobilitatem : per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces[1]. »

INTERROGATIO XXXIV.

Quomodo effugerit quis vitium complacendi hominibus : et quomodo hominum laudes ei futuræ non sint admirationi.

RESPONSIO.

Si sibi certo persuaserit Deum præsentem esse ; si studuerit assidue Deo placere : si denique beatitudines a Domino promissas animo ferventi concupiscat. Nemo enim in sui heri oculis ad illius ignominiam et ad suam ipsius condemnationem, conservo placiturus, evagatur.

[1] 2 Cor. VI, 7, 8.

INTERROGATIO XXXV.

Quo pacto agnoscitur superbus, et quomodo curatur?

RESPONSIO.

COGNOSCITUR quidem ex eo quod ea, quæ ad principatum pertinent, requirit: curatur vero, si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit : « Dominus superbis resistit, humilibus au»tem dat gratiam [1]. » Illud tamen sciendum est, ut quis superbiæ judicium extimuerit, non posse tamen ab eo vitio sanari, nisi omne dominandi studium reliquerit : quemadmodum linguam aut qualemcumque artem dediscere non potest, qui non omnino supersederit non solum facere, aut loqui aliquid quod pertineat ad hanc artem, sed etiam de ea loquentes audire, et eam factitantes videre : quod in quovis etiam vitio observandum est.

INTERROGATIO XXXVI.

An honos debeat quæri.

RESPONSIO.

REDDERE quidem honorem, cui honor debetur [2], edocti sumus : requirere autem honorem prohibiti, his Domini verbis : « Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab in»vicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæ»ritis [3] ? » Quare gloriam ab hominibus quærere, argumen-

[1] Jacob. IV, 6. — [2] Rom. XIII, 7. — [3] Joan. V, 44.

tum est incredulitatis, et pietatis abalienatio, cum Apostolus dixerit : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus » non essem[1]. » Quod si ii, qui accipiunt datam ab hominibus gloriam, sic condemnati sunt : ii, qui non oblatam inquirunt, judicium quod exprimi non potest subibunt.

INTERROGATIO XXXVII.

Quomodo qui piger est ad mandatum conficiendum, diligentiam studiumque queat recuperare.

RESPONSIO.

Si ei persuasum sit de præsentia Domini Dei omnia inspicientis, et de minis pigrescenti intentis, deque spe magnæ illius remunerationis retribuendæ a Domino, qui per apostolum Paulum pollicitus est accepturum unumquemque propriam mercedem secundum suum laborem[2]. » Item ad id faciunt quæcumque alia id genus scripta sunt, ut aut proprium uniuscujusque studium accendatur, aut comparetur patientia, ad gloriam Dei.

INTERROGATIO XXXVIII.

Si præcipiatur aliquid fratri, et contradicat, postea vero a semetipso abeat.

RESPONSIO.

In eo quidem quod contradixit, velut contumax, aliosque ad idipsum provocans, statuatur esse obnoxius judicio

[1] Gal. I, 10. — [2] I Cor. III, 8.

huic : « Contradictiones suscitat omnis malus : Dominus » autem Angelum immisericordem immittit ipsi[1]. » Sit autem persuasissimum ei se non homini contradicere, aut obedire, sed Domino ipsi, qui dixit : « Qui vos audit, me » audit : et qui vos spernit, me spernit[2]. » Ac tandem prius compunctus, excuset sese, sicque si sibi permissum fuerit, opus peragat.

INTERROGATIO XXXIX.

Si quis obediendo murmuret.

RESPONSIO.

Cum Apostolus dixerit : « Omnia facite sine murmurationibus et hæsitationibus[3], » quisquis murmurat, abalienatus est etiam a conjunctione fratrum, et opus illius ab illorum usu. Palam est enim eum tum incredulitate, tum spei ambiguitate laborare.

INTERROGATIO XL.

Si frater fratri molestiam aspergat, quomodo emendandus est?

RESPONSIO.

Si quidem ita molestiam exhibuit, quemadmodum Apostolus, cum dixit : « Contristati enim estis secundum Deum, » ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis[4], » non is, qui

[1] Prov. XVII, 11. — [2] Luc. X, 16. — [3] Philip. II, 14. — [4] 2 Cor. VII, 9.

contristavit, indiget emendatione, sed qui contristatus fuit, proprietates ejus, quæ secundum Deum sit, tristitiæ debet ostendere. Quod si tristitia affecit in rebus indifferentibus, recordetur is, qui molestum se præbuit, Apostoli dicentis: « Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non se- » cundum charitatem ambulas[1] : » et cognito ejusmodi peccato, impleat quod dictum est a Domino : « Si offers mu- » nus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater » tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum » ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo ; et tunc » veniens, offer munus tuum[2]. »

INTERROGATIO XLI.

Si vero purgare se nolit qui contristavit.

RESPONSIO.

EA erga ipsum exequi debemus, quæ de eo, qui peccavit, nec tamen pœnitentiam egit, dicta sunt a Domino : « Si » autem etiam Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethni- » cus et publicanus[3]. »

[1] Rom. XIV, 15. — [2] Matth. V, 23, 24. — [3] Id. XVIII, 17.

INTERROGATIO XLII.

Quod si purget se qui molestia affecit : is autem qui contristatus est, nolit cum eo in gratiam redire.

RESPONSIO.

MANIFESTUM est Domini judicium, quod de tali prolatum est in parabola servi cum conservo suo, qui cum rogaretur, patientiam habere noluit : « Conservi autem, inquit, vi» dentes quæ facta fuerant, narrarunt Domino suo : Domi» nus autem iratus revocavit suam in illum gratiam, cum» que tradidit tortoribus, donec debitum redderet[1]. »

INTERROGATIO XLIII.

Quomodo quis auscultare debet expergefacienti ad precandum.

RESPONSIO.

SI quis cognoscit detrimentum sibi ex somno allatum, videlicet quod animus neque seipsum sentit, intelligit vero lucrum vigiliarum, et maxime præstantissimam illam gloriam, quando quis Deo accedit ad precandum, is auscultabit expergefacienti, sive ad orandum, sive ad conficiendum aliud quodvis mandatum, tanquam homini, qui beneficia magna et omne desiderium superantia conferat.

[1] Matth. XVIII, 31 et 34.

INTERROGATIO XLIV.

Sed si mœstus fiat, qui fuit expergefactus, aut etiam irascatur, qua mulcta dignus est?

RESPONSIO.

INTERIM separatione et inedia plectendus est, si forte possit compunctus agnoscere quot et quantis bonis se ipse stupide privet, sicque conversus exhilaretur, eodem affectus beneficio, quo ille, qui dixit : « Memor fui Dei, et delectatus sum [1]. » Quod si permanserit in suo stupore, abscindatur a corpore, tanquam putrefactum corruptumque membrum. Scriptum siquidem est : « Expedit ut pereat » unum membrorum tuorum, et non totum corpus tuum » projiciatur in gehennam [2]. »

INTERROGATIO XLV.

Si quis, audito Domino, qui dixit, quod servus qui cognoverit voluntatem heri sui, nec tamen fecerit, neque paraverit se ad ipsius voluntatem, multas plagas accepturus sit; qui vero non cognoverit, digna autem plagis peregerit, paucis sit plectendus, neglexerit nihilominus internosse Dei placita [3], num habeat quo se soletur ?

RESPONSIO.

PERSPECTUM est hunc ignorantiam simulare, et peccati judicium evitare non posse. « Si enim non venissem, in-

[1] Psal. LXXVI, 4. — [2] Matth. V, 30. — [3] Luc. XII, 47, 48.

» quit Dominus, et locutus fuissem eis, peccatum non ha- » berent : nunc autem excusationem non habent de peccato » suo[1]. » cum Scriptura sacra omnibus ubique annuntiet Dei voluntatem. Quare qui ejusmodi est minime um iis, qui ignoravere, levius subit judicium : imo vero cum illis gravius condemnatur, de quibus dictum est : « Sicut aspi- » dis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudiet » vocem incantantium, licet a venefico incantata sapiente[2]. » Cæterum cui tradendæ doctrinæ munus commissum est, is, si annuntiare neglexerit, perinde ut homicida damnatur[3], sicut scriptum est.

INTERROGATIO XLVI.

An qui patitur alterum peccare, reus sit peccati ?

Responsio.

Judicium hoc perspicuum est ex verbis Domini ad Pilatum, cum dixit : « Qui tradidit me tibi, majus peccatum » habet[4]. » Ex hoc enim planum est Pilatum quoque, cum eos, qui tradiderant, toleravit, obnoxium fuisse peccato, licet leviori. Quinetiam id aperte declarat Adamus, qui sustinuit Evam : item Eva ipsa, quæ toleravit serpentem ; nullus enim ex his tanquam innocens dimissus est impunitus. Sed et ipsa Dei contra eos indignatio, re diligentius considerata, idipsum ostendit : nam cum Adam excusationis loco prætenderet illud : « Uxor quam dedisti mihi, hæc » dedit mihi, et comedi ; respondit Deus : Quia audisti vo- » cem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo solo præce-

[1] Joan. xv, 22. — [2] Psal. LVII, 5, 6. — [3] Ezech. XXXIII, 8. — [4] Joan. XIX, 11.

»peram tibi, ne comederes, maledicta terra in operibus »tuis [1], et cætera.»

INTERROGATIO XLVII.

Si erga eos, qui peccant, silendum sit.

RESPONSIO.

SANE quod hoc fieri non debeat, perspicuum est ex præceptis Domini, qui in Veteri quidem Testamento dixit: «Correptione corripies proximum tuum: et non accipies »peccatum propter ipsum [2].» In Evangelio vero: «Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et »ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. »Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel »duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne ver»bum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem »Ecclesiam quoque non audierit, sit tibi sicut ethnicus et »publicanus [3].» Porro quam grave sit hujusce peccati judicium, intelligi potest primo quidem ex sententia Domini, qui in universum dixit: «Quisquis non obedit Filio, non »videbit vitam: sed ira Dei manebit super eum [4]:» deinde ex historiis etiam, quæ tum in veteri, tum in nova Scriptura referuntur. Ecce enim quando Achar furatus est linguam auream et vestem [5], iratus est Dominus omni populo, idque tum peccati auctorem, tum peccatum ipsum ignoranti, donec detectus esset is, cujus jam facta est mentio, ac horrendum illud exitium una cum suis omnibus subiisset. Heli vero etiamsi silentio non ferret filios suos, qui

[1] Gen. III, 12 et 17. — [2] Lev. XIX, 17. — [3] Matth. XVIII, 15-17. — — [4] Joan. III, 36. — [5] Jos. VII, 21.

erant filii pestilentes, sed sæpenumero commonuisset ipsos, ac dixisset; « Nolite, filii, non bona audio de vobis[1]; » itemque longiore sermone et peccati absurditatem et inevitabilem condemnationem patefecisset, quoniam tamen non penitus ultus fuerat, neque in eos ostenderat idoneam æmulationem, adeo exasperavit iram Dei, ut et populus una cum filiis ipsius interemptus sit, et capta sit ab alienigenis arca ipsa, et ipse quoque miseranda morte interierit. Quod si adversus eos, qui sceleris auctori conscii non fuerunt, imo qui prohibuerunt peccatum, et testimonium reddidere adversus illud, ira tanta exarsit; ecquid quis dicere poterit de iis qui sciunt, et tamen conticescunt? Qui quidem, nisi ea præstiterint quæ ab Apostolo ad Corinthios dicta sunt, his verbis: « Quare non magis luctum » habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus » fecit[2]? » ac etiam quæ deinceps ipsos fecisse testatus est ipse, cum scripsit: « Ecce enim hoc ipsum, quod secun» dum Deum contristati estis, quantam in vobis operatum » est sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, » sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vin» dictam? In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse » in hoc negotio[3], » periclitantur omnino omnes simul hoc etiam tempore idem exitium subire, aut etiam tanto gravius, quanto legis Mosaïcæ contemptore deterior est qui Dominum spernit[4], patratque idem quod ille, qui ante peccavit, ac etiam ante damnatus est: « Septies enim vindica» tum est de Caïn: de Lameth vero » in simile peccatum lapso « Septuagies septies[5]. »

[1] 1 Reg. II, 24. — [2] 1 Cor. V, 2. — [3] 2 Cor. VII, 11. — [4] Hebr. X, 29. — [5] Gen. IV, 24.

INTERROGATIO XLVIII.

Quo termino definiatur avaritia.

RESPONSIO.

CUM quis transgressus fuerit legis limitem. Contingit autem hoc juxta Vetus Testamentum, cum quis majorem sui ipsius quam proximi curam suscipit. Scriptum est enim: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum[1]. » At vero juxta Evangelium, quando quis suimet causa aliquid præter res pro instanti die necessarias expetit, velut is, qui audivit: « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem » parasti, cujus erunt[2]? » Quibus magis generatim adjungit: « Sic qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives[3]. »

INTERROGATIO XLIX.

Quid est perperam agere?

RESPONSIO.

QUIDQUID non ob necessitatem, sed propter ornatum atque jactantiam assumitur, id tanquam res perperam acta accusatur.

[1] Lev. XIX, 18. — [2] Luc. XII, 20. — [3] Ibid. 21.

INTERROGATIO L.

Si quis, vestimentis pretiosioribus rejectis, aliud vile, sive pallium, sive calceamentum ita velit, ut sibi conveniat, is-ne peccat, aut quali morbo laborat?

RESPONSIO.

QUISQUIS, hominibus placiturus, vult ut deceat se vestis, eum liquet morbo complacendi hominibus laborare, animumque habere a Deo abalienatum, et ostentationis vitio in ipsis etiam rebus vilibus indulgere.

INTERROGATIO LI.

Quid sit Raca[1].

RESPONSIO.

VERNACULUM verbum est, contumeliam mitiorem significans, quod erga familiares usurpatur.

[1] Matth. v, 22.

INTERROGATIO LII.

Cum Apostolus dicat, modo quidem : Non efficiamur inanis gloriæ cupidi [1], *modo vero :* Non ad oculum servientes, quasi hominibus placere studentes [2]; *quis est inanis gloriæ cupidus, et quis est, qui placere hominibus studet ?*

RESPONSIO.

CUPIDUM quidem inanis gloriæ arbitror esse eum, qui ob tenuem mundi gloriam a spectatoribus aut ab auditoribus accipiendam facit aliquid aut dicit : studiosum vero complacendi hominibus eum, qui ad alicujus hominis arbitrium, ipsi placiturus, aliquid peragit, etiamsi id, quod efficitur, sit ignominia dignum.

INTERROGATIO LIII.

Quodnam sit inquinamentum carnis, et quodnam sit spiritus inquinamentum, et quomodo ab ipsis purgabimus nosmetipsos : aut quæ est sanctimonia, et quomodo ipsam adipiscemur ?

RESPONSIO.

CARNIS quidem inquinamentum fuerit, admisceri iis qui patrant prohibita : spiritus vero, indifferentem esse erga eos qui talia sentiunt, aut peragunt. Purus est autem aliquis, cum obedit Apostolo qui dixit ne cibum quidem

[1] Gal. v, 26. — [2] Ephes. vi, 6.

cum ejusmodi homine sumendum esse[1], et quæcumque sunt in hanc sententiam, aut cum in se sentiet quod a Davide dictum est : « Tædium tenuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam[2], » talemque mœstitiam ostenderit, qualem ostenderunt Corinthii, quando ipsis vitio datum est, quod erga eum qui peccaverat, fuerant indifferenter affecti : siquidem in omnibus testificati sunt se in eo negotio puros fuisse[3]. Sanctimonia autem est, addictum esse Deo sancto integre et indesinenter omni tempore iis, quæ ipsi accepta sunt, curandis, diligenterque agendis. Nam quod mutilatum est, nequaquam accipitur inter sacra dona : et quod semel dedicatum est Deo, in communem et humanum usum reducere impium est et horrendum.

INTERROGATIO LIV.

Quid sit amor sui ipsius : item quomodo qui sui ipsius amans est semetipsum cognoscat.

Responsio.

Multa dicuntur improprie, velut illud : « Qui amat animam suam perdet eam : et qui odit animam suam in hoc » mundo, in vitam æternam custodit eam[4]. » Amans igitur sui ipsius est, qui seipsum amat. Agnoscit autem seipsum, si quæ facit, ea faciat sui causa ; etiamsi id quod efficitur, juxta mandatum fuerit. Nam requiei suæ gratia, aliquid omittere eorum, quæ sive in animo, sive in corpore attineant ad fratris utilitatem, hoc vel ab aliis etiam habetur ceu manifestum amoris sui ipsius vitium, cujus finis interitus est.

[1] 1 Cor. v, 11. — [2] Psal. cxviii, 53. — [3] 2 Cor. vii, 11. — [4] Joan. xii, 25.

INTERROGATIO LV.

Quodnam sit discrimen inter amaritudinem, furorem, iram, et excandescentiam.

RESPONSIO.

FURORIS quidem et iræ discrimen in animi forte affectione et motu consistit : quandoquidem qui irascitur, in solo animi affectu perturbationem patitur, uti indicat qui dixit : « Irascimini et nolite peccare[1]. » Qui autem furit, præterea præ se fert majus quiddam. « Furor enim illis, » inquit, secundum similitudinem serpentis[2]. » Item : « Herodes furens pugnabat adversus Tyrios et Sidonios[3]. » Denique vehementior ille, qui ex furore oritur, motus nominatur excandescentia : amaritudo vero graviorem quamdam mali stabilitatem ostendit.

INTERROGATIO LVI.

Cum Dominus hanc protulerit sententiam : Qui se exaltat, humiliabitur[4] : *item cum præcipiat Apostolus,* Ne alta sapiamus[5], *et alio in loco dicat :* Arrogantes, superbi, elati[6] : *et iterum :* Charitas non inflatur[7], *quis est qui altum sapit, et quis arrogans, et quis superbus, et quis elatus, aut quis inflatus ?*

RESPONSIO.

SANE qui alta sapit, is fuerit, qui seipsum extollit, qui ob sua recte facta de se sentit magnifice, seque effert exem-

[1] Psal. IV, 5.— [2] Id. LVII, 5.— [3] Act. XII, 20. — [4] Luc. XVIII, 14. — [5] Rom. XI, 20. — [6] 2 Tim. III, 2. — [7] 1 Cor. XIII, 4.

plo Pharisæi illius[1], nec dimittit se ad humilia. Quin et idem ille dici possit inflatus, quo crimine accusati sunt Corinthii[2]. Arrogans autem est, qui non ambulat juxta instituta, neque facit, ut incedat secundum eamdem regulam[3], idemque sentiat : sed qui potius propriam comminiscitur justitiæ viam atque pietatis. Superbus autem est, qui de iis, quæ habet, jactat se, quique supra quam est, studet videri. Elatus vero, aut forte est idem qui superbus, aut non longe ab illo dissidet, juxta illud Apostoli dictum : « Elatus est, » nihil sciens[4]. »

INTERROGATIO LVII.

Si quis vitio cuipiam inemendabili obnoxius sit, frequentiusque reprehensus lædatur, an eum potius dimitti expediat?

RESPONSIO.

Hoc jam alibi dictum est, peccantes cum mansuetudine atque lenitate esse convertendos, eo, quem Dominus indicavit, modo. Quod si ei, ut convertatur satis non fuerit plurium reprehensio et objurgatio, quemadmodum Corinthio illi : qui ejusmodi est, tanquam ethnicus habendus est. Nemini autem ulla ratione tutum fuerit eum, qui a Domino condemnatus est, retinere, cum dixerit Dominus expedire ut quis, uno oculo, aut una manu, aut uno pede amisso, in regnum ingrediatur, quam si uni ex his pepercerit, totus mittatur in gehennam ignis, ubi est fletus et stridor dentium[5] : et Apostolus testificetur totam massam modico fermento fermentari[6].

[1] Luc. XVIII, 11. — [2] 1 Cor. V, 2. — [3] Philip. III, 16. — [4] 1 Tim. VI, 4. — [5] Matth. V, 29, 30. — [6] 1 Cor. V, 6.

INTERROGATIO LVIII.

An tantummodo is, qui de industria mentitus est, judicetur : aut etiam is, qui nesciens aliquid absolute contra veritatem locutus sit.

Responsio.

Judicium Domini etiam de iis, qui per ignorantiam peccant manifestum est ex verbis illis : « Qui non cognovit, et » fecit digna plagis, vapulabit paucis [1]. » Ubique autem pœnitentia rite et egregie peracta, veniæ spem firmam et stabilem habet.

INTERROGATIO LIX.

Si quis cogitaverit duntaxat aliquid facere, nec tamen fecerit, an et ille velut mendax judicetur?

Responsio.

Si ex mandato est, quod facere cogitavit, non ut mendax solum, sed ut contumax etiam condemnatur. « Scru» tans enim corda et renes Deus [2]. »

[1] Luc. XII, 48. — [2] Psal VII, 10.

INTERROGATIO LX.

Si quis præventus constituerit se quidpiam facturum eorum, quæ Deo non placent, magis-ne convenit abstinere ab eo quod male statutum est, an metu mendacii peccatum committere?

RESPONSIO.

Cum Apostolus dicat : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis [1], » item cum Dominus ipse sic confiteatur : « Non possum ego facere a me » quidquam [2], » et rursus. « Verba, quæ ego loquor vobis, a » me ipso non loquor [3], » et alio in loco, « Descendi de cœlo, » non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui » misit me Patris [4], » pœnitentiam agere debet qui est ejusmodi : primum quidem quod aliquid qualecumque tandem fuerit, a seipso audet decernere, neque enim ipsa etiam bona ex propria auctoritate facere oportet : deinde vero, et quidem multo magis, quod præter Dei placita quidpiam statuere veritus non est. Quod autem rescindendum sit, quidquid ex præjudicata opinione statutum est præter præceptum Domini, aperte ostenditur in apostolo Petro, qui præventus apud se statuerat quidem illud : « Non lavabis » mihi pedes in æternum : » sed postquam audivit Dominum pronuntiantem : « Si non lavero te, non habebis partem » mecum, » confestim, mutata sententia, dixit : « Domine, non » tantum pedes meos, sed et manus et caput [5]. »

[1] 2 Cor. III, 5.— [2] Joan. V, 19. — [3] Id. XIV, 10. — [4] Id. VI, 38. — [5] Id. XIII, 8, 9.

INTERROGATIO LXI.

Si quis neque laborare potest, neque Psalmos discere velit, quid de eo fieri debet?

RESPONSIO.

CUM Dominus in parabola dixerit de ficu illa infœcunda: « Succide illam ; ut quid etiam terram occupat [1]? » necesse quidem est providere ei cum omni diligentia ; sed si morem non gerit, id quod de eo, qui in peccato perseverat, præscriptum est, etiam erga illum observetur. Quisquis enim bono non dat operam, cum diabolo et angelis ejus condemnatur.

INTERROGATIO LXII.

Quid fecerit quis, ut condemnetur velut qui talentum occultavit?

RESPONSIO.

QUISQUIS apud seipsum detinet qualemcumque tandem gratiam Dei, ut ea ipse perfruatur, non autem alios beneficii hujus facit participes, is velut occultans talentum, condemnatur.

[1] Luc. XIII, 7.

INTERROGATIO LXIII.

Quid est, quod cum fecerit quis, condemnatur, ut ii, qui murmuraverunt contra postremos?

RESPONSIO.

CONDEMNATUR ob suum quisque peccatum : et quidem qui murmuraverint, ob murmurationem. Verum sæpe alii alia de causa murmurant. Hi quidem, quod sibi desint alimenta : ut qui gulosi sint, et ventrem Deum faciant : illi vero, quod par cum postremis præmium acceperint, ostendentes invidiam homicidii sociam. Alii denique ob aliquam quamvis causam.

INTERROGATIO LXIV.

Cum Dominus noster Jesus Christus dicat : Expedit illi ut mola asinaria suspendatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, potius quam ut scandalizet unum de pusillis istis[1] : *Quid est scandalum dare, aut quomodo illud caveamus, ut ne judicium adeo horrendum subeamus ?*

RESPONSIO.

SANE scandalo est aliquis, cum verbo aut actione legem violat, aliumque inducit ad legem perfringendam, velut serpens Evam, et Eva Adam : ac etiam cum prohibet exequi voluntatem Dei, ut Petrus Dominum, cum dixit : « Pro-

[1] Matth. XVIII, 6.

» pitius sis tibi, Domine, non erit tibi hoc : » qui audivit, « Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis » ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum [1]. » Aut quando suscitat animi infirmi alicujus ad vetitum quiddam, prout ab Apostolo scriptum est, his verbis : « Si quis enim viderit » te, qui habes scientiam, in idolio recumbentem, nonne » conscientia ejus, qui infirmus est, ædificabitur ad mandu- » candum idolothyta [2] ? » Quibus isthæc adjungit : « Qua- » propter si esca scandalizat fratrem meum, non manduca- » bo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem [3]. » Oritur autem scandalum pluribus ex causis. Vel enim ex eo qui scandalizat, scandalum nascitur : aut scandalum proficiscitur ex eo qui scandalizatur. Ac rursus id in his contingit variis modis. Aliquando enim ex malitia, aliquando vero ex imperitia vel hujus, vel illius. Interdum etiam in recta verbi tractatione, eorum, qui scandalum patiun- » tur, malitia magis declaratur, perinde ut in ipsis rebus. Aut enim uno aliquo mandatum Dei faciente, aut iis, quæ in sua potestate sita sunt, libere utente, scandalizatur qui scandalizatur. Cum itaque de rebus, quæ ex mandato fiunt, vel dicuntur, offenduntur homines, et de his scandalizantur, (ut in Evangelio quidam de his, quæ a Domino fiebant, et dicebantur ex voluntate Patris), tunc Domini meminisse operæ-pretium est, qui, cum accessissent ad se Discipuli, ac dixissent : « Scis quod Pharisæi, audito verbo » hoc, scandalizati sunt [4] ? » eis de hujusmodi hominibus responsum dedit, his verbis : « Omnis plantatio, quam non » plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos : » cæci sunt duces cæcorum. Cæcus autem si cæco duca- » tum præstet, ambo in foveam cadent [5]. » Et multa hujuscemodi poterit quis invenire tum in Evangeliis, tum apud

[1] Matth. xvi, 22, 23.— [2] 1 Cor. viii, 10.— [3] Ibid. 13.— [4] Matth. , 12. — [5] Ibid. 13, 14.

Apostolum. Cum vero ob ea, quæ in potestate nostra posita sunt, offenditur quis, aut scandalum patitur, tunc revocanda sunt in memoriam hæc Domini ad Petrum verba, quando dixit : « Ergo liberi sunt filii : ut autem non scan» dalizemus eos, profectus ad mare, mitte hamum, et cum » piscem qui primus ascenderit, tolle : et aperto ore ejus, » invenies staterem, illum sumens, da eis pro me et te [1]. » Item quæ ab Apostolo ad Corinthios scripta sunt, his verbis : « Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem » meum scandalizem [2]. » Ac rursus, « Bonum est non man» ducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater » tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur [3]. » Quam autem metuendum sit in iis, quæ videntur sita esse in potestate nostra, aspernari fratrem, qui ob hæc scandalo afficitur, ostendit præceptum Domini, qui in universum prohibet omne scandali genus, ac dicit : « Videte ne con» temnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia » Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in » cœlis est [4]. » Quin et idem testatur Apostolus, qui quidem modo dicit : « Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendi» culum fratri, vel scandalum [5] : » modo vero hoc delictum vehementius interdicit verborum apparatu uberiore, ubi ait : « Si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolio » recumbentem, nonne conscientia ejus, qui infirmus est, » ædificabitur ad manducandum idolothyta ? Et peribit in» firmus frater in tua scientia, propter quem Christus mor» tuus est. » Quibus adjungit : « Sic autem peccantes in » fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in » Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem » meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem » meum scandalizem [6]. » Et alio in loco postquam dixit :

[1] Matth. XVII, 26. — [2] I Cor. VIII, 13.— [3] Rom. XIV, 21.— [4] Matth. XVIII, 10.— [5] Rom. XIV, 13. — [6] I Cor. VIII, 10-13.

« An ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc » operandi [1] ? » subinde adjungit : « Sed non usi sumus hac » potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum » demus Evangelio Christi [2]. » Cæterum cum rem ita horrendam esse demonstratum sit, in iis, quæ in potestate nostra posita sunt, fratri esse exemplo malo, quidnam possit quis de iis dicere, qui vetita faciendo aut loquendo dant scandalum ? Et maxime, cum aut scientia majore præditus esse videtur qui est offensioni, aut constituitur in aliquo gradu sacerdotali : qui cum debeat aliis esse præpositus velut regula et exemplar, si vel minimum quid neglexerit eorum, quæ scripta sunt, aut fecerit prohibitum quiddam, aut aliquid quod præceptum sit, omiserit, aut uno verbo indifferenter et silentio tulerit quidvis hujusmodi, judicio tanto vel ob hoc unum obnoxius est, ut sanguis illius qui peccavit, inquit, ex manibus ipsius requiratur [3].

INTERROGATIO LXV.

Quomodo quis veritatem detinet in injustitia.

Responsio.

Quando datis a Deo bonis abutitur ad suas ipsius voluntates : quod respuit Apostolus, his verbis : « Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei [4]. » Ac rursus, « Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, » sicut scitis : neque in occasione avaritiæ, Deus testis est : » nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, » neque ab aliis [5]. »

[1] 1 Cor. IX, 6. — [2] Ibid. 12. — [3] Ezech. III, 18. — [4] 2 Cor. II, 17. — [5] 1 Thess. II, 5, 6.

INTERROGATIO LXVI.

Quid est æmulatio, et quid contentio?

RESPONSIO.

SANE æmulatio est, cum quis, ne altero videatur esse inferior, aliquid studet facere. Contentio autem est, alios per ea quæ quis facit, cum ostentatione atque jactantia provocare et extimulare ad similia. Nam aliquando Apostolus, facta contentionis mentione, continenter adjungit inanem gloriam, his verbis : « Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam[1] : » aliquando vero inani gloria prius memorata, una cum hac prohibet quoque contentionem alio nomine, inquiens : « Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes[2]. »

INTERROGATIO LXVII.

Quid est immunditia, et quid impuritas?

RESPONSIO.

IMMUNDITIAM quidem lex indicavit, cum in rebus, quæ ex naturali necessitate præter voluntatem accidunt, vocem illam usurpavit : impuritatem vero designare mihi videtur Salomon sapientissimus, cum indulgentem voluptati, et doloris expertem nominat, sic ut impuritas sit animi affectio, quæ non habet, vel non fert dolorem athleticum

[1] Philip. II, 3. — [2] Gal. v, 26.

quemadmodum incontinentia est, quæ non habet imperium in eas quæ infestant voluptates.

INTERROGATIO LXVIII.

Quid est furoris proprium, et quid proprium æquæ indignationis? et quomodo plerumque exorsi ab indignatione, in furorem incidisse deprehendimur?

RESPONSIO.

FURORIS proprium est animæ impetus cum consilio opprimendi ejus qui irritavit. Indignationis autem, quæ prudens sit, proprium fuerit, sibi emendationem peccantis proponere, ex affectu rem factam ægre ferente. Porro animum a bono exordientem delabi in malum, nihil mirum est : quippe a quolibet plura hujusmodi possunt reperiri. Quapropter operæ-pretium est meminisse Scripturæ divinæ, quæ sic habet : « Juxta iter scandala posuerunt mihi[1]. » Et iterum : « Si autem et certet aliquis, non coronatur, nisi » legitime certaverit[2]. » Est autem ubique cavenda nimietas, importunitasque ac perturbatio. Nam ea de causa unumquodque eorum, quæ memorata sunt, quanquam bonum esse videtur, sæpenumero in malum degeneravit.

[1] Psal. CXXXIX, 6. — [2] 2 Tim. II, 5.

INTERROGATIO LXIX.

Qui non minus edit quam cæteri, neque est fracto et invalido corpore, cujusque morbi non cognoscuntur, conqueritur tamen se laborare non posse, quomodo agendum cum illo sit.

RESPONSIO.

Omnis prætextus segnitiei prætextus est peccati. Nam ad mortem usque par est studium sicut et patientiam ostendere. Quod autem segnities, nequitiæ conjuncta, segnem ac pigrum condemnet, planum est ex verbis Domini, qui dixit : « Serve male, et piger [1]. »

INTERROGATIO LXX.

Quomodo tractandus sit qui abutitur vestibus aut calceamentis? Cum enim reprehenditur, nimiam parcitatem et murmurationem in reprehendente suspicatur. Quod si permaneat in eodem proposito post alteram tertiamve admonitionem idoneam, quid huic facere conveniat?

RESPONSIO.

Abusum amandat Apostolus, cum ait : « Tanquam utentes mundo hoc, et non abutentes [2]. » Usus enim mensura, est utendi necessitas inevitabilis : usus vero qui necessitatem excedit, aut avaritiæ, aut voluptatis, aut vanæ gloriæ morbo obnoxius est. Cæterum qui perseverat in peccato, is subit judicium idem, quod qui pœnitentiam non agit.

[1] Matth. xxv, 26. — [2] 1 Cor. vii, 31.

INTERROGATIO LXXI.

Sunt qui in cibis suavitatem consectantur magis, quam copiam : alii vero copiam magis quam suavitatem satietatis causa exoptant : quî igitur utrique tractandi sunt ?

RESPONSIO.

ÆGROTANT utrique, hi voluptate, illi immodica aviditate. Neque vero voluptarius, neque is qui plus æquo in quacumque re avidus est, vitat condemnationem. Quamobrem leniter et benigne ambo curandi sunt, ad vitium hoc sanandum. Quod si ex morbo non convalescant, judicium eorum, qui pœnitentiam non agunt, perspicuum est et compertum.


INTERROGATIO LXXII.

Si quis in cibis sumendis inter fratres se gerat immodeste, voracius edens aut bibens, an ipsum reprehendere oporteat ?

RESPONSIO.

QUI hujusmodi est, non servat præceptum Apostoli, qui dixit : « Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite [1]. » Ac iterum : « Omnia honeste, et secundum ordinem fiant [2]. » Et indiget correctione, nisi si qua illum urgeret laborandi, aut festinandi necessitas : imo etiam tunc vitanda sedulo offensio est.

[1] 1 Cor. x, 31. — [2] Id. xiv, 40.



INTERROGATIO LXXIII.

Qui non desiderio correctionis fraternæ, sed libidine seipsum ulciscendi redarguit delinquentem, quomodo is corrigi debeat, si sæpius admonitus perseveret in eodem vitio.

RESPONSIO.

Qui hujusmodi est, pro homine sui amante, dominandique cupido habeatur, ac correctionis modus pro pietatis solertia ei declaretur. Quod si in sua perseveret nequitia, manifestum est judicium, quod in eos, quos non pœnitet, pronuntiatur.


INTERROGATIO LXXIV.

Qui secedunt a fratrum conventu, voluntque solitariam vitam degere, aut cum paucis eumdem pietatis scopum sequi, an a cæteris sint separandi, ex Scriptura edoceri postulamus.

RESPONSIO.

Cum Dominus sæpe dixerit : « Filius a seipso nihil facit [1] : » item, « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris [2] ; » quinetiam cum ita testetur Apostolus, « Quod caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : » hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque

[1] Joan, v, 19. — [2] Id. vi, 38.



»volumus, illa faciamus [1], » quidquid eligitur propria voluntate, id alienum est a pietatis cultoribus. Verum de iis, qui hujusmodi sunt, in quæstionibus fuse explicatis uberius respondimus.

INTERROGATIO LXXV.

An peccati cujusque, sive mente, sive verbo, sive actione patratum fuerit, Satanam auctorem dicere conveniat?

Responsio.

In universum arbitror Satanam per se ipsum cuiquam auctorem esse non posse ad peccandum : sed modo insitis unicuique a natura motionibus, modo etiam interdictis affectionibus utens, per has eos, qui non vigilant, ad ea quæ vitiorum propria sunt conatur abducere. Naturalibus quidem motionibus usus est, velut in Domino facere tentavit, quando illum esurientem animadvertens, dixit : « Si » Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant [2]. » Affectibus vero interdictis utitur; ut in Juda, quem cum avaritiæ morbo laborare intellexisset, hacce affectione usus, avarum illum nummis triginta argenteis ad proditionis scelus impulit. Quod autem etiam mala ex nobis ipsis nascantur, manifeste Dominus ostendit : « De corde enim, inquit, » exeunt cogitationes malæ [3]. » Id autem iis contingit, qui ex incuria naturalia bonorum semina inculta relinquunt : convenienter dicto illi Proverbiorum : « Velut ager, vir in» sipiens, et velut vinea, homo ratione egens. Si dimiseris » eum, desertus fiet, et herbis luxuriabit totus, et fit dere» lictus [4]. » Ea autem anima, quæ ex hujusmodi negligentia

[1] Gal. v, 17. — [2] Matth. iv, 3. — [3] Id. xv, 19. — [4] Prov. xxiv, 30, juxta LXX.

manet inculta et derelicta, necessaria quadam consecutione producit spinas ac tribulos, experiturque quod dictum est : « Expectavi ut faceret uvam, fecit autem spinas [1]. » De qua anima prius dictum fuerat : « Et plantavi vineam » Sorec [2] : » quod si interpreteris, sonat electam. Huic autem consimile quiddam potest quis invenire etiam apud Jeremiam ex persona Dei dicentem : « Ego plantavi vitem » fructiferam, totam veram : quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena [3] ? »

INTERROGATIO LXXVI.

An oporteat mentiri, videlicet rei cujusdam utilis causa?

Responsio.

Hoc non permittit sententia Domini, qui præcise dixit mendacium ex diabolo esse [4], nullo assignato mendacii discrimine. Quin et Apostolus id testatur cum scripsit : « Et si certet aliquis, non coronatur nisi legitime certaverit [5]. »

[1] Isaï. v, 4 — [2] Ibid. 2. — [3] Jer. II, 21. — [4] Joan. VIII, 44. — [5] 2 Tim. II, 5.

INTERROGATIO LXXVII.

Quid est dolus, et quid malignitas?

RESPONSIO.

MALIGNITAS quidem est, uti arbitror, ipsa prima et occulta morum malitia : dolus vero, est sedula ad struendas insidias opera, cum scilicet quis bono quodam simulato, eoque alicui instar illecebræ objecto, illius ope molitur insidias.

INTERROGATIO LXXVIII.

Inventores malorum qui sint?

RESPONSIO.

QUI præter ea, quæ plerisque familiaria, ac nota sunt mala, quædam adhuc alia comminiscuntur, inveniuntque.

INTERROGATIO LXXIX.

Si quis assidue seipsum accusat, quod aspere tractet fratrem, quomodo corrigetur?

RESPONSIO.

RES quidem ista, quantum ex ea conjecto, venit vel ab animo eximium aliquid de se excogitante, aut a tristitia

ex delictis eorum, qui recte agere deberent, ortum habente. Cum enim bono aliquo expectato, contrarium quiddam et molestum accidit, tum id vehementius nescio quomodo animum percellit. Cura autem opus est majore, ut siquidem primum fuerit superbiæ vitium, id coërceamus : sin secundum, antequam ad indignationem veniatur, misericordiam exhortando atque commonefaciendo ostendamus. Quod si hæc medendi ratio inefficax apparuerit propter insidentis vitii pravitatem, tum demum indignationis vehementiam una cum commiseratione ad peccantis utilitatem emendationemque opportune ac jure adhibuerimus.

INTERROGATIO LXXX.

Unde fit, ut cogitationes bonæ sollicitudinesque Deo placitæ mentem veluti deficiant : et qua ratione fiet, ut id caveamus?

Responsio.

Cum David dixerit : « Dormitavit anima mea præ tædio [1], » perspicuum est hujusmodi vitium ex animi sopore ac stupore exoriri. Siquidem animum vigilantem et sobrium sollicitudo Deo grata, et bona cogitatio nequaquam deficit : quin potius eis semetipsum deesse videt. Nam si corporis oculus neque satis est ad contemplanda etiam pauca quædam Dei opificia, neque si quid semel conspicatus sit, exsatiatur, sed etiamsi semper idem videat, tamen aspicere non desinit, quanto magis animæ oculus, si vigilans sit et expergefactus, ad Dei mirabilia, et ad illius

[1] Psal. cxviii, 28.

judicia speculanda nequaquam sufficit. « Judicia enim, » inquit, tua abyssus multa [1]. » Et alio in loco : « Mirabilis » facta est scientia tua ex me : confortata est, non potero » ad eam [2]. » Et multa hujuscemodi. Quod si deficit animam cogitatio bona : profecto adhuc deficit ipsam illuminatio : non quod deficiat, quod illuminat, sed quod dormitet, quod illuminari debet.

INTERROGATIO LXXXI.

Si pii sunt æqualiter objurgandi atque quivis alii indifferentes, quando in eodem utrique peccato deprehenduntur.

Responsio.

Si respexerimus ad animum peccantis, et ad modum peccati, cognoscemus etiam modum increpandi. Nam etiamsi idem peccatum esse videatur tum hominis indifferenter se gerentis, tum pii, tamen inter utrumque intercedit discrimen non mediocre. Pius enim, cum pius sit, laboretque simul ac contendat ut placeat Deo, casu aliquo et fere quasi invitus aberravit et lapsus est : qui vero gerit se indifferenter, nullam neque sui ipsius, neque Dei rationem habens, atque vel ipso nomine id indicante, nullum discrimen ponens peccatum inter et virtutem, præcipuis ac ingentibus malis ægrotat : videlicet quod aut Deum aspernetur, aut Deum esse non credat. Hæc enim duo in causa sunt, cur peccet anima, ut testatur Scriptura, cum nunc quidem ait : « Dixit injustus, ut delinquat in semet» ipso : non est timor Dei ante oculos ejus [3], » nunc vero :

[1] Psal. xxxv, 7. — [2] Id. cxxxviii, 6. — [3] Id. xxxv, 2.

« Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus : corrupti sunt » et abominabiles facti sunt in studiis [1]. » Itaque aut contempsit, proptereaque peccat; aut inficiatur Deum ipsum esse, et eam ob causam in studiis corrumpitur; tametsi videtur confiteri. « Confitentur enim, inquit, se nosse » Deum, factis autem negant [2]. » Quæ cum ita se habeant, etiam objurgandi modum erga eos qui sunt ejusmodi diversum esse oportere puto. Pius enim quasi locali quodam præsidio indiget, et in ipsa re in qua offendit, debet objurgationem sufferre : indifferens vero cum totum simul corruperit animæ bonum, ægrotetque ipsis generalioribus malis, aut tanquam contemptor, uti jam dixi, aut tanquam incredulus et lugeri, et admoneri, et objurgari debet; quoad ei persuaderi possit aut Deum esse justum judicem, et ita expavescat, aut in universum, Deum esse, sicque perterreatur. Atque etiam id scire operæ-pretium est, contingere sæpe piorum delicta, divina providentia ita dispensante ad eorum utilitatem. Deus enim labi eos aliquando permittit, ad sanandam priorem quamdam animi elationem, quale est quod a Petro dictum fuit, et in eo ipso obtigit.

INTERROGATIO LXXXII.

Quoniam scriptum est, Anus ut matres [3] : *si forte anus admiserit peccatum idem quod adolescentula, an obnoxia sit mulctæ eidem?*

Responsio.

Apostolus quidem anus honorari oportere docuit ut matres, non ut facientes quidquam reprehensione dignum.

[1] Psal. XIII, 1. — [2] Tit. I, 16. — [3] I Tim. V, 2.

Quod si contigerit aliquando ut anus peccatum idem atque adolescentula admiserit, primum quidem, ut ita dicam, consideranda sunt naturalia ætatis vitia, atque hoc pacto objurgationis modus ætati utrique conveniens est definiendus. Exempli causa, naturalis fere est senectæ pigritia, juventuti non item : quemadmodum mentis aberratio, perturbatioque et audacia, et quæcumque ejusdem generis sunt, juventuti, non autem senectúti insita sunt, et a naturali juventutis calore videntur adjuvari. Quamobrem peccatum idem, puta segnities, gravius reprehendendum est in adolescentula, ætate nihil illam excusante. Sic peccatum idem, mentis aberratio, aut audacia, aut perturbatio anum reddit majori animadversione dignam, ætate ipsa ad lenitatem tranquillitatemque ostendendam suppetias veniente. Adhæc et peccati modum abs re non fuerit in utraque persona expendere, sicque mulcta quadam convenienti idoneam medendi rationem adhibere.

INTERROGATIO LXXXIII.

Si quis multa recte faciens, in uno delinquat duntaxat, quomodo ipsum tractabimus?

RESPONSIO.

VELUT Petrum Dominus.

INTERROGATIO LXXXIV.

Si quis turbulentis ac tumultuosis moribus præditus, propterea correptus, dicat alios bonos, alios malos a Deo fuisse factos, an recte loquatur?

RESPONSIO.

Hæc opinio jampridem veluti hæretica damnata est : siquidem est blasphema, et impia, animamque ad peccatum proclivem efficit. Quare aut corrigatur, aut pellatur e medio [1], ut ne illud contingat : « Modicum fermentum » totam massam adulterat [2]. »

INTERROGATIO LXXXV.

Numquid conveniat aliquid proprium habere in fratrum societate?

RESPONSIO.

Hoc contrarium est testimonio, quod in Actis refertur de iis, qui crediderant, in quibus scriptum est : « Nec quis» quam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dice» bat [3]. » Quare qui dicit suum aliquid esse, seipsum alienum facit ab Ecclesia Dei, et a charitate Domini, qui et verbo et facto docuit animam suam pro amicis ponendam esse, nedum opes externas.

[1] 1 Cor. v, 2. — [2] Gal. v, 9. — [3] Act. iv, 32.

INTERROGATIO LXXXVI.

Si quis dicat : « Neque accipio a fratribus, neque eis do, sed meis contentus sum, » ecquid nobis erga talem observandum fuerit?

RESPONSIO.

HIC nisi pareat doctrinæ Domini, qui dixit : « Diligite » invicem, sicut ego dilexi vos [1], » pareamus nos Apostolo, qui ait : « Auferte pravum ex vobis ipsis [2], » ne illud usuveniat : « Modicum fermentum totam massam adulte» rat [3]. »

INTERROGATIO LXXXVII.

Si liceat unicuique suum vetus indumentum, aut calceamentum dare cui velit, juxta mandatum.

RESPONSIO.

DARE aut accipere etiam secundum mandatum, non est cujuslibet, sed ejus cui post factum periculum delatum est munus dispensandi. Proinde sive vetus, sive novum fuerit, hic habita ratione temporis cujusque, et dabit, et recipiet.

[1] Joan. XIII, 34. — [2] 1 Cor. V, 2. — [3] Ibid. 6.

INTERROGATIO LXXXVIII.

Quid sit sollicitudo hujus vitæ?

RESPONSIO.

OMNIS cura tametsi nihil eorum quæ prohibita sunt, videtur complecti, nisi tamen conferat ad pietatem, hujus vitæ sollicitudo est.

INTERROGATIO LXXXIX.

Quoniam scriptum est, Pretium redemptionis animæ viri, sunt suæ ipsius divitiæ[1]; *quid nobis faciendum est, quibus id non suppetit?*

RESPONSIO.

SI quidem hoc nobis studio fuerit, nec tamen potuerimus, meminerimus responsi Domini ad Petrum, qui de hujusmodi re admodum sollicitus dixerat : « Ecce nos re»liquimus omnia, et secuti sumus te : Quid ergo erit nobis? » Sic autem ipsi respondet : « Omnis qui reliquerit »domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, »aut uxorem, aut filios, aut agros, propter me, et Evan»gelium, centuplum accipiet, et vitam æternam posside»bit[3]. » Si vero hoc prætermiserimus ex incuria, nunc studium ostendamus. Quod si jam neque tempus suppetit, neque facultas, consoletur nos Apostolus, qui dicit : « Non »quæro vestra, sed vos[2]. »

[1] Prov. XIII, 8. — [2] Matth. XIX, 27-29. — [3] 2 Cor. XII, 14.

INTERROGATIO XC.

Si licet nocturnum vestimentum habere, sive ex pilis confectum, sive aliud alterius generis.

RESPONSIO.

SUA sunt tempora usui ejus quod ex pilis conficitur vestimenti. Non enim hæc in usu sunt corporalis necessitatis causa, sed afflictationis, et humiliationis animæ. At cum prohibita sit duorum possessio, an possit usus ille adhiberi citra eam, quam ante dixi, causam, secum quisque reputet.

INTERROGATIO XCI.

Si frater, cui nihil proprium suppetit, rogatus fuerit ab aliquo, ut det idipsum quod gestat, quid facere debet, maxime si nudus fuerit, qui petit?

RESPONSIO.

SIVE nudus, sive pravus, sive etiam quis ex necessitate, sive ex avaritia petat, semel dictum est non esse cujuslibet dare, aut accipere : sed ejus, qui prius probatus, muneri hujusmodi fuit propositus. Observetur autem illud « Unusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat [1]. »

[1] 1 Cor. VII, 20.

INTERROGATIO XCII.

Cum Dominus facultates jubeat vendere, qua ratione hoc faciendum est? utrum quoniam bona ipsa nocent natura sua, an propter animi aberrationem, quæ ex eis ipsi accidere solet?

RESPONSIO.

Ad hoc primum quidem dici illud potest, quod bona singula, si ipsa per se essent mala, nequaquam fuissent a Deo creata; « Omnis enim, inquit, creatura Dei bona est, » et nihil rejiciendum [1] : » deinde vero, quod mandatum Domini non docuit bona tanquam mala rejicienda esse et fugienda, sed dispensanda. Et condemnatur aliquis, non quod habuerit omnino, sed quod senserit de ipsis perverse, aut quod non bene eis usus sit. Animus siquidem horum amore liber, sanusque, necnon et eorumdem juxta mandatum dispensatio nobis prodest ad plurima, eaque maxime necessaria, modo quidem ad emendanda nostra peccata, quapropter scriptum est : « Verumtamen quod superest, » date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis [2], » modo vero, ad possidendum cœlorum regnum, et ad thesaurum qui nunquam defecturus est comparandum, sicut in alio loco dictum est : « Nolite timere, pusillus grex, quia » complacuit Patri vestro cœlesti dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis » sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis [3]. »

[1] 1 Tim. IV, 4. — [2] Luc. XI, 41. — [3] Luc. XII, 32, 33.

INTERROGATIO XCIII.

Qui semel bona sua reliquit, et nihil proprium habere professus est, quo animo uti debet rebus ad vitam necessariis, veluti vestitu ac victu.

Responsio.

Ita ut meminerit, uti scriptum est, Deum esse « Qui dat » escam carni omni [1]. » Verumtamen cura opus est, ut tanquam Dei operarius cibo suo sit dignus, isque in ipsius potestate positus non sit, sed ab eo cui fuit cura hæc concredita, et in tempore, et in mensura sibi subministretur, sicut scriptum est : « Dividebatur autem singulis, prout cuique » opus erat [2].

INTERROGATIO XCIV.

Si quis, relictis tributis, ad fratres accedat, cognati autem ipsius pro ipso divexentur ab exactoribus, utrum detur inde hæsitandi locus, aut afferatur detrimentum, tum huic, tum iis, qui illum receperunt.

Responsio.

Dominus noster Jesus Christus iis, qui se percontabantur, liceret-ne censum Cæsari dare, an non, respondet : « Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem et in- » scriptionem ? » Cum autem dixissent, « Cæsaris, » respon-

[1] Psal. cxxxv, 25. — [2] Act. iv, 35.

dit, his verbis : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : » et quæ sunt Dei, Deo [1]. » Cum igitur ex hoc perspicuum sit declarasse Dominum eos subjectos esse mandatis Cæsaris, apud quos inveniantur quæ sunt Cæsaris, si is cum ad fratrum conventum accessit, tale aliquid ex iis, quæ ad Cæsarem pertinebant, attulerit, tributa exolvere debet. Quod si cum discessit, sua omnia propinquis suis reliquit, nullus est hæsitandi locus, neque ipsi, neque iis, qui eum receperunt.

INTERROGATIO XCV.

An expediat iis, qui recens advenerunt, statim Scripturarum sententias ediscere.

RESPONSIO.

Et hæc ipsa quæstio ex iis, quæ superius jam dicta sunt, explanetur. Etenim quæ ad usum spectant, ea par est et necessarium ab unoquoque ex divina Scriptura edisci, et ut perficiatur pietas, et ut humanis traditionibus non assuescat.

INTERROGATIO XCVI.

Numquid cuilibet volenti permittendum sit, ut discat litteras, aut lectioni vacet?

RESPONSIO.

Cum Apostolus dicat : « Ut non quæcumque vultis, illa » faciatis [2], » quidquid in unaquaque re deligitur ex propria

[1] Luc. xx, 22-24. — [2] Gal. v, 17.

voluntate, id cuipiam permittere exitiosum est : quidquid vero præfectis comprobatur, tametsi repugnat voluntati, id amplecti operæ-pretium est. Cæterum huic etiam competit incredulitatis crimen, cum Dominus dixerit : « Estote » parati ; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet [1]. » Compertum est enim istum vitæ diuturnitatem moramque sibi proponere.

INTERROGATIO XCVII.

Si quis dicit : « Volo ad modicum tempus vestra opera proficere, » is-ne admittendus est?

Responsio.

Cum Dominus dixerit ; « Eum, qui venit ad me non ejiciam » foras [2], » Apostolus vero ita locutus fuerit, « Sed propter » subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare » libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut » nos in servitutem redigerent : quibus neque ad horam » cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud » vos [3], » par quidem fuerit accessum ipsi concedere, tum quod eventus incertus est : siquidem sæpenumero utilitate per aliquod tempus percepta, jam lubens illud vitæ institutum omnino amplectetur, quod non raro factum est : tum ut ipse servatam apud nos disciplinam, perspectam habeat, qui fortasse de nobis longe alia suspicabatur. Cæterum necesse est etiam coram ipso servari exactiorem disciplinam, ut et elucescat veritas, et cujusvis negligentiæ tollatur suspicio. Ita enim et nos Deo placebimus, et ille aut capiet utilitatem, aut redarguetur.

[1] Luc. XII, 40. — [2] Joan. VI, 37. — [3] Gal. II, 4, 5.

INTERROGATIO XCVIII.

Qualem animum habere debeat præfectus in iis, quæ præcipit, vel constituit.

RESPONSIO.

ERGA Deum quidem velut minister Christi, et dispensator mysteriorum Dei[1], timens ne quid præter voluntatem Dei in Scripturis testatam aut dicat, aut instituat, et inveniatur falsus testis Dei, aut sacrilegus, quod aut introducat quidpiam a Domini doctrina alienum, aut aliquid Deo gratum et acceptum prætermittat. Erga fratres vero, « Tanquam si nutrix foveat filios suos[2], » cupidus impertiendi unicuique ad placendum Deo, et ad utilitatem simul omnibus afferendam, non modo Dei Evangelium, sed suam etiam animam, juxta mandatum Domini et Dei nostri Jesu Christi, qui dixit : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos[3]. « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis[4]. »

INTERROGATIO XCIX.

Quonam animo oporteat increpantem increpare.

RESPONSIO.

ERGA Deum quidem, eo ipso quem habuit David, cum diceret : « Vidi insensatos, et tabescebam ; quia eloquia tua

[1] 1 Cor. IV, 1. — [2] 1 Thess. II, 7. — [3] Joan. XIII, 34. — [4] Id. XV, 13.

» non custodierunt[1]. » Erga eos vero, qui increpantur, habendus est hujusmodi animus, qualem induerit pater et medicus, commiserationi et misericordiæ admixtum, curans scilicet filium suum perite, et maxime si affuerit dolor, et curandi modus sine cruciatu adhiberi non possit.



INTERROGATIO C.

Quomodo eos, qui forinsecus adveniunt ac mendicant, dimittemus? Item utrum unusquisque qui voluerit, debeat panem, aut aliud quidvis erogare, an potius conveniat munus hoc uni alicui delegari?

RESPONSIO.

Cum Dominus pronuntiarit non esse bonum sumere panem filiorum, et projicere canibus, et tamen illud etiam approbarit : « Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt » de mensa dominorum suorum[2], » cui munus dispensandi fuit assignatum, is examine præmisso illud impleat. Quisquis autem id facit præter hujus sententiam, increpetur veluti disciplinæ corruptor, donec suum locum servare didicerit, cum Apostolus dicat : « Unusquisque, in quo voca» tus est, fratres, in hoc permaneat[3]. »

[1] Psal. CXVIII, 158. — [2] Matth. XV, 26, 27. — [3] I Cor. VII, 24.

INTERROGATIO CI.

An ille, cui dispensatio eorum, quæ Domino dedicata sunt, concredita est, necesse habeat exequi illud : Omni petenti te, tribue [1] : et volentem a te mutuum accipere, ne averseris [2].

Responsio.

Illud : « Omni petenti te tribue, » et, « Volentem a te » mutuum accipere, ne averseris, » est loco quasi tentationis, quemadmodum eorum, quæ proxime sequuntur, series declarat. Atque præceptum illud datum est in improbos : quod non primaria ratione, sed casu quodam exigente, debet perfici. Siquidem primarium Domini præceptum, illud est : « Vende quæ habes, et da pauperibus [3]. » Et rursus : « Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam [4]. » Quod si non sine periculo ad alios transfertur quod aliis destinatum est, cum Dominus dicat : « Non sum missus » nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël : » item, « Non » est bonum sumere panem filiorum, et objicere catellis [5], » quidni et a se quisque judicet quod justum est ?

[1] Luc. VI, 30. — [2] Matth. V, 42. — [3] Luc. XVIII, 22. — [4] Id. XII, 33. — [5] Matth. XV, 24 et 26.

INTERROGATIO CII.

An quacumque de causa e fratrum conventu egredientem exhortando oporteat detinere, an non? et si oportet, quibus tandem conditionibus detinendus sit?

Responsio.

Cum Dominus dixerit : « Eum qui venit ad me non eji» ciam foras[1], » ac rursum, « Non est opus valentibus me» dicus, sed male habentibus[2], » et alio in loco : « Quis ex » vobis habens centum oves, si aberraverit una ex ipsis, » non dimittit nonaginta novem, et profectus quærit erra» bundam, donec invenerit[3]? » nihil non adhibendum est ad curandum infirmum, atque danda est sedula opera, ut luxatum membrum, ut ita dicam, in suum locum restituatur. Quod si in suo vitio qualecumque tandem sit, perseveraverit, tum perinde atque alienus dimittendus est. Scriptum est enim : « Omnis plantatio quam non plantavit Pater » meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt[4]. »

[1] Joan. VI, 37. — [2] Matth. IX, 12. — [3] Id. XVIII, 12. — [4] Id. XV, 13, 14.

INTERROGATIO CIII.

Quod quidem senioribus parendum sit vel usque ad mortem, hoc jam didicimus: verum quoniam usuvenit nonnunquam, ut et ipse senior labatur in aliquibus, an sit ipse redarguendus, et quomodo, et a quibus, edoceri postulamus. Si vero id non ferat, quid faciendum est?

RESPONSIO.

De his enucleate dictum est in latiore responsione.

INTERROGATIO CIV.

Quomodo debent fratribus munera et officia committi? utrum a solo præfecto ita judicante, an etiam a fratribus suffragium ferentibus? itemque in sororibus similiter.

RESPONSIO.

Si unusquisque ea, quæ sentit, aliis proponere edoctus est, quanto magis quæ sunt hujusmodi, ea fieri debent, adhibito eorum, qui ad hoc apti sunt, judicio? Quare Dei negotium secundum Deum concredendum est iis, qui se jam ostenderint credito munere fungi posse modo Domino grato. Et in summa, necessarium fuerit præfectum in omni negotio sacræ Scripturæ meminisse, quæ sic habet: « Fac » omnia cum consilio[1]. »

[1] Eccli. XXXII, 24.

INTERROGATIO CV.

Numquid ii, qui accedunt ad fratres debeant statim artes ediscere?

RESPONSIO.

PRÆPOSITI judicabunt.

INTERROGATIO CVI.

Cujusmodi mulctis in fratrum societate uti oporteat ad peccatores convertendos.

RESPONSIO.

TEMPUS et modus præpositorum judicio decernatur, spectatis tum vigore ac ætate corporis, tum habitu animi, tum discrimine peccati.

INTERROGATIO CVII.

Si quis dicat cupere se cum fratribus vivere, sed tamen propter obsequium quod suis secundum carnem propinquis præstandum est, aut etiam propter tributa sæpe impediatur quominus omnino amplectatur hujusmodi vitam, an accessus ad fratres ei permitti debeat.

RESPONSIO.

CUPIDO quidem æqui bonique non exscinditur sine periculo : neque tamen ei, qui semel ingressus sit, tempus et

facultatem res externas et a vita secundum Deum instituta alienas tractandi dare tutum est. Quod si ingressus quis seipsum rebus internis dedat, nec quidquam secum afferat eorum quæ externa sunt, is meliorem de se spem ostendit.

INTERROGATIO CVIII.

An conveniat præfectum, præfecta absente, cum sorore aliqua loqui de iis, quæ ad fidei ædificationem pertinent.

RESPONSIO.

In his non servatur præceptum Apostoli, qui dixit : « Omnia honeste, et secundum ordinem fiant[1]. »

INTERROGATIO CIX.

An conveniat præfectum cum præfecta frequenter colloqui? et maxime si id aliquos fratres offendat.

RESPONSIO.

Cum Apostolus dixerit : « Ut quid enim libertas mea ju- » dicatur ab alia conscientia[2]? » non abs re fuerit imitari ipsum, dicentem : « Non usi sumus hac potestate, ne quod » offendiculum demus Evangelio Christi[3]; » et quoad fieri potest, rariora brevioraque colloquia facere operæ-pretium est.

[1] 1 Cor. xiv, 40. — [2] Id. x, 29. — [3] Id. ix, 12.

INTERROGATIO CX.

An sorore seniori confitente, adesse oporteat etiam ipsam seniorem.

RESPONSIO.

HONESTIUS cautiusque coram ipsa seniore fiet confessio seniori, qui scite ac prudenter pœnitentiæ atque correctionis modum possit suggerere.

INTERROGATIO CXI.

Cum senior ipse jussit aliquid a sororibus fieri, nesciente ipsa seniore, an senior illa jure ac merito indignetur?

RESPONSIO.

JURE optimo.

INTERROGATIO CXII.

Si quis accedit ad vitam, quæ secundum Deum est, convenit-ne talem recipi a præfecto citra fratrum notitiam? an potius hoc cum illis quoque prius communicari oporteat?

RESPONSIO.

DOMINUS docet ob pœnitentem amicos ac vicinos convocari. Quare multo magis necessarium est, ut is, qui ac-

cedit, scientibus cunctis fratribus, suscipiatur, ut simul inter se et gaudeant, et precentur.

INTERROGATIO CXIII.

An possit is, cui animarum cura concredita est, observare illud : Nisi conversi fueritis, et facti fueritis sicut parvuli : *quandoquidem res illi est cum multis personis et diversis?*

RESPONSIO.

CUM sapientissimus Salomon dixerit : « Tempus est omni » rei [1], » scire debemus et humilitati, et potestati exercendæ, et reprehensioni, et exhortationi, et misericordiæ, et libertati loquendi, et benignitati, et severitati, et, ut uno verbo dicam, rei cuique suum tempus esse. Quare sunt aliquando edenda humilitatis specimina, puerorumque imitanda est humilitas : et maxime tum cum tempus est mutui honoris et officiorum præstandorum, operæque et curæ circa corpus adhibendæ, quemadmodum Dominus docuit : aliquando vero potestate a Domino ad ædificationem [2], non autem ad destructionem tradita utendum est, cum videlicet necessitas postulat loquendi libertatem. Et ut exhortationis tempore exhibenda est benignitas : ita tempore severitatem exigente, æmulatio est ostendenda, atque in reliquis rebus singulis, eodem modo.

[1] Matth. xviii, 3. — [2] Eccl. iii, 1. — [3] 2 Cor. xiii, 20.

INTERROGATIO CXIV.

Cum Dominus præcipiat: Si quis te adegerit ad milliarium unum, vade cum illo duo[1]; *itemque Apostolus doceat, ut subjecti simus alter alteri in timore Christi*[2], *num cuivis et quodvis imperanti obediendum sit?*

Responsio.

Imperantium differentia obedientiæ eorum, quibus imperatur, nihil officere debet; neque enim Moses Jothor rectum sibi consilium dantem aspernatus est[3]. Cum autem eorum, quæ jubentur, exiguum non sit discrimen (alia siquidem adversantur mandato Domini aut corrumpunt illud, aut re, quæ prohibita sit, admixta, ipsum multis modis coinquinant: alia conveniunt cum mandato: alia etiamsi aperte cum eo non conveniant, adjuvant tamen, ac veluti adminicula quædam mandati sunt), necesse est meminisse Apostoli, qui dicit: « Prophetias nolite spernere. Omnia » autem probantes, quod bonum est tenete: ab omni spe» cie mala abstinete vos[4]. » Ac rursus, « Consilia destruen» tes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scien» tiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum » in obsequium Christi[5]. » Quare si quid quod omnino co» hæreat cum mandato Domini, aut ei conducat nobis præcipitur, id tanquam Dei voluntatem studiosius diligentiusque suscipere debemus, exequentes quod dictum est: « Obedientes alter alteri in charitate Christi[6]. » Cum vero aliquid quod contrarium sit mandato Domini, aut id cor-

[1] Matth. v, 41. — [2] Ephes. v, 21. — [3] Exod. xviii, 19. — [4] 1 Thess. v, 20-22. — [5] 2 Cor. x, 4, 5. — [6] Ephes. iv, 2.

rumpat, aut inquinet, nobis ab aliquo præceptum fuerit, tunc opportune dicemus : « Obedire oportet Deo magis » quam hominibus[1] : memores Domini, qui ait : « Alienum » autem non sequentur, sed fugient ab eo : quia non no- » verunt vocem alienorum[2], » et Apostoli etiam; qui securitatis nostræ gratia ausus est vel ipsos Angelos perstringere his verbis : « Etiamsi nos ipsi, aut Angelus de cœlo evange- » lizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, ana- » thema sit[3]. » Ex quibus illud docemur, quod licet necessitudine maxima nos attingat, et gloria præter modum excellat, qui vetat, quod a Domino imperatum est, aut contra quod ille vetuerit, faciendum suadeat, is cuivis Dominum diligenti fugiendus est, aut etiam execrationi habendus.

INTERROGATIO CXV.

Quomodo alter alteri obedire debeat.

RESPONSIO.

VELUTI Dominus servi, prout a Domino præceptum est : « Qui vult inter vos esse magnus, sit omnium ultimus, et » omnium servus[4]. » Quibus hæc efficatiora et ad persuadendum aptiora adjungit : « Quemadmodum Filius hominis » non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret[5] : » item, prout ab Apostolo dictum est : « Per charitatem Spiritus » servite invicem[6]. »

[1] Act. v, 29. — [2] Joan. x, 5. — [3] Gal. I, 8.— [4] Marc. x, 44. — [5] Ibid. 45. — [6] Gal. v, 13.

INTERROGATIO CXVI.

Ad quosnam terminos sese debet extendere obedientia, ut servetur mensura, qua Deo placere possimus?

RESPONSIO.

Hoc Apostolus docuit, proposita nobis obedientia Domini, qui « Factus est obediens usque ad mortem, mortem » autem crucis [1]. » Quin et dixerat antea : « Hoc sentite in » vobis, quod et in Christo Jesu [2]. »

INTERROGATIO CXVII.

Qui non assentitur iis, quæ sibi quotidie injunguntur, ut propositum quoddam mandatum conficiat, cupit vero artem ediscere, quali morbo laboret, et numquid debeat tolerari?

RESPONSIO.

Qui est hujusmodi, is et contumax, et sibimetipsi placens, et incredulus est : quandoquidem non timuit judicium Domini, qui dixit : « Estote parati : quia qua hora » non putatis Filius hominis veniet [3]. » Si quis enim diebus singulis et quavis hora Dominum expectet, is sollicito animo est, ne diem hodiernum otiosus prætereat, nihilque amplius curat. Quod si jussus fuerit artem ediscere, ex obedientia id lucrum referat, ut placeat Deo, non autem condemnetur ob procrastinationem.

[1] Philip. II, 8. — [2] Ibid. 5. — [3] Luc. XII, 40.

INTERROGATIO CXVIII.

Qui strenuus est in mandato conficiendo, sed facit quod sibi non præcipitur, sed quod ipse vult, qualem mercedem habet?

RESPONSIO.

Illius, qui sibi placet. Cum autem Apostolus dicat : « Unusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum, ad » ædificationem[1], » magisque nos invitet his quæ subjungit verbis : « Nam et ipse Christus non sibi placuit[2] : » imminens sibi periculum nosse debet, qui placet sibimetipsi. Quinetiam ille idem contumax esse et intractabilis convincitur.

INTERROGATIO CXIX.

An liceat unicuique assignatum sibi opus recusare, et aliud petere.

RESPONSIO.

Cum obedientia, sicut jam dictum est, limites suos ad mortem usque extendat, delatum munus qui recusat, et requirit aliud, primum violat obedientiam, et aperte declarat se minime abnegasse semetipsum : deinde etiam aliorum plurium malorum tum sibi, tum cæteris auctor existit. Aperit enim plerisque januam contradictionis, ac seipsum ad hanc assuefacit. Et quoniam non potest unus-

[1] Rom. xv, 2. — [2] Ibid. 3.

quisque judicare quid conducat sibi, non raro opus sibi noxium deligit. Ad hæc pravas fratribus suspiciones movet, tanquam si operi quod requirit, esset magis addictus, quam iis, quibuscum operari necesse est. Quare uno verbo, imperium detrectare, multorum ac ingentium malorum radix est. Quod si inesse sibi rationem aliquam operis recusandi putet, declaret illam præfectis, idque ipsis expendendum relinquat.

INTERROGATIO CXX.

An conveniat aliquo abire, moderatore non prius commonefacto.

RESPONSIO.

Cum Dominus dicat : « Neque enim a me ipso veni, sed » ille me misit [1], » quanto magis unusquisque nostrum non debet sibi ipsi illud permittere ? Enimvero id qui sibi indulget, clare ostendit laborare se morbo superbiæ, seque esse obnoxium judicio Domini, qui dixit : « Quod hominibus » altum est, abominatio est ante Deum [2]. » Et in summa, quidquam sibi permittere, id vitio datur.

[1] Joan. VII, 28. — [2] Luc. XVI, 15.

INTERROGATIO CXXI.

An liceat graviora opera recusare?

RESPONSIO.

Qui vere et sincere Deum diligit, et constanter ac certo expectat retribuendam a Domino mercedem, nequaquam præsentibus contentus est, sed semper aliquam requirit accessionem, et quiddam amplius exoptat. Et tametsi supra vires quidpiam efficere videtur; non tamen est securus, tanquam qui mensuram impleverit : quin potius sollicitudinem assiduam patitur, velut qui longe absit a debita perfectione, audiens Dominum ita præcipientem : « Cum » feceritis omnia quæ præcepta sunt, tum dicite : Servi inutiles sumus : quod debebamus facere, fecimus[1]. » Item cum audit Apostolum, cui mundus crucifixus erat, et ipse mundo[2], qui hæc dicere veritus non est : « Ego me non» dum arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens; ad ea vero, quæ sunt priora exten» dens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium » supernæ vocationis Dei in Christo Jesu[3]. » Qui cum sibi utpote Evangelium annuntianti, ex Evangelio vivere liceret[4], ait : « In labore et fatigatione, nocte et die operantes, non » quod non habeamus potestatem, sed ut nos ipsos formam » demus vobis ad imitandum nos[5]. » Quis igitur adeo stupidus est et incredulus, ut in iis, quæ fecerit, unquam acquiescat, aut aliquid velut gravius aut laboriosius detrectet?

[1] Luc. XVII, 10.— [2] Gal. VI, 14.— [3] Philip. III, 13, 14.— [4] I Cor. IX, 14. — [5] I Thess. III, 8, 9.

INTERROGATIO CXXII.

Cui hæc mulcta irrogata fuit, nimirum ut non accipiat benedictionem, si is dicat : « Nisi accepero benedictionem, non edo, » numquid ferendus sit?

Responsio.

Certe an peccatum tanta mulcta dignum sit, ut quis arceatur a sumendo cibo, prorsus judicabit, qui pœnam hanc irrogavit. Quod si quispiam habitus fuerit benedictione sola indignus, et edendi facultate ei data, edere tamen recuset, is tanquam contumax in hoc et pervicax judicetur. Atque etiam noverit semetipsum, intelligatque se sibi, dum hoc facere cupit, non mederi, sed peccatum peccato adjungere.

INTERROGATIO CXXIII.

Si quis ægre ferat non permitti sibi, ut faciat quæ apte facere non potest, is-ne tolerandus est?

Responsio.

De hac re dictum est plerisque in locis, quod in universum propria voluntate uti, aut pro arbitrio agere, alienum sit a recta ratione : itemque, quod plurium judicio non parere, est contumaciæ, et contentionis periculum adire.

INTERROGATIO CXXIV.

Si quando forte inciderit quispiam in hæreticos, aut in gentiles, an is debeat aut cum ipsis cibum capere, aut ipsos salutare?

RESPONSIO.

SALUTATIONEM quidem, si videlicet communis illa sit et vulgaris, nullo modo vetuit Dominus, cum dixerit : « Si » salutaveritis amicos vestros tantum, quid amplius facitis? » Nonne et ethnici sic faciunt [1]? » Quod vero ad cibum una capiendum attinet, habemus præceptum Apostoli, quo docemur, in quibus hoc vitari debeat, ita loquentis : « Scripsi » vobis in epistola, ne commisceremini cum fornicariis, ac » non omnino cum fornicariis hujus mundi, aut cum avaris, » aut cum rapacibus, aut idolorum cultoribus : alioquin » deberetis utique de hoc mundo exiisse. Nunc autem » scripsi vobis, ut ne commisceamini. Si aliquis qui frater » nominatur, est aut fornicator, aut avarus, aut idolis ser» viens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum ejus» modi ne cibum quidem capiatis [2]. »

[1] Matth. v, 47. — [2] 1 Cor. v, 9-11.

INTERROGATIO CXXV.

Cui munus aliquod creditum est, et nemine admonito, facit aliquid præter id quod ei injunctum fuit, aut ultra quam ipsi præscriptum est : is-ne debet id munus retinere?

Responsio.

Aliquid sibimetipsi assumere, in universum displicet Deo : neque id convenit, neque expedit iis, quibus vinculum conservandæ pacis in studio est. Quod si perseveraverit in sua protervia, præstat id officii ab ipso auferri. Non enim servat præceptum ejus qui dixit : « Unusquisque in quo vo- » catus est, fratres, in hoc permaneat [1]. » Et quod ad commovendum magis valet, addit : « Non plus sapere quam » oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : unicuique sicut » Deus divisit mensuram fidei [2]. »

INTERROGATIO CXXVI.

Qua ratione quis non vincatur a voluptate eduliorum.

Responsio.

Nempe si utilitatis rationem semper habere apud se statuerit ducem ac magistram eorum, quæ pro usu assumuntur, sive suavia fuerint, sive insuavia.

[1] 1 Cor. vii, 24. — [2] Rom. xii, 3.

INTERROGATIO CXXVII.

Dicunt quidam fieri non posse, quin homo irascatur.

RESPONSIO.

NON continuo si fieri potest ut miles irascatur in oculis regis, rationi consentaneum est quod dicitur. Etenim si hominis, qui secundum naturam æqualis est, aspectus, id vitium coërceat propter dignitatis præstantiam, quanto magis idem vitabitur, si cui sit persuasum se motuum suorum Deum inspectorem habere? Deus enim, qui scrutatur corda et renes, multo magis videt animi motus, quam homo quæ oculis subjiciuntur.

INTERROGATIO XXVIII.

Cum quis vult abstinentia supra vires uti, ita ut etiam in mandato quod sibi proponitur conficiendo impediatur, id-ne ipsi permittendum est?

RESPONSIO.

QUÆSTIO hæc non mihi rite proposita videtur. Abstinentia enim non sita est in ciborum nihil ad rem pertinentium amotione, ex qua consequitur ea, quæ ab Apostolo redarguitur, immoderata corporis afflictatio, sed in perfecto a propriis voluntatibus secessu. Quam autem periculosum sit a mandato Domini excidere ob propriam voluntatem, ex Apostoli verbis liquet, ubi ait : « Facientes voluntates » carnis, et cogitationum, et eramus natura filii iræ[1]. »

[1] Ephes. II, 3.

INTERROGATIO CXXIX.

Qui multum jejunat, ob idque in capiendo cibo communem escam sufferre non potest, utrum potius eligere debet, jejunare-ne cum fratribus, et una cum ipsis edere, an immodici jejunii causa, in cibo sumendo aliis eduliis opus habere?

Responsio.

Jejunii tempus non est arbitrium cujusque; sed est, cum ea, quæ ad Dei cultum pertinent, id requirunt : quemadmodum et Acta Apostolorum narrant, et ab electo Davide discimus [1]. Si quis igitur jejunat hunc in modum, utique consequitur etiam jejunandi facultatem. « Fidelis est enim » qui repromisit [2]. »

INTERROGATIO CXXX.

Quomodo jejunandum est, cum opus fuerit jejunio propter aliquid eorum, quæ ad pietatem excolendam requiruntur? utrum tanquam coacte, an cum animi promptitudine?

Responsio.

Cum Dominus dicat : « Beati qui esuriunt, et sitiunt jus» titiam [3], » quidquid ad pietatem conducit, id nisi libenter ac studiose fiat, periculosum est. Quare qui jejunat qui-

[1] Psal. xxxiv, 13, Act. xiii, 2, 3, et xiv, 22. — [2] Hebr. x, 23. — [3] Matth. v, 6.

dem, sed id animo alacri non facit, vocatur in periculum. Cæterum in tempore necessitatis ejusmodi necesse est jejunare, quandoquidem Apostolus inter sua alia recte facta, illud etiam ad docendos nos enumerat : « In jejuniis sæpe [1]. »

INTERROGATIO CXXXI.

Qui non capit cibos, quos fratres edunt, sed alios requirit, numquid recte faciat?

RESPONSIO.

In universum cibos requirere contrarium est mandato, cum Dominus dixerit : « Nolite quærere quid manducetis, » et quid bibatis : et nolite in sublime tolli [2] : » cumque quod ad perterrendum magis valet, statim addiderit : « Hæc enim » omnia gentes inquirunt [3]. » Est autem ejus, penes quem distribuendi munus est, diligenter exequi illud : « Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat [4]. »

INTERROGATIO CXXXII.

Qui dicit : « Id mihi nocet, » et ægre fert, nisi aliud sibi datum fuerit, quid hoc est.

RESPONSIO.

Apparet huic persuasum non esse de spe Lazari, neque ipsum charitatem illius cui omnium, et sui ipsius cura concredita est, perspectam habere. In universum autem non

[1] 2 Cor. xi, 27. — [2] Luc. xii, 29. — [3] Ibid. 30. — [4] Act. iv, 35.

debet quivis de re aut noxia aut expedienti judicium sibi permittere : sed id deferendum est ei, cujus munus est de cujusque utilitate judicare : qui præcipue inquirat animæ emolumentum, sicque secundo loco ea, quæ ad corporis necessitatem pertinent, subministret, juxta Dei voluntatem.

INTERROGATIO CXXXIII.

Si vero ob cibum etiam murmuraverit.

RESPONSIO.

EORUM, qui in deserto murmuravere[1], judicio obnoxius est. Ait enim Apostolus : « Neque murmuretis, sicut qui» dam eorum murmuraverunt, et perierunt ab Extermi» natore[2]. »

INTERROGATIO CXXXIV.

Si iratus quispiam aliquid eorum, quæ necessaria sunt, accipere recuset.

RESPONSIO.

QUI ejusmodi est, etiamsi poscat, dignus est qui non impetret, quoad vitium illud, imo potius vitia illa sanata esse præpositus judicaverit.

[1] Num. XI, 1. — [2] 1 Cor. X, 10.

INTERROGATIO CXXXV.

An conveniat quempiam labore defatigatum, quidquam consuetis amplius exposcere.

RESPONSIO.

Si laborem suscipit ob retribuendam a Deo mercedem, hinc laboris sui quærere non debet levamentum, sed semetipsum ad Domini præmium apparare, haud ignorans se ut pro labore remunerationem, ita quoque pro augustia consolationem a Domino consecuturum. Ille autem cujus ea provincia est, ut impleat illud : « Dividebatur singulis » prout cuique opus erat [1]; » debet necessario laborantem quemque cognoscere, et ut par est, curare.

INTERROGATIO CXXXVI.

An necesse sit omnes ad horam prandii convenire : et qui abfuerit, veneritque post prandium, quomodo nobis cum eo agendum sit.

RESPONSIO.

Si abfuerit quidem ob loci aut operis necessitatem, tanquam qui servet præceptum illius, qui dixit : « Unusquisque » in quo vocatus est, fratres, in hoc maneat [2]; » examine præmisso, ignoscet communis disciplinæ inspector : sin cum simul occurrere potuisset, non festinavit, culpa hujusce negligentiæ cognita, usque ad constitutam horam sequentis diei maneat jejunus.

[1] Act. IV, 35. — [2] I Cor. VII, 24.

INTERROGATIO CXXXVII.

Numquid rectum sit hoc, ut aliquis, exempli causa, in animo statuat se ad aliquid certum tempus ab aliquo cibo aut potu abstinere.

RESPONSIO.

Cum Dominus dixerit : « Non ut faciam voluntatem » meam, sed voluntatem ejus qui misit me [1]; » omne judicium voluntatis propriæ periculo non vacat. Cujus rei gnarus David, aiebat : « Juravi, et statui custodire judicia » justitiæ tuæ [2], » non voluntates meas.

INTERROGATIO CXXXVIII.

An in fratrum conventu cuipiam permitti debeat, ut plus quam cæteri jejunet, aut vigilet, ex propria voluntate.

RESPONSIO.

Cum Dominus dixerit : « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit » me Patris [3], » quidquid quis fecerit ex propria voluntate, id cum facientis sit proprium, alienum est a pietate : et metuendum est, ne quando de eo quod facere videtur, a Deo audiat : « Ad te conversio illius, et tu dominaberis » illius [4]. » Quin et in ipsis etiam bonis aliquid amplius præ

[1] Joan. VI, 38, et V, 30. — [2] Psal. CXVIII, 106. — [3] Joan. VI, 38. — [4] Gen. III, 16.

cæteris velle, contentionis vitium est, a vana gloria proficiscens : quod vetitum esse ostendens Apostolus, ait : « Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibus» dam, qui seipsos commendant[1]. » Quare, relictis propriis voluntatibus, eoque, ut videri velimus aliquid excellentius facere, quam reliqui, parere debemus Apostolo admonenti, ac dicenti : « Sive manducatis, sive bibitis, sive quid » facitis, omnia in gloriam Dei facite[2]. » Contendere enim, et efferri inani gloria, ac sibi placere res sunt omnino alienæ ab iis qui bonum certamen legitime decertant. Quapropter ait modo quidem : « Non efficiamur inanis » gloriæ cupidi[3] : » modo vero : « Si quis videtur conten» tiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, ne» que Ecclesiæ Dei[4] : » item in alio loco : « Debemus nos » non nobismetipsis placere[5] : » quibus hæc ad commovendum efficaciora adjungit : « Etenim Christus non sibi pla» cuit[6]. » Quod si quispiam existimat opus sibi esse asperitate majore, sive in jejuniis, sive in vigiliis, sive in quacumque alia re, patefaciat rei communi præfectis hanc ipsam rationem, ob quam asperitate majori indigere se arbitratur : quod autem ipsis probatum fuerit, observet. Sæpe enim alio potius modo necessitati ipsius consulere oportebit.

[1] 2 Cor. x, 12. — [2] 1 Cor. x, 31. — [3] Gal. v, 26. — [4] 1 Cor. xi, 16. — [5] Rom. xv, 1. — [6] Ibid. 3.

INTERROGATIO CXXXIX.

Aucto jejunio, evadimus ad laborem debiliores. Quid igitur magis facto opus est? rescindere-ne laborem propter jejunium, an negligere jejunium propter laborem?

RESPONSIO.

OPERÆ-PRETIUM est et jejunare, et edere juxta accommodatam pietati rationem; ut cum conficiendum fuerit Dei mandatum per jejunium, jejunemus, ac vice versa, cum Dei mandatum cibum corpus corroborantem exigit, comedamus, non tanquam helluones, sed ut operarii Dei. Servandum est enim quod dictum est ab Apostolo : « Sive » manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam » Dei facite [1]. »

INTERROGATIO CXL.

Si quis temperans non fuerit in noxiis cibis capiendis : imo vero iis abunde sumptis incidat in morbum, numquid ejus cura suscipienda sit?

RESPONSIO.

INTEMPERANTIA manifestam præfert nequitiam. Atque imprimis de hoc vitio sollicitum esse necesse est, ut remedium ei afferatur. Etenim benignus Deus, quantum malum incontinentia sit ostendere cum vellet, animam sæpe in

[1] 1 Cor. x, 31.

iis etiam, quæ corpori nocent, in vitium intemperantiæ labi permisit, si forte posset per corporalem morbum, quem intemperantiæ causa perferebat, suum ipsius detrimentum nosse, et adduci ad servandam in omnibus temperantiam. Cæterum curam corporis erga eos, qui ob intemperantiam male afficiuntur, gerere quidem cito, rationi et benignitati convenit, non tamen sine ullo examine, sed sollicite, ne forte corpore curando animam relinquamus incuratam. Quamobrem si quis quempiam ita affectum conspexerit, ut per corporis curationem probe eruditus sit, animamque vitiis propriis irretitam curet, adhibenda est ipsi corporalis cura. Quod si, in curando corpore, contemnere animam deprehendatur, præstabilius est, qui ejusmodi est, eum in doloribus iis, quos ob suam intemperantiam suffert, derelinqui, si forte temporis progressu ad sui ipsius et æterni supplicii notitiam perveniens, possit animæ sanitati providere. « Dum enim judicamur, a » Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damne» mur [1]. »

INTERROGATIO CXLI.

An conveniat peregrinos reperiri in officinis, aut etiam aliquos ex contubernalibus, loco suo relicto.

Responsio.

Eo excepto, qui operariis invisendis, et dispensandis operibus præfectus fuit, quisquis hoc facere inventus fuerit, veluti qui rectum ordinem harmoniæ membrorum dissolverit, licito etiam egressu prohibeatur : in loco autem,

[1] 1 Cor. xi, 32.

qui castigationi idoneus judicatus fuerit, sedens, attente et solito laboriosius pensum reddat, quoad servare didicerit quod dictum est ab Apostolo : « Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat [1]. »

INTERROGATIO CXLII.

An debeant artifices opus ab aliquo accipere citra sententiam illius, cui demandata est harumce rerum cura.

RESPONSIO.

JUDICIO furis, aut cujusvis cum fure currentis obnoxius esto uterque, tum qui dat, tum qui accipit.

INTERROGATIO CXLIII.

Quomodo operarii commissa sibi instrumenta debeant accurare.

RESPONSIO.

PRIMUM tanquam dicata Deo et consecrata : deinde tanquam qui sine ipsis studium impigrum quod debetur, ostendere non queant.

[1] 1 Cor. VII, 24.

INTERROGATIO CXLIV.

Si quis ex negligentia aliquod perdiderit, aut eo præ contemptu abusus fuerit.

RESPONSIO.

Qui abusus fuerit, veluti sacrilegus: qui vero perdiderit, tanquam sacrilegii auctor judicetur, cum sint Domino dedicata omnia, et Deo consecrata.

INTERROGATIO CXLV.

Quod si suo jure commodaverit alicui, aut ab eo acceperit.

RESPONSIO.

Velut temerarius et contumax judicetur. Hæc enim ejus, qui his curandis præpositus est, ipsaque distribuit, propria sunt.

INTERROGATIO CXLVI.

Quod si etiam, urgente necessitate, præpositus ipse ab eo petierit instrumentum, ille vero negaverit.

RESPONSIO.

Qui semetipsum suaque membra in Christi charitate tradidit usui aliorum : qua ratione de supellectile poterit

cum præposito litigare, ad quem etiam pertinet supellectilis cura?

INTERROGATIO CXLVII.

Cum quis obeundo cellarii aut culinæ munere detinetur, vel quovis alio hujusmodi, si non interfuerit constituto psalmodiæ et precationis tempore, nullum-ne patitur animæ detrimentum.

Responsio.

Unusquisque in officio suo, velut membrum in corpore regulam propriam servat. Et munus quidem commissum si negligat, infert sibi detrimentum : sed si communitati insidias struat, majorem in modum periclitatur. Quare juxta ipsum verborum sensum impleat quod scriptum est : « Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino [1]. » Quod si corpore non possit cum cæteris accurrere, non sit sollicitus, perficiens quod dictum est : « Unusquisque in » quo vocatus est, in hoc maneat [2]. » Cavendum autem est, ne quis forte cum rem injunctam valeat conficere opportuno et convenienti tempore, ita ut aliis etiam exemplum detur, nihilominus tamen ad reliquorum offendiculum muneris sui prætexat occupationem, atque adeo in negligentium judicium incidat.

[1] Ephes. v, 19. — [2] 1 Cor. vii, 24.

INTERROGATIO CXLVIII.

Qualem potestatis modum inter dispensandum obtineat is, cui cellarii cura concredita est.

RESPONSIO.

ERGA eum quidem, a quo huic præfectus est post prævium examen, memor fuerit Domini ipsius, qui dixit : « Non » possum ego a me ipso facere quidquam [1] : » erga eos vero, quorum curam suscipit, respiciat uniuscujusque necessitatem. Nam scriptum est : « Dividebatur singulis, prout » cuique opus erat [2]. » Eadem autem ratio ab omnibus teneatur, quibus dantur ejusmodi negotia.

INTERROGATIO CXLIX.

Cuinam judicio obnoxius erit œconomus, si quid fecerit habita personarum ratione, aut per contentionem.

RESPONSIO.

CUM Apostolus nunc quidem præcipiat nihil agendum esse ex animi inclinatione [3], nunc vero pronuntiet illud : « Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudi- » nem non habemus, neque Ecclesiæ Dei [3]; » qui fuerit hujusmodi, is, quoad se emendaverit, declaretur a Dei Ecclesia alienus. Expendendum est autem circumspectius, ad quid quisque idoneus sit, sicque committendum munus quodli-

[1] Joan. v, 30. — [2] Act. iv, 35. — [3] 1 Tim. v, 21. — [4] 1 Cor. xi, 16.

bet, ut ii, qui cuipiam committunt quod ei non convenit, nequaquam veluti mali et animarum et mandatorum Domini dispensatores condemnèntur, nec ii quoque, quibus munus committitur, excusandi peccati rationem hinc invenire videantur.

INTERROGATIO CL.

Si ex negligentia non dederit fratri necessaria.

RESPONSIO.

Hoc judicium manifestum est ex verbis Domini, qui dixit : « Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui » paratus est diabolo, et angelis ejus. Esurivi enim, et non » dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi po» tum [1], etc. » Item ex his dictis : « Maledictus omnis qui » facit opera Domini negligenter [2]. »

INTERROGATIO CLI.

An ministranti liceat voce altiore loqui.

RESPONSIO.

Vocis modum præfinit audientium necessitas. Quare ea si sit submissior, tanquam languidior ad susurrum prope accedit, atque redarguenda est. Sin autem altior sit citra necessitatem, cum scilicet is qui audit, etiam submissius loquentem posset audire, tunc is qui damnatus est clamor

[1] Matth. XXV, 41, 42. — [2] Jer. XLVIII, 10, juxta LXX.

efficitur [1], nisi audientis languor eo necessitatis nos adducat, ut clamore utamur, sicque eum veluti ex somno excitemus. Hoc enim et Dominus fecisse memoratur, velut ait Evangelista : « Jesus autem clamavit, et dixit : Qui credit » in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me [2]. »

INTERROGATIO CLII.

Si quis, vice sua dum culinæ dat operam, supra vires laboret, adeo ut per dies aliquot a solito opere impediatur, numquid conveniat imponi huic ejusmodi munus?

RESPONSIO.

DICTUM est oportere, ut cui operum dispensatio delegata est, is prius habilitatis et virium laborantis habita ratione, mandata sua dirigat, ut ne audiat illud : « Qui fingis labo» rem in præceptum [3]. » Verumtamen refragari non debet, cui datum est mandatum : quandoquidem obedientia ad mortem usque limites suos extendit.

INTERROGATIO CLIII.

Quomodo ea, cui lanæ fuerunt concreditæ, has debeat servare, et quomodo debeat iis, quæ operantur, attendere.

RESPONSIO.

SERVET lanas, tanquam quæ fuerit custodiendo Dei deposito præfecta. Unicuique autem sorori citra ullam con-

[1] Ephes. IV, 31. — [2] Joan. XII, 44. — [3] Psal. XCIII, 20.

tentionem, ullamque personarum rationem opus proprium assignabit, atque distribuet.

INTERROGATIO CLIV.

Si forte quando pauci sunt fratres, et inserviunt pluribus sororibus, eo necessitatis deveniant, ut a se invicem separentur, utpote ad agenda opera divisi, id-ne periculo vacat?

Responsio.

Si cura hæc a Domini mandato accipit testimonium, et secundum Deum impenditur, quilibet operantium in suo opere placet Deo. Ipsorum autem conjunctio inter se, in eo posita est, si omnes unanimes sint sentientes idem, implentes quod ab Apostolo dictum est : « Nam etsi corpore » absens sum, sed spiritu vobiscum sum [1]. »

INTERROGATIO CLV.

Quandoquidem nos, qui in hospitio infirmis inservimus, edocemur ita operam præbere, quasi Domini fratribus serviamus: si talis non fuerit cui ministratur, quomodo illum debemus curare.

Responsio.

Cum Dominus dixerit : « Quicumque enim fecerit volun» tatem Patris mei, qui in cœlis est, hic meus frater, et » soror et mater est [2], » si quis ejusmodi non fuerit, sed

[1] Coloss. II, 5. — [2] Matth. XII, 50.

peccator esse deprehendatur, sitque dignus sententia illa : « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati [1], » primum quidem cohortatione atque admonitione præfecti indiget. Sed si perseveraverit in iisdem vitiis, perspicuum est adversum ipsum judicium ejusdem Domini, qui ita subjungit : « Servus autem non manet in domo [2], » itemque Apostoli, ita præcipientis : « Auferte malum ex vobis ipsis [3]. » Sic enim nullus ministrantibus inerit hæsitandi locus, omnesque, quibuscum degebat, tuti erunt et securi.

INTERROGATIO CLVI.

Numquid is, cui cellarii, aut alterius rei ejusmodi cura tradita est, debeat semper illius curam habere, aut permutari?

Responsio.

Si recti ordinis scientiam et regulæ integritatem servat, supervacaneum hunc permutari, vel potius grave est et difficile. Habeat autem necesse est asseclam aliquem, qui paulatim ad id instituatur muneris, ut ne necessitate successorem postulante, si hic deesset, perturbemur : imo etiam, ne sæpe aliquem ineptum huic operi præficere cogamur : unde fit necessario, ut corrumpatur integritas ob ejus imperitiam, rectaque disciplina dissolvatur.

[1] Joan. VIII, 34. — [2] Ibid. 35. — [3] I Cor. V, 13.

INTERROGATIO CLVII.

Quo affectu debeat quis servire Deo : et in universum, quid sit hic affectus.

RESPONSIO.

BONUM affectum puto esse vehemens desiderium placendi Deo, quod sit et insatiabile, et firmum, et immutabile. Comparatur autem hic solerti et assidua contemplatione majestatis gloriæ Dei, itemque cogitationibus ex grato animo proficiscentibus, ac continua recordatione concessorum nobis a Deo bonorum. Ex quibus animæ innascitur illud : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » et ex totis viribus tuis, et ex tota mente tua [1], » exemplo illius qui dixit : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus [2]. » Serviendum itaque Deo est hoc affectu, ita ut impleatur quod ab Apostolo dictum est : « Quis separabit nos a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an nuditas? an periculum? an gladius [3]? etc. »

INTERROGATIO CLVIII.

Quo animo debeat quis irrogatam sibi pœnam recipere.

RESPONSIO.

Eo scilicet, qui filio convenit ægrotanti, et in vitæ discrimen adducto, cum a patre et medico curatur, etiamsi

[1] Marc. XII, 30. — [2] Psal. XLI, 2. — [3] Rom, VIII, 35.

amarus acerbusque fuerit medendi modus, cum ei persuasum esse oporteat diligi se, ac peritum esse objurgatorem, debeatque sanitatem cupere.

INTERROGATIO CLIX.

Qui ægre fert increpantem se, qualis est?

RESPONSIO.

NEQUE novit periculum peccati, et maxime erga Deum, neque emolumentum pœnitentiæ, neque fidem habuit ei, qui dixit : « Qui vero diligit, diligenter castigat [1]. » Atque etiam semetipsum constituit alienum a quæstu illius, qui dixit : « Corripiet me justus in misericordia et increpabit » me [2]. » Prætereaque qui hujusmodi est, ejus consuetudo fratribus exitiosa est : siquidem eos a suscepto certamine abducit.

INTERROGATIO CLX.

Quo animo debeamus fratribus inservire.

RESPONSIO.

VELUTI Domino ipsi servientes, qui dixit : « Quatenus » fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis [3]. » Cæterum si fuerint ejusmodi ii, quibus obsequium præstatur, id quoque conducit ad comparandam hujusmodi affectionem. Quapropter curam illorum diligentiorem præpositi

[1] Prov. XIII, 24. — [2] Psal. CXL, 5. — [3] Matth. XXV, 40.

suscipere debent, ut ne velut corporis studio dediti, ventri serviant, atque voluptatibus : sed tanquam Dei et Christi amatores, per patientiam perfectam fiant gloriatio Domini, ad diaboli ignominiam, non aliter atque justus Job.

INTERROGATIO CLXI.

Qua humilitate debeat quis a fratre obsequium accipere.

RESPONSIO.

VELUT servus ab hero, et qualem ostendit Petrus Apostolus, Domino sibi ministrante : in quo etiam periculum eorum qui aliquam sibi operam dari recusant, ediscimus.

INTERROGATIO CLXII.

Qualem alter erga alterum debeat habere charitatem.

RESPONSIO.

QUALEM Dominus ostendit et docuit, cum dixit : « Diligite invicem, sicut ego dilexi vos. Majorem hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis [1]. » Quod si ipsam quoque animam ponere oportet, quanto magis necesse fuerit in rebus minoribus studium, animique promptitudinem ostendere? non quod humanis efficiis satisfacere quæramus, sed eo consilio, ut Deo placeamus, ad uniuscujusque utilitatem.

[1] Joan. XV, 12, 13.

INTERROGATIO CLXIII.

Qui poterit quis dilectionem erga proximum consequi?

RESPONSIO.

PRIMUM quidem si timeat judicium transgredientium mandatum Domini, qui dixit : « Qui incredulus est Filio, » non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum [1]. » Deinde si requirat vitam æternam ; « Nam mandatum ejus » vita æterna est [2]. Primum autem et magnum mandatum » est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et » ex tota mente tua, et ex totis viribus tuis ; secundum » vero simile est huic : Diliges proximum tuum, sicut te ip- » sum [3]. » Tum etiam si studeat Domino similis fieri, qui dixit : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, » sicut ego dilexi vos [4]. » Denique si secum ita cogitet : Si de nobis bene meritus est frater, debemus ei vel ipso humano more charitatem, quam etiam servant gentiles, ut in Evangelio Dominus declarat, his verbis : « Et si diligitis eos » qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores » diligentes se diligunt [5]. » Sin autem male meritus est, etiam sic eum non modo propter mandatum, sed etiam tanquam majorum beneficiorum largitorem debemus diligere ; si modo Domino credamus, qui dixit : « Beati estis » cum vos affecerint probris, et persecuti vos fuerint, et » dixerint omne verbum malum adversum vos, mentientes » propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra » copiosa est in cœlis [6]. »

[1] Joan. III, 36. — [2] Id. XII, 50. — [3] Matth. XXII, 37-39. — [4] Joan. XIII, 34. — [5] Luc. VI, 32. — [6] Matth. V, 11, 12.

INTERROGATIO CLXIV.

Quid sibi velit illud : Nolite judicare, et non judicabimini [1].

Responsio.

Cum Dominus aliquando dicat : « Nolite judicare, et non » judicabimini, » aliquando vero justum judicium judicare præcipiat [2]; non omne nobis interdicitur judicium, sed judicii discrimina edocemur. In quibus autem judicare oporteat, et in quibus non sit judicandum, clare ostendit nobis Apostolus : qui de his quidem, quæ in uniuscujusque potestate sita sunt, nec a Scriptura præscripta, sic loquitur : « Tu autem quid judicas fratrem tuum [3] ? » ac rursus, « Non ergo amplius invicem judicemus [4]. » De his vero quæ displicent Deo, ita scribit, condemnans eos, qui non judicant, et suum ipsius judicium proferens in medium, his verbis : « Ego quidem ut absens corpore, præsens autem » spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui id ita operatus » est : in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis » vobis, et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere » hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus » sit in die Domini Jesu [5]. » Quare si quid in nostra potestate positum sit, aut etiam plerumque incertum sit, ob hoc non debet frater judicari, juxta id quod ab Apostolo de iis, quæ ignorantur, dictum est : « Itaque nolite ante » tempus de aliquo judicare, quoad usque veniat Dominus, » qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifesta-

[1] Luc. vi, 37. — [2] Joan. vii, 24. — [3] Rom. xiv, 10. — [4] Ibid. 13. — [5] 1 Cor. v, 3, 4.

» bit consilia cordium [1]. » Ad Dei judicia omnino necesse est vindicari, ut ne simul iræ Dei particeps fiat qui conticescit : nisi si sit aliquis, qui quod eadem atque ille qui accusatur, perpetret, fratris judicandi libertatem non habeat, audiens Dominum dicentem : « Ejice primum trabem » de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo » fratris tui [2]. »

INTERROGATIO CLXV.

Quomodo cognoscet quis, utrum Dei studio commoveatur in peccantem fratrem, an iracundia?

RESPONSIO.

Si adversus quodvis peccatum senserit in se illud quod scriptum est : « Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti » sunt verba tua inimici mei [3], » tum Dei zelus perspicue ostenditur. Sed tamen et hic quoque opus est solerti prudentia, ad fidei ædificationem. Hæc autem affectio nisi fuerit prius in animo, cumque moverit, motus fit inæqualis, et in nulla re pietatis propositum servatur.

INTERROGATIO CLXVI.

Quo affectu ei, qui ad mandatum conficiendum urget, auscultandum est.

RESPONSIO.

Affectu tali, quali puer fame victus, nutrici ad sumendum cibum advocanti obsequitur : quali etiam homo qui-

[1] 1 Cor. iv, 5. — [2] Matth. vii, 5. — [3] Psal. cxviii, 139.

libet, qui victum quærens, res ad vitam necessarias largienti obedit : imo vero longe etiam majore, quanto scilicet æterna vita præsenti præstantior est. « Nam mandatum Dei, » inquit Dominus, vita æterna est[1]. » Quod autem in pane comestura est, id in mandato est operis executio, dicente iterum Domino ipso : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, Patris[2]. »

INTERROGATIO CLXVII.

Qualis debeat esse anima, cum digna habita est, quæ in Dei opere occupetur.

RESPONSIO.

QUALIS erat, quæ dicebat : « Quis sum ego, Domine mi, » Domine, et quæ domus mea, quia dilexisti me[3] ? » exequens videlicet quod scriptum est : « Gratias agentes Patri, » qui idoneos nos fecit ad partem sortis Sanctorum in lu» mine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et trans» tulit in regnum Filii dilectionis suæ[4]. »

INTERROGATIO CLXVIII.

Quo animo vestimentum aut calceamentum qualecumque tandem fuerit, accipere oportet ?

RESPONSIO.

SI minus aut majus quam pro statura est, indicet necessitatem suam debita cum modestia : sin autem dissidium

[1] Joan. XII, 50. — [2] Id. IV, 34. — [3] 2 Reg. VII, 18, juxta LXX. — [4] Coloss. I, 12, 13.

fuerit de vilitate, vel propterea quod non novum sit, recordetur Domini, dicentis : « Dignus est, » non simpliciter quivis, sed « Operarius cibo suo [1]. » Percontetur autem se ipse, an pro dignitate mandatorum Domini, aut promissionum, effecerit quidquam, et tunc non requiret aliud, sed futurus est de eo, quod datum fuit, sollicitus, velut qui ultra meritum acceperit. Nam quod dictum est de alimento, id in omni re ad corporis usum attinente, loco regulæ habendum est.

INTERROGATIO CLXIX.

Si frater junior jubeat aliquid docere alterum ætate grandiorem, quomodo sese erga illum geret?

RESPONSIO.

VELUT qui fungitur ministerio, ex mandato Domini Dei, timens ne subeat judicium illius, qui dixit : « Maledictus » quisquis facit opera Domini negligenter [2] : » ac etiam cavens, ne forte inflatus in diaboli judicium incidat [3].

INTERROGATIO CLXX.

Si æqualis habenda sit ratio tum ejus, qui magis, tum illius, qui minus recte facit.

RESPONSIO.

QUOD in condonandis peccatis sanxit Dominus, his verbis : « Remittuntur peccata ejus multa, quoniam dilexit

[1] Matth. x, 10. — [2] Jer. XLVIII, 10, juxta LXX. — [3] 1 Tim. III, 6

» multum : cui autem parum dimittitur, parum diligit [1], » itemque quod de presbyteris Apostolus constituit, cum dixit : « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honori digni » habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina [2], » id erga omnes qui ejusmodi sunt, servari debere arbitror.

INTERROGATIO CLXXI.

Si tristitia afficiatur inferior, cum is qui magis pius est sibi anteponitur, quomodo ipsi consulemus?

Responsio.

Qui hujusmodi est, ob malignitatem perspicue condemnatur per Evangelii parabolam, in qua eos, qui quosdam pari præmio secum donatos fuisse ægre tulerant, ita Dominus alloquitur : « An oculus tuus nequam est, quia ego » bonus sum [3] ? » Quinctiam adversus hunc et alios ejusmodi, manifestum est judicium Dei per Prophetam, qui dicit : « Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malig- » nus : timentes autem Dominum glorificat [4]. »

[1] Luc. VII, 47. — [2] 1 Tim. V, 17. — [3] Matth. XX, 15. — [4] Psal. XIV, 4.

INTERROGATIO CLXXII.

Quali cum timore, aut qua animi persuasione, aut quo affectu corpus et sanguis Christi nobis accipienda sint.

RESPONSIO.

TIMOREM quidem docet nos Apostolus, cum ait : « Qui » manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et » bibit [1] : » persuasio vero integra habetur ex fide verborum Domini, qui dixit : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis » traditur : hoc facite in meam commemorationem [2]. » Item ex fide testimonii Joannis, qui, memorata prius Verbi gloria, post hac incarnationis modum induxit, his verbis : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidi- » mus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, ple- » num gratiæ et veritatis [3]. » Itidem quoniam Apostolus scripsit : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbi- » tratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exina- » nivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum » factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetip- » sum factus obediens usque ad mortem, mortem autem » crucis [4]. » Cum igitur animus his et talibus verbis fidem adhibens, gloriæ majestatem didicerit, humilitatisque et obedientiæ magnitudinem admiratus fuerit, quod talis ac tantus ad mortem usque Patri obtemperarit, vitæ nostræ causa, eum arbitror ita affici, ut simul Deum et Patrem diligat, « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis om- » nibus tradidit illum [5], » simul unigenitum ejus Filium,

[1] 1 Cor. XI, 29. — [2] Ibid. 24. — [3] Joan. I, 14. — [4] Philip. II, 6-8. — [5] Rom. VIII, 32.

qui obedivit usque ad mortem pro nostra redemptione ac salute. Et ita demum obsequi potest Apostolo, qui bonam in his conscientiam iis, qui sani sunt proponit ceu regulam quamdam, ubi ait : « Charitas enim Christi urget nos, æs- » timantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, » ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est, ut » qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mor- » tuus est, et resurrexit [1]. » Quisquis panis et poculi fit particeps, sic affici et præparari debet.

INTERROGATIO CLXXIII.

An deceat tempore psalmodiæ quæ in domo fit, colloquia aliqua seri.

RESPONSIO.

Non oportet, exceptis iis, quorum munus et cura est disciplinæ et operum distributioni providere, idque aliqua re necessaria urgente : et neque tunc inconsiderate, sed habita ratione et loci, et disciplinæ, et gravitatis, et scandali, quod vitari debet : reliquis omnibus necessarium est silentium. Si enim ipso loquendi tempore, et ex iis ipsis, quibus concreditum est munus docendi, prior silere jussus est, si alii revelatum fuerit [2], quanto magis psalmodiæ tempore silentium privatis necessarium est?

[1] 2 Cor. v, 14, 15. — [2] 1 Cor. xiv, 30.

INTERROGATIO CLXXIV.

Quomodo possit quis ex animo et cum alacritate Domini exequi mandata?

RESPONSIO.

EXPERIMENTUM jucundæ et utilis rei, et ipsa rerum hujusmodi expectatio animum naturaliter movet ad id diligendum et concupiscendum. Si quis igitur odio habuerit, et abominatus fuerit iniquitatem [1], purusque fuerit ab omni peccato, per quod, quemadmodum per morbum satietas cibi atque fastidium contingit, sic in animo etiam circa Dei justificationes segnities et pigritia ingeneratur : si præterea constantissime crediderit mandatum Dei vitam æternam esse, omniaque promissa, iis, qui id servant, certa esse et vera, is afficitur perinde atque ille, qui dixit : « Ju» dicia Domini vera, justificata in idipsum : desidera» bilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dul» ciora super mel et favum. Etenim servus tuus custodit » ea : in custodiendis illis retributio multa [2]. »

INTERROGATIO CLXXV.

Quomodo constet fratrem ab aliquo amari ex mandato Domini? et quomodo convincatur non ita diligere?

RESPONSIO.

DILECTIONIS duæ sunt dotes præcipuæ, dolere et sollicitum esse de iis, quibus læditur qui amatur : gaudere con-

[1] Psal. CXVIII, 163. — [2] Id. XVIII, 10-12.

tra, et allaborare pro ipsius commodis. Beatus igitur quisquis luget propter peccantem, cujus periculum formidandum est : itemque, quisquis ob recte facientem gaudet, cujus lucro nihil potest conferri, sicut scriptum est. Quin et illud etiam Paulus Apostolus testatur, cum ait : « Si » patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, » servata utique ratione ejus, quæ in Christo est, charitatis. « Et si gloria afficitur unum membrum, » ex consilio videlicet placendi Deo, « Congaudent omnia membra [1]. » Qui autem non ita affectus est, aperte fratrem non diligit.

INTERROGATIO CLXXVI.

Quinam sint inimici quos diligere jussi sumus? et quomodo diligemus inimicos? utrum tantummodo beneficiis in ipsos conferendis, an etiam ipso animi affectu? et numquid hoc fieri possit?

Responsio.

Inimici proprium est nocere, et insidiari. Quisquis igitur quoquo modo nocet cuipiam, inimicus appellari potest : præcipue autem, qui peccat. Nam, quantum in ipso est, modis variis nocet, eique quocum vivit, aut consuetudinem habet, insidiatur. Quoniam autem ex corpore et anima constat homo, quod ad animam quidem pertinet, amemus hujusmodi viros, redarguendo ipsos, admonendoque, et omni modo ad conversionem inducendo : quod vero ad corpus, eos, si vitæ necessariis indigeant, beneficiis afficiendo. Quod autem dilectio in animi consistat affectione, perspicuum est omnibus. Id autem fieri posse ostendit ac

[1] 1 Cor. XII, 26.

docuit Dominus, qui Patris, ac suam ipsius dilectionem pro inimicis, non autem pro amicis usque ad mortem obediendo declaravit : quemadmodum testatur Apostolus, his verbis : « Commendat autem charitatem suam Deus in » nos : quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus » pro nobis mortuus est [1]. » Quinetiam ad idipsum nos adhortatur, cum dicit : « Estote ergo imitatores Dei, sicut » filii charissimi, et ambulate in delectione, sicut et Chris- » tus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblatio- » nem, et hostiam Deo [2]. » Neque vero hoc præcepisset, utpote bonus et justus, nisi id faciendi tribuisset facultatem : quod vel ipsi naturæ necessario insitum esse declaravit. Nam bestiæ quoque bene de se meritos naturaliter diligunt. Quodnam autem beneficium tantum ab amico, quantum ab inimicis confertur? conciliant nobis beatitudinem a Domino his verbis promissam : « Beati estis » cum persecuti vos fuerint, et affecerint probris, et di- » xerint omne malum verbum adversum vos, mentientes » propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra » copiosa est in cœlis [3]. »

INTERROGATIO CLXXVII.

Quomodo debent fortes infirmorum infirmitates portare[4]?

Responsio.

Si portare, est tollere et curare, secundum id quod scriptum est : « Ipse infirmitates nostras suscepit, et mor- » bos portavit [5], » non quod in se hæc ille susceperit, sed

[1] Rom. v, 8, 9. — [2] Ephes. v, 1, 2. — [3] Matth. v, 11, 12. — [4] Rom. xv, 1. — [5] Isaï. LIII, 4.

quod eos, in quibus hæc erant, curaverit; etiam hoc in loco pœnitentiæ modus et ratio conveniet, per quam infirmiores valentiorum cura atque diligentia curabuntur.

INTERROGATIO CLXXVIII.

Quid hoc significet : « Alter alterius onera portate [1]? *» et hoc facientes, qualem legem adimplebimus?*

Responsio.

Hoc idem est atque id quod dictum est superius. Peccatum enim grave est, atque ad ima inferni animam detrudit. Alii autem aliorum peccatum tollimus et auferimus, cum eos, qui peccant, ad conversionem inducimus. Cæterum verbum « Portare, » pro eo quod est tollere, etiam ab hujus regionis incolis solet usurpari, veluti ipse sæpenumero a plerisque audivi. Adimplebimus autem legem Christi, qui dixit : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœ» nitentiam [2] : » quique nobis hanc legem imposuit : « Si » peccaverit frater tuus, vade, corripe eum. Si te audierit, » lucratus es fratrem tuum [3]. »

[1] Gal. IV, 2, — [2] Luc. 5, 32. — [3] Matth. XVIII, 15.


INTERROGATIO CLXXIX.

Quomodo potest quis absque charitate fidem habere tantam, ut montes transferat, aut omnia sua bona det pauperibus, aut corpus suum tradat, ut exuratur?

RESPONSIO.

SI recordemur Domini, qui dixit : « Faciunt enim ut » spectentur ab hominibus [1], » itemque si meminerimus responsi illius ad quosdam, qui dixerant : « Domine, Do-» mine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine » tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas » fecimus [2]? » quibus respondet : « Nescio vos unde sitis [3], » non quod mentirentur, sed quod Dei munere ad proprias voluntates fuissent abusi, quæ res a Dei dilectione aliena est, possumus nullo negotio ea, quæ dicta sunt, intelligere. Porro Dei munus seu donum vel ab indigno recipi nihil mirum est : siquidem Deus in tempore bonitatis et patientiæ [4], solem suum oriri facit super malos et bonos [5], idque sæpe ad utilitatem etiam aut ejus ipsius, qui donum suscipit, si forte bonitatem Dei reveritus, hincque extimulatus, studeat ei complacere, aut etiam aliorum, juxta id quod ab Apostolo dictum est : « Quidam quidem et prop-» ter invidiam et contentionem : quidam vero et propter » bonam voluntatem Christum prædicant [6]. » Quibus paulo post hæc subjungit : « Verumtamen quod omni modo, sive » occasione, sive veritate Christus annuntietur, et in hoc » gaudeo [7]. »

[1] Matth. VI, 5.— [2] Id. VII, 22.— [3] Luc. XIII, 27.— [4] Rom. II, 4. — [5] Matth. V, 45.— [6] Philip. I, 15. — [7] Ibid. 18.



INTERROGATIO CLXXX.

Quo animo et qua attentione ea audienda sint, quæ nobis cibum sumentibus leguntur.

RESPONSIO.

VOLUPTATE majore quam qua edimus ac bibimus, ut mens videatur non distrahi ad corporis voluptates : sed potius delectari magis verbis Domini, quemadmodum affectus erat qui dixit : « Et dulciora super mel et favum [1]. »


INTERROGATIO CLXXXI.

Si quædam fratrum societates fuerint inter se vicinæ, et una egestate laboret, altera vero ad largiendum sit arctior difficiliorque, quomodo inopem affici oportet erga tenacem?

RESPONSIO.

QUI edocti sunt vel ipsam animam in dilectione Christi pro se invicem ponere, quomodo rerum ad corpus pertinentium parci esse possunt? tanquam si obliti sint ejus, qui dixit : « Esurivi et non dedistis mihi manducare [2], etc. » Quod si hoc contigerit, æquo animo ferre debent, qui in egestate versantur : et Lazarum imitantes, persuadeant sibi se in futuro sæculo consolationem inventuros.

[1] Psal. XVIII, 11. — [2] Matth. XXV, 42.



INTERROGATIO CLXXXII.

Ex quibus fructibus probari debet, qui misericordiæ impulsu peccantem fratrem redarguit?

RESPONSIO.

PRIMUM quidem ex præcipuis misericordiæ argumentis, juxta id quod ab Apostolo dictum est : « Si patitur unum » membrum, compatiuntur omnia membra [1]. » Et, « Quis » scandalizatur, et ego non uror [2] ? » Deinde vero, si parem de quolibet peccato accipiat dolorem, et ex quibuslibet, sive in se, sive in alium peccantibus, simili tristitia ac luctu afficiatur, denique si redarguendo traditum a Domino modum non corrumpat.

INTERROGATIO CLXXXIII.

Si contingat aliquando ut aliqui in fratrum conventu viventes dissideant inter sese, an tutum sit charitatis gratia talibus assentiri?

RESPONSIO.

CUM Dominus dixerit : « Da, Pater, ut sicut ego et tu » unum sumus : sic et ipsi unum sint in nobis [3], » itemque Apostolus scripserit : « Unanimes, idem sentientes [4], » itidem cum narretur in Actis illud : « Erat credentium cor » unum, et anima una [5], » inter quos dissensio est, ii sunt

[1] 1 Cor. XII, 26.— [2] 2 Cor. XI, 29.— [3] Joan. XVII, 21.— [4] Philip. 2. — [5] Act. IV, 32.

ab iis, quæ modo diximus, alieni. Dilectio enim quæ quidem rationi consentanea sit, servat quod dictum est : « Qui » autem diligit, diligenter castigat[1] : » quæ vero aliena est a ratione, qualiscumque tandem fuerit, reproba est, Domino ipso dicente : « Qui amat patrem aut matrem plus » quam me, non est me dignus[2]. »

INTERROGATIO CLXXXIV.

Quomodo possit quis, et quando exhortatur, et quando corripit, non modo id curare, ut scite loquatur, sed ut animi etiam affectionem tum Deo, tum iis quos alloquitur, debitam conservet.

RESPONSIO.

Si quis meminerit Apostoli, qui dixit : « Sic nos existimet » homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum » Dei[3], » is non ut propriam quamdam scientiam dispensat ex sua auctoritate, sed veluti Dei ministerio in curandis animabus, quæ Christi sanguine redemptæ sunt, fungitur, cum timore ac tremore erga Deum, ad exemplum illius, qui dixit : « Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed » Deo, qui probat corda nostra[4], » et cum affectu atque misericordia erga audientes, faciens quod dictum est : « Tan- » quam si nutrix foveat filios suos : ita desiderantes vos cu- » pide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium » Dei, sed etiam animas nostras[5]. »

[1] Prov. XIII, 24. — [2] Matth. X, 37. — [3] I Cor. IV, 1. — [4] I Thess. II, 4. — [5] Ibid. 7, 8.

INTERROGATIO CLXXXV.

Si quis in aliquo, quem habeat, sermone, auditores videat affici ex iis, quæ dicit, propterea que lætetur, quomodo cognoscet seipsum, utrum affecto bono, an vitiosa quadam affectione sibi propria gaudeat.

RESPONSIO.

Si in laudibus solis gaudium collocarit, planum est hunc vitiosa affectione sibi propria commoveri. Sed si lætetur quod statim laudatores id quod audiunt, intelligere animadverterit, sataque sit spes obedientiæ : postea vero de utilitate sollicitior, si aut recte facta his laudibus consentanea in ipsis comperiens afficiatur lætitia, aut si laudatores nihil profecisse videns, doleat, agat gratias Deo, quod velut Dei et fratrum amans, dignus habitus sit qui commoveretur, non inquirens gloriam suam, sed gloriam Dei, et fratrum ædificationem.

INTERROGATIO CLXXXVI.

Quandoquidem talem dilectionem habere edocemur, ut animam etiam pro amicis ponamus; discere postulamus, pro qualibus amicis id velle oporteat?

RESPONSIO.

Credere par est animi quidem affectionem, aut hujus recte facti modum varium quiddam esse et diversum. Alia enim sæpe suscipienda sunt pro peccatoribus, alia pro justis

facienda. Sed tamen edocti sumus et pro justis et pro injustis ad mortem usque dilectionem indiscriminatim ostendere. « Commendat enim, inquit, charitatem suam Deus in » nos : quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus » pro nobis mortuus est[1]. » Hæc vero ad sanctos dicit Apostolus : « Tanquam si nutrix foveat filios suos : ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum » Evangelium Dei, sed etiam animas nostras : quoniam » charissimi nobis sancti estis[2]. »

INTERROGATIO CLXXXVII.

An unusquisque ab iis, qui sibi sanguine conjunguntur, quidquam accipere debeat?

RESPONSIO.

CERTE necesse est, ut iis, qui ad Dominum accedunt, bona ad ipsos pertinentia reddant cognati, nihilque subtrahant, ne subeant judicium sacrilegii. Attamen dum hæc consumuntur in oculis eorum, ad quos attinere visa sunt, id plerumque et his ipsis causam dat sese efferendi, et pauperibus ad idem vitæ genus accedentibus tristitiæ sit occasio. Quare contingit illud, ob quod redarguuntur Corinthii ab Apostolo, cum dixit : « Confunditis eos qui non » habent[3]. » Quapropter cui Ecclesiarum in loco sitarum concredita est cura, is si fidelis sit, prudenterque dispensare possit, sic se erga eum gerat, ut in illis fiebat, quorum habetur mentio in Actis : « Qui ferentes, ponebant ante pedes Apostolorum[4]. » Quod si talia administrare non est omnium,

[1] Rom. v, 8, 9. — [2] I Thess. II, 7, 8. — [3] I Cor. XI, 22. — [4] Act. IV, 35.

sed eorum duntaxat qui, præmisso examine, huic rei præfecti sunt : ita quoque id, quod a talibus datum est, hic, prout judicarit, administrabit.

INTERROGATIO CLXXXVIII.

Quomodo eos, qui nostri olim fuere contubernales, et eos qui cognatione nobis conjunguntur, cum ad nos accedunt, videbimus.

Responsio.

Ut Dominus ostendit, ac docuit, cum annuntiatum fuisset ipsi : « Mater tua et fratres tui foris stant, videre te » volentes[1] : » ad quos objurgatoriis verbis respondet : « Quæ » est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicumque enim » fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, hic meus » frater, et soror, et mater est[2]. »

INTERROGATIO CLXXXIX.

Quod si etiam adhortando velint nos ad propria reducere, numquid ipsis auscultandum sit?

Responsio.

Si id fiat propter fidei ædificationem, qui sic potest abire, is, præmisso prævio examine, dimittatur : sin autem propter officium humanum, audiat Dominum respondentem ei, qui dixerat : « Permitte mihi prius abire, et dicere vale iis, qui » sunt domi meæ. Nemo mittens manum suam ad aratrum,

[1] Luc. VIII, 20. — [2] Matth. XII, 48-50.

» et respiciens retro, aptus est regno Dei [1]. » Quod si de eo qui renuntiare tantum voluerat, hujusmodi prolatum est judicium, ecquid de hoc dicendum est?



INTERROGATIO CXC.

An debeamus misereri cognatorum secundum carnem, salutem illorum concupiscentes.

Responsio.

Qui natus est ex spiritu juxta Domini vocem [2], quique potestatem accepit ut fieret filius Dei [3], hunc pudet cognationis secundum carnem, et propinquos agnoscit eos, qui fidei propinquitate sibi conjunguntur, quibus testimonium dat Dominus, his verbis : « Mater mea, et fratres mei hi » sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt [4]. » Atque ille misereatur omnium quidem, qui se a Domino removent, sed non aliter propinquorum secundum carnem, quam omnium. Quod si quispiam erga hos magis affectus, affectionis suæ patronum habere putat Apostolum, qui dicit : « Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fra- » tribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem [5], » is intelligat ex iis, quæ sequuntur, non cognationem secundum carnem, sed Israël ipsum, egregiaque beneficia in eum a Deo collata in pretio ab Apostolo haberi : non quod Israëlitæ essent ipsius cognati, sed quod cognati ejus secundum carnem essent Israëlitæ, quodque tot ac tantis fuissent a Deo affecti beneficiis. Et quidem quoniam ipsorum erat adoptio, et gloria, et legis constitutio, cultusque,

[1] Luc. IX, 61, 62. — [2] Joan. III, 8. — [3] Id. I, 12. — [4] Luc. VIII, 21. — [5] Rom. IX, 3.

quoniam ad ipsos pertinent testamenta et promissiones, quoniam ipsorum sunt patres, quoniam ex ipsis est Christus secundum carnem, idcirco tanti salutem illorum facit : non respiciens ad cognationem, sed ad Domini incarnationem pro ipsis factam, qui dixerat : « Non sum missus nisi » ad oves, quæ perierunt domus Israël [1]. »

INTERROGATIO CXCI.

Quis sit mitis?

RESPONSIO.

Qui non immutatur in judiciis eorum, quæ ad complacendum Deo in studio habentur.

INTERROGATIO CXCII.

Quæ sit tristitia secundum Deum, et quæ mundi?

RESPONSIO.

Tristitia quidem secundum Deum est, cum quis ex neglecto mandato Dei afficitur dolore, sicut Scriptum est : « Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus » legem tuam [2] : » mundi vero tristitia est, cum id quod ægritudinem creat, humanum est, et mundo dignum.

[1] Matth. xv, 53. — [2] Psal. cxviii, 53.

INTERROGATIO CXCIII.

Quale est in Domino gaudium? et quid est, quod si fecerimus, gaudere debeamus?

RESPONSIO.

GAUDERE iis, quæ secundum mandatum Domini ad Dei gloriam fiunt, gaudium in Domino est. Cum igitur Domini conficimus mandata, aut aliquid propter nomen Domini perpetimur, tum gaudere, et alter alteri gratulari debemus.

INTERROGATIO CXCIV.

Qualem luctum suscipiemus, ut beatitudine digni efficiamus[1]*?*

RESPONSIO.

CONTINETUR hæc quæstio in superiori, quæ est de tristitia illa, quæ secundum Deum est, cum scilicet lugemus ob peccata, aut ob contumeliam Deo illatam, ex eo quod quis Deum ignominia afficiat per legis transgressionem, aut ob periclitantes in peccato. « Anima enim, inquit, quæ peccat, » ipsa morietur[2] : » imitantes illum, qui dixit : « Et lugeam » multos ex iis, qui ante peccaverunt[3]. »

[1] Matth. v, 5. — [2] Ezech. XVIII, 4. — [3] 2 Cor. XII, 21.

INTERROGATIO CXCV.

Quomodo quis omnia faciat ad gloriam Dei?

RESPONSIO.

Cum omnia propter Deum ex mandato Dei facit, et nulla in re ad humanas laudes respicit, cumque ubique memor est Domini, qui dixit : « Sic luceat lux vestra coram homi- » nibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem » vestrum, qui in cœlis est [1]. »

INTERROGATIO CXCVI.

Quomodo edat quis, bibatque ad gloriam Dei?

RESPONSIO.

Si benefacientis meminerit, ejusque animus ita afficiatur, vel ipso corporis statu id attestante, ut non velut curarum expers edat, sed tanquam qui Deum habeat inspectorem : item si inter sumendum cibum habet hunc scopum, ut non veluti servus ventris comedat propter voluptatem, sed velut operarius Dei ; ut in faciendis operibus quæ mandato Christi fiunt, vegetior reddatur.

[1] Matth. v, 16.

INTERROGATIO CXCVII.

Quomodo facit dextera, ut nesciat sinistra?

RESPONSIO.

Tum cum assiduo ac vehementi desiderio placendi Deo, mens omnino sollicita ne excidat ab officio, legitimis modis decertat. Tunc de nulla re, et ne de altero quidem membro cogitat, nisi de eo duntaxat, quod ad propositum conducit : ut artifex, qui in singulis operibus unum illud tantummodo instrumentum spectat, quod sibi ad ea facienda utile est.

INTERROGATIO CXCVIII.

Quid sit humilitas, et quomodo eam assequemur?

RESPONSIO.

Omnes seipso præstantiores existimare, humilitas quidem est[1], ex præscripto Apostoli. Ea autem comparabitur primum quidem, si quis meminerit mandati Domini, qui dixit : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde[2]; » quod locis multis, variisque modis et ostendit, et docuit. Itidem, si fidem ei adhibuerit, qui hoc promissum fecit : « Qui humiliat se, exaltabitur[3]. » Deinde, si ex æquo et indesinenter in omni negotio vacaverit humilitatis studiis, seque in ipsis exercuerit. Vix enim hoc modo per assiduam medi-

[1] Philip. II, 3. — [2] Matth. XI, 29. — [3] Luc. XIV, 11.

tationem humilitatis habitum poterit adipisci, ut in artibus etiam fieri consuevit. Atque etiam in qualibet virtute quæ secundum mandatum Domini nostri Jesu Christi possidenda fuerit, idem est modus comparandi.

INTERROGATIO CXCIX.

Quomodo quis paratissimus erit ad se etiam periculis objiciendum pro Domini mandato?

RESPONSIO.

PRIMUM quidem si meminerit Dominum ipsum pro nobis Patri obedientem fuisse usque ad mortem [1] : deinde si ei sit persuasum de vi ac virtute mandati, quod vita æterna sit [2], sicut scriptum est. Postremo si crediderit Domino, qui dixit : « Qui voluerit animam suam salvam facere, per- » det eam : qui autem perdiderit animam suam propter me » et Evangelium, hic salvam faciet eam [3]. »

INTERROGATIO CC.

Quî fieri potest, ut ii, qui jampridem in Dei opere laboraverunt, queant recens accedentes adjuvare?

RESPONSIO.

Hoc modo, cum videlicet, si corporis viribus valeant, studium impigrum ostendunt, atque semetipsos cujusvis recte facti exemplar præstant. Sin valetudine sint infirma,

[1] Philip. II, 8. — [2] Joan. XII, 50. — [3] Marc. VIII, 35.

cum eum animi statum præ se ferunt, ut et ex vultu, et ex omni motu notum sit persuasum eis esse Deum ipsos inspicere, et Dominum adesse. Denique, cum in se ostendunt charitatis proprietates, quæ enumerantur ab Apostolo, cum dicit : « Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, » non agit perperam, non inflatur, non indecore se gerit, » non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat ma- » lum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veri- » tati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia » sustinet. Charitas nunquam excidit[1]. Hæc enim omnia etiam in debili corpore perfici possunt.

INTERROGATIO CCI.

Quomodo quis attentionem in precando assequetur?

Responsio.

Si ei persuasum sit Deum sibi ob oculos esse. Si quis enim principem aut præpositum intuens, et cum eo loquens, oculos intentos habet, quanto magis qui Deum precatur, intentam mentem habebit in eum, qui scrutatur corda et renes? facturus quod scriptum est : « Levantes » puras manus sine ira, et disceptationibus[2]. »

[1] 1 Cor. xiii, 4-8. — [2] 1 Tim. ii, 8.

INTERROGATIO CCII.

An fieri possit, ut in omnibus et semper attentio acquiratur? et quo pacto eàm possit quis assequi?

RESPONSIO.

Fieri id posse ostendit, qui dixit : « Oculi mei semper » ad Dominum [1]. » Et, « Providebam Dominum in conspectu » meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear [2]. » Quomodo autem possit illud fieri, dictum est superius : nimirum si facultas non detur animæ per tempus, ut intermittat de Deo, deque operibus et donis Dei cogitare, et pro omnibus confiteri, et gratias persolvere.

INTERROGATIO CCIII.

Utrum eorum, quæ ex mandato Domini recte fiunt, una et eadem mensura in omnibus sit, an alius majorem, alius minorem habeat?

RESPONSIO.

Nequaquam unam esse in omnibus mensuram, sed alium et plus accepisse, et plus præ se ferre, alium vero minus, compertum est ex verbis Domini, qui modo quidem ait : « Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui » audit verbum, et intelligit, qui recte fructum affert, et » facit, alius quidem centesimum, alius autem sexagesi-

[1] Psal. XXIV, 15. — [2] Psal. XV, 8.

» mum, alius vero trigesimum [1]. » Quod in iis quoque, qui minus acceperant, reperitur [2] : modo vero, « Uni quidem » dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum [3]. »

INTERROGATIO CCIV.

Quomodo quis efficiatur dignus, qui fiat Spiritus sancti particeps?

RESPONSIO.

DOMINUS noster Jesus Christus docuit his verbis : « Si » diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, » et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in » æternum : Spiritum veritatis, quem mundus non potest » accipere [4]. » Quandiu igitur non servamus omnia mandata Domini, neque ii sumus, qui hoc testimonium ab ipso recipiamus, « Vos non estis ex hoc mundo [5], » ne id expectemus, ut Spiritus sancti participes efficiamur.

INTERROGATIO CCV.

Qui sint pauperes spiritu [6] ?

RESPONSIO.

CUM Dominus dicat, alias quidem, « Verba qua ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt [7]; » alias vero, « Spi» ritus sanctus docebit vos omnia, et suggeret quæcumque

[1] Matth. XIII, 23.— [2] Luc. XIX, 16. — [3] Matth. XXV, 15.— [4] Joan. XIV, 15-17. — [5] Id. XV, 19. — [6] Matth. V, 3. — [7] Joan. VI, 64.

» dixero vobis[1]; Non enim, inquit, loquetur a semetipso, » sed quæcumque audierit a me, hæc loquetur[2]; » ii pauperes sunt spiritu, qui non ob ullam aliam causam pauperes facti sunt, nisi ob doctrinam Domini, qui dixit : « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus[3]. » Quod si quispiam paupertatem sibi etiam quoquo modo oblatam amplexus, hanc ad Dei voluntatem direxerit exemplo Lazari, ne hic quidem ab illa beatitudine alienus est.

INTERROGATIO CCVI.

Cum Dominus præcipiat, ut ne solliciti simus, quid edamus, aut quid bibamus, aut quo tegamur, quo usque id mandatum se extendit, aut quomodo perficitur?

Responsio.

Hoc mandatum perinde atque mandatum quodlibet ad mortem usque se extendit. Dominus enim obedivit etiam usque ad mortem[5]. » Conficitur autem per fiduciam Dei. Nam prohibita sollicitudine, promissionem adjungit Dominus, his verbis : « Novit enim Pater vester, quibus opus » habetis, antequam vos petatis ipsum[6]. » Talis erat Apostolus, qui dicebat : « Responsum mortis habuimus, ut non » simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos[7]. » Nimirum quod ad animi propositum atque præparationem attinebat, moriebatur quotidie, sed servabatur benevolentia Dei. Quapropter fidenter aiebat : « Quasi morientes, et » ecce vivimus[8]. » Adjuvat autem hujusmodi voluntatem

[1] Joan. xiv, 26. — [2] Id. xvi, 13. — [3] Matth. xix, 21. — [4] Id. vi, 31. — [5] Philip. ii, 8. — [6] Matth. vi, 8. — [7] 2 Cor. i, 9. — [8] Id. vi, 9.

fervens etiam circa mandata Domini studium, horumque conficiendorum desiderium inexplebile, quo quis si teneatur, ei ne vacat quidem circa corporis necessitates distrahi.

INTERROGATIO CCVII.

Itaque si neque sollicitos esse oportet de vitæ necessariis, et aliud est præceptum Domini, qui dixit: Operamini non cibum qui perit [1], *inutile fuerit operari et laborare.*

Responsio.

Dominus ipse in utroque loco præceptum suum explanavit. Illic enim posteaquam vitæ necessaria inquirere prohibuisset, his verbis : « Nolite quærere quid edatis, aut » quid bibatis; hæc enim omnia gentes mundi inquirunt [2], » tunc præceptum dedit, et dixit : « Quærite autem regnum » Dei, et justitiam ejus [3]. » Quomodo autem ea quæri debeant, in illis, qui ipsis digni habentur, declaravit. Hic vero, cum vetuit operari cibum, qui perit, illud docuit nos operari debere cibum, « Qui permanet in vitam æter- » nam [4], » quem ipse alio in loco rursus indicavit, cum dixit : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me » Patris [5]. » Quod si Deus vult, ut enutriatur esuriens, ut sitiens potum accipiat, ut vestiatur nudus [6], » et reliqua, prorsus necesse est Apostolum imitari, qui ait : « Omnia » ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere » infirmos [7]. » Item obediendum est eidem, dicenti : « Magis » autem laboret, operando manibus suis quod bonum est,

[1] Joan. VI, 27. — [2] Matth. VI, 31, 32. — [3] Ibid. 33. — [4] Joan. VI, 27. — [5] Id. IV, 34. — [6] Matth. XXV, 35 et seqq. — [7] Act. XX, 35.

» ut habeat unde tribuat necessitatem patienti [1]. » His igitur sic nobis a Domino per Evangelium et Apostolum traditis, omnino prohibitum esse patet, aut sui ipsius causa sollicitum esse, aut operari : sed ex Domini mandato, ob necessitatem proximi sollicitum esse, ac diligentius operari par est : maxime cum Dominus datam iis qui sibi dicati sunt operam recipiat in semetipsum, ejusque gratia regnum cœlorum promittat.

INTERROGATIO CCVIII.

An in universum bona sit exercitatio silentii?

Responsio.

Silentii utilitas ex temporis opportunitate, exque persona probatur, uti ex divina Scriptura edocemur. Ex temporis quidem opportunitate, veluti cum dicit : « Prudens » in tempore illo tacebit, quia tempus malum est [2]. » Et rursus : « Posui ori meo custodiam, cum consisteret pec» cator adversum me [3]. » Ex persona vero, ut cum Apostolus scribit : « Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior » taceat [4]. » Ac iterum : « Mulieres vestræ in Ecclesiis ta» ceant [5]. » Aliquando etiam iis, qui linguam intemperantiorem habent, nec servare possunt illud ; « Omnis sermo » spurcus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei [6], » necessarium est silentium integrum, donec in dicendo et a vitio petulantiæ per id curentur, et per otium discere potuerint, quando, et quid, et quomodo

[1] Ephes. IV, 28.— [2] Amos v, 13. — [3] Psal. XXXVIII, 2.— [4] I Cor. XIV, 30. — [5] Id. v, 34. — [6] Ephes. IV, 29.

loqui oporteat, ut, quemadmodum scriptum est, « Det gra» tiam audientibus [1]. »

INTERROGATIO CCIX.

Quomodo timere potuerimus Dei judicia?

RESPONSIO.

MALI cujusvis expectatio, naturaliter timoris est conciliatrix. Ita enim metuimus et bestias et principes, ubi ab ipsis mali alicujus expectamus experimentum. Si quis igitur crediderit veras esse minas Domini, earumque expectaverit horrendum gravissimumque experimentum, Dei pertimescit judicia.

INTERROGATIO CCX.

Quisnam est amictus ille honestus, ab Apostolo traditus?

RESPONSIO.

Usus ad proprium scopum honeste ac decenter accommodatus, habita ratione temporis, loci, personæ, atque necessitatis. Non enim eadem integumenta ratio comprobat tempore hyemis ac æstatis : neque idem est habitus operarii et quiescentis, famuli et ejus cui famulatur, militis et privati, aut viri et fœminæ.

[1] Ephes. IV, 29.

INTERROGATIO CCXI.

Quis modus diligendi Deum?

RESPONSIO.

ASSIDUA et animi supra vires contentio, ad exequendam Dei voluntatem, eo proposito desiderioque, ut ejus gloria quæratur.

INTERROGATIO CCXII.

Quomodo Dei obtineatur dilectio.

RESPONSIO.

SI cum bona conscientia et æquo animo affecti fuerimus ob ejus beneficia : id quod contingit vel in brutis. Videmus enim et canes panis largitorem tantummodo diligere. Discimus hoc etiam ex iis, quæ sic objurgatorio modo dicta sunt per Esaïam prophetam : « Filios genui et exaltavi : » ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem, et » asinus præsepe domini sui : Israël vero me non cognovit, » et populus me non intellexit[1]. » Quemadmodum enim bos et asinus sponte naturæ Altorem diligunt, ob beneficium ab ipso acceptum : ita et nos, si animo bene conscio et æquo susceperimus beneficia, quomodo Deum tot ac tantorum beneficiorum auctorem non amabimus? cum secundum naturam, ut ita dicam, et nemine docente, hujusmodi affectus animæ sanæ innascatur.

[1] Isaï. 1, 2, 3.

INTERROGATIO CCXIII.

Quæ sint indicia charitatis erga Deum?

RESPONSIO.

DOCUIT nos Dominus ipse, cum dixit : « Si diligitis me, » mandata mea servate [1]. »

INTERROGATIO CCXIV.

In quo discrepent a se invicem benignitas et bonitas?

RESPONSIO.

CUM David dixerit, alias quidem : « Benignus est Dominus » universis [2], » et, « Benignus vir qui miseretur et commo» dat [3], » alias vero, « Benefac, Domine, bonis [4]. » Jeremias itidem, « Bonus est Dominus sustinentibus eum [5], » latius arbitror benignitatem patere, quippe quæ quoslibet quibus opus est, beneficiis afficiat : contractiorem vero esse bonitatem, ut quæ in dandis beneficiis justitiæ rationes adhibeat.

[1] Joan. XIV, 15. — [2] Psal. CXLIV, 9. — [3] Id. CXI, 5. — [4] Id. CXXIV, 4. — [5] Thr. III, 25.

INTERROGATIO CCXV.

Quis sit pacificus, qui a Domino dicitur beatus[1]*?*

RESPONSIO.

Is qui una cum Domino operatur, juxta Apostolum, qui dicit : « Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo ex- » hortante per nos : obsecramus pro Christo, reconcilia- » mini Deo[2]. » Et rursus : « Justificati ex fide, pacem habe- » mus ad Deum[3]. » Pax enim quæ aliter se habet, rejecta est a Domino, cum dixit : « Pacem meam do vobis : non » quomodo mundus dat, ego do vobis[4]. »

INTERROGATIO CCXVI.

Qua in re converti, et effici sicut parvuli debeamus[5]*?*

RESPONSIO.

DOCET nos ipse Evangelii locus, ubi rationem, ob quam hoc dictum sit, declarat. Nimirum ut ne quæramus principatum, sed naturæ agnoscamus æqualitatem, et ejusmodi amplectamur æqualitatem, erga eos qui videntur inferiores nobis esse in aliquibus. Tales enim sunt pueri inter sese, ii certe, qui eorum, quibuscum versantur, malitiæ nondum assuefacti sunt.

[1] Matth. v, 9. — [2] 2 Cor. v, 20. — [3] Rom. v, 1. — [4] Joan. xiv, 27. — [5] Matth. xviii, 3.

INTERROGATIO CCXVII.

Quomodo suscipiemus regnum Dei, ut parvulus?

RESPONSIO.

Si tales fuerimus in recipienda Domini doctrina, qualis est puer in discendis disciplinis, non contradicens, non contendens cum præceptoribus, sed fideliter et cum docilitate tradita sibi documenta excipiens.

INTERROGATIO CCXVIII.

Cujusmodi intelligentiam petere debeamus a Deo : quomodove ipsa fieri digni possimus.

RESPONSIO.

SANE quid intelligentia sit, ipse nos Deus docet per Prophetam, cum ait : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, » et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur » dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur, » quod intelligat ac cognoscat Dominum [1]. » Et per Apostolum, his verbis : « Sed intelligentes quæ sit voluntas Do» mini [2]. » Possumus autem effici intelligentia digni, si modo fecerimus quod scriptum est : « Vacate, et intelligite, » quod ego sum Deus [3] : » et si persuasum nobis sit verum esse omne verbum Dei : « Nisi enim credideritis, inquit, » non intelligetis [4]. »

[1] Jer, IX, 23, 24. — [2] Ephes. V, 17. — [3] Psal. XLV, 11. — [4] Isaï. VII, 9, juxta LXX.

INTERROGATIO CCXIX.

Si beneficium acceperimus ab aliquo : quomodo poterimus tum Domino debitam gratiarum actionem puram ac integram persolvere, tum eam quoque, quæ benefacienti debetur, scite et rite rependere, neque deficientes a modo, neque illum transgredientes?

RESPONSIO.

Si nobis fuerit persuasissimum Deum quidem cujusvis boni et auctorem esse et perfectorem : eum autem, qui nobis operam præbet, tanquam accepti a Deo beneficii ministrum agnoverimus.

INTERROGATIO CCXX.

An cuilibet volenti permittendum sit, ut veniat in colloquium cum sororibus? aut quis, et quando, et quomodo cum sororibus sermonem habebit?

RESPONSIO.

De his dictum est in quæstionibus fusius explicatis, virum scilicet cum viro quemque suo jure, simpliciter et sine delectu unum cum alio colloqui non debere, nedum cum muliere : sed eum, qui præmisso prævio examine, potest juvare et juvari. Quod si quispiam meminerit Domini, qui dixit : « Omne verbum otiosum, quod locuti fue» rint homines, reddent rationem de eo in die judicii[1], »

[1] Matth. XII, 36.

is pertimescit in omni re judicium hujusmodi. Quinetiam obedit Apostolo, qui ait : « Sive manducatis, sive bibitis, » sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite[1] : » et alibi, « Omnia ad ædificationem fiant[2] : » nec quidquam vult otiose et inutiliter facere. Quod autem attinet ad illam quæstionis partem : « Quis, et quando, et quomodo, » illud observandum est ut tempus, locusque et persona eligantur, a quibus remota sit vel mali cujusque suspicio : ac etiam cavebitur in omnibus offendiculum, fietque congressus ad fidei ædificationem. Imo neque ratio sinit personam unam cum una congredi. « Nam, inquit, boni duo » super unum[3]. » Et præterea ad faciendam fidem plus valent. « Væ autem soli : quia si ceciderit, non est qui eri- » gat[4]. »

INTERROGATIO CCXXI.

Cum Dominus doceat orandum esse, ut ne intremus in tentationem, an rogandum sit, ut ne incidamus in corporis dolores ? et si quis inciderit, quomodo eos perferret ?

Responsio.

Non distinxit tentationis genus, sed in universum præcepit : « Orate, ne intretis in tentationem[5] : » qui autem jam inductus sit, ei a Domino petendus est una cum tentatione exitus ejusmodi, quo possit sufferre[6], ut perficiatur a nobis illud, « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic sal- » vus erit[7]. »

[1] 1 Cor. x, 31. — [2] Id. xiv, 26. — [3] Eccl. iv, 9, juxta LXX. — — [4] Ibid. 10. — [5] Luc. xxii, 40. — [6] 1 Cor. x, 13. — [7] Matth. xxiv, 13.

INTERROGATIO CCXXII.

Quis sit cujusque nostrum adversarius? aut quomodo ipsi consentientes erimus[1]*?*

RESPONSIO.

SPECIALITER hoc loco Dominus adversarium vocat eum, qui aliquid eorum, quæ ad nos pertinent, a nobis auferre conatur. At vero sumus ei consentientes, si servaverimus præceptum Domini, qui dixit : « Ei ipsi, qui vult tecum ju- » dicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte et » pallium [2], » et in omni hujusmodi re ad eumdem modum.

INTERROGATIO CCXXIII.

Cum Dominus dixerit : Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans [3]; *qui ob aliquam rationem Deo placitam jejunare vult, quemadmodum etiam Sancti sæpenumero fecisse comperiuntur : quando vel invitus conspicitur, quid faciet?*

RESPONSIO.

Hoc præceptum spectat ad eos, qui ideo mandatum Dei conficere student, ut videantur ab hominibus, ut videlicet vitium complacendi hominibus curent. Nam quod Domini mandatum ad gloriam Dei factum, natura sua a Dei amatoribus occultari ægre admodum possit, Dominus his ver-

[1] Matth. v, 25. — [2] Ibid. 40. — [3] Id. vi, 17, 18.

bis ostendit : « Non potest civitas abscondi supra montem » posita : neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub » modio [1], etc. »

INTERROGATIO CCXXIV.

An etiam nunc alii a prima hora operentur, alii ab undecima [2] ? et quinam sint hi?

RESPONSIO.

Hoc fortasse cuilibet notissimum est ex iis, quæ in divina Scriptura memorantur, multos quidem esse, qui juxta Apostoli testimonium a puero discunt sacras Litteras [3] : multos etiam, qui, Cornelii exemplo [4], naturæ quidem motibus recte utuntur, sed tamen, præceptorum penuria, tarde pertingunt ad scientiæ perfectionem. « Quomodo » enim, inquit, credent si non audierint [5] ? » Si igitur contigerit, ut sint nonnulli, qui, Cornelii exemplo, in nulla re mala occupati, contra perfectionis cupidi, ea bona, quæ facere et cognoscere possunt, vere sinecreque exerceant, his Deus largitur quæ et Cornelio largitus est, nec eis vertit segnitiei vitio præteritum tempus, quandoquidem, uti jam dixi, id non accidit ipsorum culpa : sed hoc studio contentus est, quod per ea, quæ pro tempore posthac studiose agunt, et ad finem usque diligentius perficiunt, declaratur.

[1] Matth. v, 14, 15. — [2] Id. xx, 1-6. — [3] 2 Tim. III, 15. — [4] Act. x. — [5] Rom. x, 14.

INTERROGATIO CCXXV.

Cum Dominus dixerit : Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum [1] : *quomodo hoc digni effici poterimus?*

RESPONSIO.

Qui in nomine alicujus congregati sunt, ejus, qui eos congregavit, consilium scire omnino debent, et ad illud sese componere, ut consequantur ipsius gratiam, eique complaceant, non autem fiant obnoxii malitiæ aut negligentiæ judicio. Ut enim qui sunt ab aliquo vocati, si metere in animo habuerit qui vocavit, ad metendum se parant : si vero ædificare sibi proposuerit, accingunt se ad ædificandum : ita nos qui vocati sumus a Domino, memores esse debemus Apostoli, qui ait : « Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati » estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate : solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et » unus spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis » vestræ [2]. » Apertius autem rem totam nobis Dominus ostendit, per id promissum quod privatim unicuique fecit, his verbis : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, » et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus [3]. » Sicut igitur observatis mandatis fit apud eum mansio : sic quoque in medio duorum vel trium est, si se ad illius voluntatem conformarint. Qui vero non ex vocationis dignitate, neque ad voluntatem

[1] Matth. XVIII, 20. — [2] Ephes. IV, 1-4. — [3] Joan. XIV, 23.

Domini congregati sunt, tametsi videntur fuisse in nomine Domini coacti, audiunt tamen : « Quid vocatis me Domine, » Domine, et non facitis quæ dico [1]. »

INTERROGATIO CCXXVI.

Cum Apostolus dicat : Dum maledicimur, benedicimus : dum blasphemamur, consolamur [2] : *quomodo male audiens debet benedicere, et quam consolationem adhibere debet qui convitiis afficitur.*

Responsio.

In universum existimo Apostolum illud hic docere nos exemplo suo, ut patientia utamur erga omnes, iisque, qui mala faciunt, bona rependamus : ut videlicet non modo erga maledicos, sed etiam erga quemcumque maleficum hanc servemus agendi rationem, perficiamusque quod dictum est : « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum [3]. » Illud autem consolari, usurpare solet Scriptura, non ex usu consueto, sed ut animum in certam veritatis notitiam adducat, veluti hoc loco : « Consolamini populum meum, » dicit Deus [4]. » Quin et Apostolus ait : « Desidero enim » videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis » ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis, per » eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam [5]. » Et alibi : « Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus » in adventu Titi [6]. »

[1] Luc. vi, 46. — [2] 1 Cor. iv, 12. — [3] Rom. xii, 21. — [4] Isaï. xl, 1, juxta lxx. — [5] Rom. i, 11, 12. — [6] 2 Cor. vii, 6.

INTERROGATIO CCXXVII.

Utrum oporteat unumquemque ea, quæ sentit, aliis patefacere? an cum sibi persuasum fuerit rem, quæ geritur, Deo esse gratam, eam debeat apud seipsum continere?

RESPONSIO.

MEMORES sententiæ Dei, qui dixit per Prophetam : « Væ » vobis qui prudentes estis in vobis ipsis, et coram vobis » ipsis scientes [1], » itemque horumce verborum Apostoli, « Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gra» tiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul conso» lari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram » atque meam [2], » communicare nos res nostras cum iis, qui nobis conjunctissimi sunt, quique tum fidei tum prudentiæ specimen dederunt, necesse esse arbitramur : ut aut quod erroneum est, corrigatur, aut quod recte factum est, stabiliatur, sicque effugiamus nos memoratum jam judicium, quod adversum eos, qui in seipsis prudentes sunt, prolatum est.

[1] Isaï. v, 21. — [2] Rom. 1, 11, 12.

INTERROGATIO CCXXVIII.

Utrum voluntas eorum qui scandalizantur, in omni re prorsus facienda sit? an potius sint quædam, in quibus simulatione utendum non sit, etiamsi scandalum patiantur nonnulli?

RESPONSIO.

MANIFESTUM quoddam in his discrimen ostendimus, cum interrogati sumus suo loco, et maxima qua potuimus cura, ea de re disseruimus.

INTERROGATIO CCXXIX.

An oporteat vetitas actiones citra verecundiam omnibus detegere, aut aliquibus duntaxat, et quinam hi sint?

RESPONSIO.

SERVANDA est ratio eadem in peccatorum confessione, quæ in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis, qui horum curandorum periti sunt: ita fieri quoque debet peccatorum confessio, coram iis, qui curare hæc possint, prout scriptum est: « Vos qui fortes estis, infirmitates debilium portate [1] : » hoc est, cura ac diligentia vestra tollite.

[1] Rom. XV, 1.

INTERROGATIO CCXXX.

Quid sit cultus, et quis sit rationalis cultus[1]*?*

RESPONSIO.

CULTUS est, ut opinor, intenta, perpetuaque nec interrupta ejus, qui colitur, cultura : sed discrimen quod interest rationalem inter et irrationalem cultum, declarat nobis Apostolus, cum ait, modo quidem : « Scitis quod cum » gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, » ibatis[2] : » modo vero, « Exhibete corpora vestra hostiam » viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obse- » quium vestrum[3]. » Qui enim it, prout ducitur, reddit cultum irrationalem : siquidem non præeunte ratione, sed suo impetu atque voluntate impulsus, ducentis arbitrio quoquoversum ducitur, ac etiam præter sententiam fertur : qui vero ratione sana et consilio bono, multaque cura semper et ubique id quod Deo placet, spectat et peragit, ab eo conficitur mandatum rationalis cultus, juxta eum, qui dixit : « Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semi- » tis mei[4]. » Ac rursus : « Consilium meum, justificationes » tuæ[5]. »

[1] Rom. XII, 1.— [2] 1 Cor. XII, 2.— [3] Rom. XII, 1.— [4] Psal CXVIII, 105. — [5] Ibid. 24.

INTERROGATIO CCXXXI.

Si frater inique se gerat in me, et inimicus sit mihi, aut aliquando sacerdos etiam, an liceat mihi data de inimicis præcepta etiam erga illum servare.

RESPONSIO.

NULLUM Dominus in traditis de inimicis mandatis, neque inimici, neque inimicitiæ discrimen expressit : quin potius in iis, qui cæteris gradu præstant, idem peccatum gravius esse indicavit, cum ad ipsos dixit : « Quid autem vides » festucam in oculo fratris tui, trabem vero in oculo tuo » non vides [1] ? » Maxime igitur in talibus et in iis, qui videntur esse præstantiores, opus est studio ac consideratione, ut et debitam curam pro eis sive in consolando, sive in redarguendo cum convenienti lenitate suscipiamus, et reliquis omnibus ex Domini mandato erga ipsos observatis, nosmetipsos inculpatos in hac quoque parte servemus.

INTERROGATIO CCXXXII.

Si quis ab aliquo injuria affectus, nemini id referat, lenitatis et patientiæ gratia, et Deo relinquere judicium videatur, an secundum Dominum faciat?

RESPONSIO.

CUM Dominus dixerit modo quidem, « Dimittite si quid » habetis adversus aliquem [2] : » modo vero, « Si peccaverit

[1] Matth. VII, 3. — [2] Marc. XI, 25.

» in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum » solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum : si autem » non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in » ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod » si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam quo- » que non audierit, sit sibi sicut ethnicus et publicanus[1], » is lenitatis atque patientiæ fructum ostendere debet, ita ut pro eo, qui injuriam intulit, preces ex vero affectu offerat Deo, dicatque : « Domine, ne statuas illi peccatum[2] : » ut ne, veluti suo fratri iratus, judicio fiat obnoxius. Admoneri autem et redargui par est injuriæ auctorem, ut et iste ab ira, quæ super contumaciæ filios venit, liberetur. Quod si neglexerit, conticueritque, exercendæ scilicet suæ patientiæ causa, admittit duplex peccatum : et quod ipse violat mandatum illud, « Arguendo argues proximum tuum, et » non accipies propter eum peccatum[3], » et hoc silentio peccati fit particeps : et quod quem poterat fortasse redarguendo lucrari, velut Dominus præcepit, hunc sinit in malo perire.

INTERROGATIO CCXXXIII.

Ex omnibus recte factis, si vel unum desit alicui, num propterea salutem non adipiscitur?

Responsio.

Cum multa sint tum in Veteri, tum in Novo Testamento, quæ nos possint de hoc certiores facere, tamen satis esse duco cuivis fideli vel illud unum de Petro judicium, qui

[1] Matth. XVIII, 15-17. — [2] Act. VII, 59. — [3] Lev. XIX, 17, juxta LXX.

post tot et tanta præclare gesta, postque tales beatitudines a Domino promissas, laudesque ab eodem tributas, ubi in uno duntaxat visus est non obedire, atque hoc neque ob segnitiem, neque ob contemptum, sed propter reverentiam et honorem Domini, ob id solum audit : « Si non lavero » te, non habes partem mecum [1]. »

INTERROGATIO CCXXXIV.

Quomodo quis mortem Domini annuntiat[2].

RESPONSIO.

SICUT Dominus his verbis docuit : « Si quis venit ad me, » abneget semetipsum, et tollat crucem suam [3]. » Quin et Apostolus idipsum declaravit, cum hoc confessus est : « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo [4]. » Quod quidem jam ante spopondimus in ipso baptismo : « Qui-» cumque enim, inquit, baptizati sumus in Christo Jesu, » in morte ipsius baptizati sumus [5] : » quibus hæc subjungit, interpretans quid sit in morte Domini baptizari : « Ve-» tus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur cor-» pus peccati : ut nos ultra non serviamus peccato [6] : » quin potius ut omni vitæ studio puri efficiamur digni testimonio Apostoli, qui dixit : « Mortui enim estis, et vita » vestra est abscondita cum Christo in Deo [7] : » adeo ut confisi libere dicere possimus : « Venit princeps mundi » hujus, et in me non habet quidquam [8]. »

[1] Joan. XIII, 8. — [2] Matth. XVI, 24. — [3] Gal. VI, 14. — [4] Rom. VI, 3. — [5] Ibid. 6. — [6] Coloss. III, 3. — [7] Joan. XIV, 30.

INTERROGATIO CCXXXV.

An expediat multa ex Scripturis ediscere.

RESPONSIO.

Duo cum sint magis generales ordines, et eorum, qui aliis præficiuntur, et eorum, quorum partes sunt, morem gerere et obedire, secundum diversa dona, arbitror, cui præfectura et cura plurium concredita est, eum quæ omnibus congruunt, scire ac ediscere debere, ut cunctos doceat voluntates Dei, singulisque ea, quæ ad ipsorum officium spectant, ostendat. At vero omnes alii memores Apostoli, qui dixit : « Non plus sapere, quam oportet sa» pere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus » divisit [1], » officium suum diligenter discant, perficiantque, nihil amplius curantes, ut digni evadant voce Domini, qui ait : « Agedum serve bone, super pauca fuisti » fidelis, super multa te constituam [2]. »

INTERROGATIO CCXXXVI.

Quicumque digni habiti sunt, qui discerent quatuor Evangelia, quomodo hanc debent suscipere gratiam?

RESPONSIO.

Cum Dominus hanc sententiam protulerit, « Cui com» mendaverunt multum, plus repetent ab eo [3], » amplius timere ac solliciti esse debent, quemadmodum Apostolus

[1] Rom. XII, 3. — [2] Matth. XXV, 21. — [3] Luc. XII, 48.

docuit, his verbis: « Adjuvantes autem etiam exhortamur, » ne in vacuum gratiam Dei recipiatis [1]. » Hoc autem fit, si Domino credamus, dicenti: « Si hæc scitis, beati estis si » feceritis ea [2]. »

INTERROGATIO CCXXXVII.

Quisnam animus ad Dei dirigatur voluntatem.

RESPONSIO.

Is qui amplexus est sententiam Domini, qui dixit: « Si » quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat crucem » suam, et sequatur me [3]. » Nisi enim quis illud prius assecutus sit, ut abneget semetipsum et tollat crucem suam; multa quæ quominus sequatur, impediant, in processu ex seipso nanciscitur.

INTERROGATIO CCXXXVIII.

Numquid fieri possit, ut quis sine ulla intermissione psallat, legatve, aut seria tractet de Dei verbis, nullumque omnino sit medium temporis spatium, cum nonnullis contingat, ut sordidioribus corporis necessitatibus parere cogantur.

RESPONSIO.

De hac re Apostolus nobis regulam præscribit, cum dixit: « Omnia honeste et secundum ordinem fiant [4]. »

[1] 2 Cor. VI, 1.— [2] Joan. XIII, 17.— [3] Matth. XVI, 24.— [4] 1 Cor. XIV, 40.

Quamobrem oportet magis tum pro tempore, tum pro loco, honestatis ac recti ordinis curam habere.

INTERROGATIO CCXXXIX.

Quis sit bonus thesaurus, et quis malus?

RESPONSIO.

PRUDENTIA quidem, quæ circa omnem in Christo virtutem versatur ad gloriam Dei, bonus thesaurus est : prudentia vero, quæ circa rerum a Domino prohibitarum malignitatem versatur, malus est thesaurus : ex quibus, juxta Domini vocem, in propriis utriusque factis ac verbis, sive bona, sive mala proferuntur [1].

INTERROGATIO CCXL.

Cur dicta sit lata porta, et cur via quæ ducit ad interitum, appellata sit spatiosa [2]?

RESPONSIO.

DOMINUS ob multam benignitatem, earum rerum, quæ notæ sunt, nominibus vocabulisque usus est ad declaranda veritatis dogmata. Quemadmodum igitur in terra declinatio a recto itinere, magnam habet latitudinem : sic, inquit, qui aberrat a via ducente ad regnum cœlorum, in multa erroris latitudine deprehenditur. Has autem voces, « Lata » et spatiosa, » idem valere arbitror. Nam « Spatiosum »

[1] Matth. XII, 35. — [2] Id. VII, 13.

etiam apud externæ doctrinæ peritos, « Latum » dicitur. Spatium igitur, id est, locus erroris late extenditur : cujus finis est interitus.

INTERROGATIO CCXLI.

Quomodo angusta est porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam[1] ? et quomodo quis per ipsam ingreditur?

RESPONSIO.

RURSUM hoc etiam loco « Angustum et arctum » nequaquam res inter se diversas significant : sed « Arctum » indicat aliquid valde angustum, cum via videlicet ita coarctata est, ut prematur, hoc est, in angustum utrinque concludatur viator; nulla declinatione sive ad dexteram, sive ad sinistram, periculo vacante. Velut in ponte, quisquis deflectit in alterutram partem, ab amne undelibet subterfluente excipitur. Quapropter David dicit : « Juxta » iter scandalum posuerunt mihi[2]. » Itaque qui per angustam et arctam viam in vitam ingredi sibi proposuit, eum cavere oportet, ne ullo modo deflectat ac declinet a mandatis Domini, perficiens quod scriptum est : « Ne declines » ad dextram, neque ad sinistram[3]. »

[1] Matth. VII, 14. — [2] Psal. CXXXIX, 6. — [3] Deut. XVII, 11.

INTERROGATIO CCXLII.

Quid sibi vult illud : « Per fraternam charitatem, ad » mutuo vos diligendos propensi [1] ? »

Responsio.

Studium illud quod e propensione ortum habet, de intento amore dicitur, cum scilicet is, qui diligitur, cupido ardentique affectu ab amante amatur. Ne igitur fraternus amor in superficie solum appareat, sed in animo insitus sit et fervidus, dictum est illud : « Per fraternam charita- » tem, ad mutuo vos diligendos propensi. »

INTERROGATIO CCXLIII.

Quid sibi vult Apostolus, cum ait : Irascimini et nolite peccare : sol non occidat super iracundiam vestram [2] : *cum tamen idem ipse alio in loco dicat ;* Omnis amaritudo, et ira, et indignatio tollatur a vobis [3] ?

Responsio.

Arbitror Apostolum Domini exemplo ita hic locutum esse. Quemadmodum enim Dominus cum in Evangelio antea dixisset : « Dictum est Antiquis » hoc, deinde subjungit : « Ego autem dico vobis [4] » hoc : sic Apostolus etiam hoc loco, antiqui illius præcepti veteribus illis olim dati :

[1] Rom. xii, 10. — [2] Ephes. iv, 26. — [3] Ibid. 31. — [4] Matth. v, 21.

« Irascimini, et nolite peccare [1], » facta prius mentione, paulo post id quod nobis convenit, a seipso infert, his verbis : « Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor » tollatur a vobis [2].

INTERROGATIO CCXLIV.

Quid est hoc : Date locum iræ [3]?

RESPONSIO.

Hoc est aut non resistere malo [4], uti scriptum est, sed et percutienti in dexteram maxillam, obvertere etiam alteram, etc. aut illud : « Cum autem persecuti vos fuerint in » civitate ista, fugite in aliam [5]. »

INTERROGATIO CCXLV.

Quis sit prudens ut serpens, et simplex sicut columba [6]?

RESPONSIO.

PRUDENS quidem ut serpens is est, qui in doctrina tradenda ita se gerit, ut adhibita circumspectione, considerationeque, qua ratione quod docet et fieri, et facile fieri possit, omnia faciat, ut audientium animos ad auscultandum habeat paratos. Simplex vero ut columba, qui ne cogitat quidem de insidiatore ulciscendo, potiusque beneficia in illum conferre pergit, juxta præceptum Apostoli :

[1] Psal. IV, 5. — [2] Ephes. IV, 31. — [3] Rom. XII, 19. — [4] Matth. V, 39. — [5] Id. X, 23. — [6] Ibid. 16.

« Vos autem nolite deficere benefacientes [1]. » Dominus enim mittens Discipulos ad prædicandum, hæc ipsis præscribit; ubi et sapientia opus erat ad persuadendum, et patientia erga insidiatores : ut quemadmodum illic novit serpens [2] et vultu blandiore accedere, et modo suasorio loqui, quo a Deo abduceret, et manciparet peccato, ita nos quoque et faciem, et mores, et tempus assumamus, et omnibus modis sermones nostros in judicio dispensemus [3], ut abducamus nos a peccato, et ad Deum reducamus. Cæterum ad finem usque servemus patientiam in tentationibus [4], velut scriptum est.

INTERROGATIO CCXLVI.

Quid significat illud : Charitas non indecore se gerit [5]?

Responsio.

Idem est ac si dicas: « A proprio habitu non excidit. » Charitatis autem habitus eæ sunt charitatis proprietates, quæ eodem in loco enumeratæ sunt ab Apostolo.

[1] 2 Thess. iii, 13. — [2] Gen. iii, 1. — [3] Psal. cxi, 5. — [4] Matth. xxiv, 13. — [5] 1 Cor. xiii, 5.

INTERROGATIO CCXLVII.

Cum Scriptura dicat : Nolite gloriari, et nolite loqui excelsa[1] : *item cum Apostolus aliquando ita confiteatur :* Quod loquor, non secundum Dominum loquor, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriationis[2] : *ac rursus :* Factus sum insipiens gloriando[3] : *alias vero gloriari sinat, cum dicit :* Qui gloriatur, in Domino glorietur[4] : *quæ est gloriatio in Domino, et quæ est ea quæ vetita est.*

Responsio.

Vehemens et necessarium Apostoli adversus vitia certamen aperte declaratur. Non enim hæc sui commendandi causa dicit, sed ut temeritatem arrogantiæ quorumdam ac fastum deprimat. Gloriatio autem in Domino est, cum quis recte facta non sibi ipsi, sed Domino ascribit, dicens : « Omnia possum in Christo qui me confortat[5] : » Vetita autem gloriatio potest duplici ratione considerari : vel juxta illud : « Laudatur peccator in desideriis animæ » suæ[6] : » Item : « Quid gloriaris in malitia, qui potens » es[7] ? » vel juxta illud : « Faciunt ut videantur ab homini- » bus[8] : » Quandoquidem dum ob ea quæ faciunt, laudari volunt, in suis factis quodammodo gloriantur. Quinetiam qui ejusmodi sunt, sacrilegi etiam dici possunt, ut qui sibi Dei vindicent dona, et debitam Deo gloriam ad se rapiant.

[1] 1 Reg. II, 3. — [2] 2 Cor. XI, 17. — [3] Id. XII, 11. — [4] Id. X, 17. — [5] Philip. IV, 13. — [6] Psal. II. X, 3. — [7] Id. LI, 3. — [8] Matth. VI, 5.

INTERROGATIO CCXLVIII.

Si Dominus det sapientiam, et a facie ipsius oriatur cognitio et prudentia [1]; item si per Spiritum alii datur sermo sapientiæ, alii vero sermo scientiæ [2] : quomodo id exprobrat Dominus Discipulis : Adhuc et vos sine intelligentia estis [3] ? *Et qua ratione Apostolus quosdam accusat velut intelligentia carentes [4].*

Responsio.

Si quis novit bonitatem Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire [5], diligentiamque didicit Spiritus sancti in divisione atque efficacia donorum Dei, ei compertum est et notum intelligentiæ tarditatem non ex benefacientis segnitie, sed ex eorum, in quos beneficia conferuntur, incredulitate proficisci. Nec injuria reprehenditur qui intelligentiæ expers est, tanquam qui claudat oculos, orto sole, ut in tenebris degat, neque sursum aspiciat ut illuminetur.

INTERROGATIO CCXLIX.

Quid est honestum, et quid est justum ?

Responsio.

Honestum quidem id esse puto, quod decet, et quod debetur ab inferioribus superiori, ex præstantiæ ratione :

[1] Prov. II, 6. — [2] 1 Cor. XII, 8. — [3] Matth. XV, 16. — [4] Rom. I, 31. — [5] 1 Tim. II, 4.

justum vero, quod pro operum merito atque dignitate singulis redditur. Et in honesto quidem optima quæque tantummodo animo grato in memoriam revocantur, et compensantur : sed in eo, quod justum est, mala quoque examinantur ac puniuntur.

INTERROGATIO CCL.

Quomodo dat quis sanctum canibus, aut projicit margaritas ante porcos : aut quomodo contingit id quod sequitur : Ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos [1] ?

Responsio.

Aperte hoc nobis explicat Apostolus, qui iis, quæ ipse adversus Judæos dixerat, addit : « Qui in lege gloriaris, » per prævaricationem legis Deum inhonoras [2]. » Itaque contumeliam, qua afficimus sanctos Domini sermones per legis violationem, hoc loco prohibuit Dominus. Ex qua violatione sequitur etiam, ut ii, qui alieni sunt a fide, simul et contemnenda ducant Domini dogmata, et ob illa ipsa audacia majore insurgant adversum nos, et conviliis atque accusationibus violatorem veluti disrumpant.

[1] Matth. VII, 6. — [2] Rom. II, 23.

INTERROGATIO CCLI.

Quomodo Dominus interdum vetat portare sacculum et peram in via [1] *: interdum vero dicit :* Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium [2].

Responsio.

Hoc explanat Dominus ipse, his verbis : « Oportet enim » adhuc in me impleri illud : « Et cum iniquis deputatus » est [3]. » Confestim enim post eventum vaticinii de gladio, dicit Petro : « Converte gladium tuum in locum suum : » omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt [4] : » ita ut illud : « Sed nunc qui habet sacculum, tollat, seu » tollet, (sic enim etiam multa exemplaria habent) non sit quoddam præceptum, sed vaticinium Domini, qui prænuntiabat futurum, ut Apostoli donorum et legis Domini obliti auderent et gladios assumere. Quod autem plerumque imperativo loquendi genere vice vaticinii usa sit Scriptura, planum est ex multis locis, veluti ex illo : « Fiant filii » ejus orphani [5] : » Et, « Diabolus stet a dextris ejus [6]. » Et quæcumque sunt similia.

[1] Luc. x, 4. — [2] Luc. xxii, 36. — [3] Ibid. 37. — [4] Matth. xxvi, 52. — [5] Psal. cviii, 9. — [6] Ibid. 6.

INTERROGATIO CCLII.

Quis sit panis ille quotidianus, cujus quotidianam largitionem rogare edocti sumus?

RESPONSIO.

CUM quis opus aliquod facit, memor Domini, qui dixit : « Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis aut quid » bibatis [1], » itemque Apostoli, qui laborare præcipit, ut habeamus unde tribuamus necessitatem patienti [2], nec ob propriam utilitatem, sed ob mandatum Domini laborat (« Dignus est enim operarius mercede sua [3], ») is quotidianum panem, hoc est, panem naturæ nostræ ad quotidianam vitam utilem, non sui juris facit, sed eum a Deo petit. Atque adeo posita ipsi ob oculos indigentiæ suæ necessitate, sic edit quod datur ab eo, cui cum probatione hæc cura concredita est, ut quotidie faciat illud : « Dividebatur singulis, prout cuique opus erat [4]. »

INTERROGATIO CCLIII.

Quid sit talentum, aut quomodo illud multiplicabimus [5]?

RESPONSIO.

PARABOLAM hanc ad omne munus Dei significandum dictam fuisse existimo, ut unusquisque, quocumque tan-

[1] Matth. VI, 25. — [2] Ephes. IV, 28. — [3] Matth. X, 10. — [4] Act. IV, 35. — [5] Matth. XXV, 15.

dem dono cum Deus dignatus sit, id multiplicet, hoc ipso ad beneficentiam et utilitatem plurium adhibito. Siquidem nemo est, qui sit benignitatis Dei expers.

INTERROGATIO CCLIV.

Quæ est mensa illa, in quam oportebat te, inquit Dominus, injicere pecuniam?

Responsio.

Parabolæ non reipsa repræsentant res contemplandas, sed duntaxat mentem deducunt ad propositum. Quemadmodum igitur pecunia solet numulariis ad quæstum dari (sunt enim, ut ego Alexandriæ novi, qui recipiant, et idipsum peragant) : sic necesse est, ut qui qualecumque tandem donum acceperit, illud communicet cum indigente : aut efficiat quod ab Apostolo de doctrina dictum est : « Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei » erunt et alios docere [1]. » Non enim solum in doctrina id consuevit fieri, sed etiam in omni negotio : quandoquidem aliis inest facultas, alii vero dispensandi peritiam acceperunt.

[1] 2 Tim. II, 2.

INTERROGATIO CCLV.

Quo abire jussus est qui audivit: Tolle quod tuum est, et vade[1]*?*

Responsio.

Eum in locum fortasse, quo etiam qui a sinistris steterunt, abire jussi sunt[2], quibus crimini datum est, quod cessassent a bonis operibus. Quisquis autem invidet fratri, homine nihil agente deterior est, cum mos sit Scripturæ multis in locis, invidiam cum cæde conjungere[3].

INTERROGATIO CCLVI.

Quæ sit merces, quam hi pariter atque ultimi accipiunt?

Responsio.

Fortasse non incusari ob ea recte facta quæ quis gessit, commune est omnium obedientium. Nam coronari, proprium est eorum qui bonum certamen legitime decertarunt, qui perfecerunt cursum, qui fidem servaverunt in dilectione Jesu Christi Domini nostri. Potest autem pacta illa merces esse illud centuplum, quod Dominus spopondit recepturos in hoc tempore esse eos, qui cunctas res præsentes reliquerint ob ipsius mandatum : ita ut illud, « Tolle quod tuum est, » de hac mercede dictum sit. Quoniam autem qui priores laborasse visi fuerant, adversus eos, qui æquale præmium receperant, invidiæ morbo labo-

[1] Matth. xx, 14. — [2] Id. xxv, 41. — [3] Rom. i, 29, et Gal. v, 21.

rarunt, non par est ipsos vitam æternam sortiri, sed solo illo centuplo nunc accepto, in futuro sæculo condemnari ob invidiam, et audire illud : « Vade ».

INTERROGATIO CCLVII.

Qui sint palea, quæ inextincto igne comburitur[1]?

RESPONSIO.

Ii nimirum, qui utiles quidem sunt iis, qui digni sunt regno cœlorum, perinde ut paleæ frumento, nec tamen affectu dilectionis erga Deum et proximum hoc faciunt, sive in spiritualibus donis, sive in corporalibus beneficentiis, atque ita imperfectos se esse sinunt.

INTERROGATIO CCLVIII.

Quis sit qui condemnatur ab Apostolo, his verbis : Volens in humilitate et religione[2], etc.

RESPONSIO.

ARGUMENTUM, de quo hic agitur, iis quæ sequuntur verbis arbitror explanari. Mox enim nominat immoderationem corpori haudquaquam parcentem : cujusmodi sunt Manichæi, et si qui sint horum similes.

[1] Matth. III, 12. — [2] Coloss. II, 18.

INTERROGATIO CCLIX.

Quis sit fervens spiritu[1]?

RESPONSIO.

QUI ferventi animi alacritate, et inexplebili desiderio, et studio impigro facit voluntatem Dei, in charitate Jesu Christi Domini nostri, juxta id quod scriptum est : « In » mandatis ejus volet nimis[2]. »

INTERROGATIO CCLX.

Cum Apostolus nunc quidem dicat : Nolite fieri imprudentes[3] : *nunc vero,* Nolite esse prudentes apud vosmetipsos[4], *fieri-ne potest ut prudens non sit apud semetipsum, is, qui imprudens non est?*

RESPONSIO.

UNUMQUODQUE præceptum habet proprium limitem. Etenim huic mandato, « Nolite fieri imprudentes, » hoc subjungit, « Sed intelligentes quæ sit voluntas Dei : » alteri vero, « Ne sis prudens apud temetipsum, » additur illud : « Verum » time Dominum, et declina ob omni malo[5]. » Quare imprudens quidem est, qui non intelligit voluntatem Domini : prudens vero apud semetipsum quisquis suis ipsius ratiocinationibus utitur, neque in verbis Dei ambulat secundum fidem. Si quis igitur vult neque imprudens esse, neque

[1] Rom. XII, 11. — [2] Psal. CXI, 1. — [3] Ephes. V, 17. — [4] Rom. XII, 16. — [5] Prov. III, 7.

prudens apud seipsum, debet Domini intelligere voluntatem per fidem in ipsum, et in timore Domini imitari Apostolum, qui ait : « Consilia destruentes, et omnem altitudi-» nem extollentem se adversus scientiam Dei, et in capti-» vitatem redigentes omnem intellectum in obsequium » Christi[1]. »

INTERROGATIO CCLXI.

Cum Dominus hoc promissum fecerit : Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis[2]. *Ac rursus :* Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis[3]: *quomodo vel ipsi Sancti quæ petierunt, non acceperunt? velut etiam Apostolus, qui ait :* Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me[4], *nec tamen voti compos factus est : similiterque Jeremias propheta, et Moyses ipse.*

Responsio.

Cum Dominus noster Jesus Christus in precatione sua dixerit : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: » deinde addiderit, « Verumtamen non voluntas mea, sed » tua fiat[5] : » Primum quidem nosse operæ-pretium est non licere nobis, quæcumque volumus, petere : imo vero ne id quidem quod nobis expedit, poscere ullo modo novimus. Nam quid exposcamus, ut oportet, nescimus. Quare multa cum consideratione secundum voluntatem Dei petitiones adhibendæ sunt. Quod si non audimur, scire oportet aut perseverantia aut ingenti contentione

[1] 2 Cor. x, 4, 5. — [2] Matth. xxi, 22. — [3] Id. xviii, 19. — [4] 2 Cor. xii, 8. — [5] Matth. xxvi, 39.

opus esse, juxta Domini parabolam, qua docemur semper orare oportere, non autem defatigari, et juxta id quod ab ipso in alio loco dictum est : « Propter improbitatem ejus » surget, et dabit illi quotquot habet necessarios[1] : » aut emendatione et diligentia, juxta id quod Deus per Prophetam ad quosdam dixit, ita loquens : « Cum extenderitis » manus vestras ad me, avertam faciem meam a vobis, et » si preces multiplicaveritis, non exaudiam vos. Manus » enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote[1], etc. » Quin autem et nunc fiant, et sint plenæ sanguine manus multorum, dubitare non debent, qui fidem habent judicio illi Dei, quod adversus eum pronuntiavit, qui populo renuntiare jussus, obticuerit, ita locutus : « Sanguis peccatoris ex manibus speculatoris requiretur[2]. » Quod cum verissimum ac constantissimum esse sibi persuasisset Apostolus, dicebat : « Mundus ego ex hoc tem» pore sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo» minus annuntiarem vobis omne consilium Dei[3]. » Quod si qui conticuerit solum, is reus futurus est sanguinis eorum, qui peccaverint, quid quis dixerit de iis, qui per sua facta aut dicta aliis fuerint offensioni. Fit autem interdum, ut etiam propter indignitatem petentis petitum non impetretur : velut in Davide, qui cum rogasset, ut liceret sibi ædificare domum Deo, prohibitus est : qui etiamsi gratus acceptusque esset Deo, tamen hoc honore non habitus est dignus. Jeremias vero ob nequitiam eorum, pro quibus precatus est, videtur non exauditus fuisse. Quinetiam non raro contingit, ut prætermisso ex nostra negligentia opportuno tempore, quo orare oportuisset, comperimur posthac intempestive et incassum rogare. Quod autem attinet ad illud : « Propter hoc ter Dominum rogavi, ut dis-

[1] Luc. xi, 8.— [2] Isaï. i, 15, 16.— [3] Ezech. iii, 18. — [4] Act. xx, 6, 27.

» cederet a me [1], » sciendum est earum calamitatum, quæ tum in rebus externis, tum in ipso corpore nobis eveniunt, multiplicem esse et variam rationem, Deo has vel inferente vel permittente per quamdam dispensationem subita horum malorum liberatione nobis utiliorem. Si quis igitur nosse potuerit se ab adversitate per precationem ac rogationem liberari oportere, si rogat, tum exauditur : velut duo cæci in Evangelio, et decem leprosi, aliique complures : si vero perspectam non habuerit rationem, ob quam in tentationem inciderit (nam plerumque finem ob quem mala sibi irrogantur, assequi etiam per patientiam debet,) deprecatusque fuerit calamitatem, cum tamen ad finem usque eam sustinere debuisset, non auditur : quandoquidem consilio benignitatis Dei non assentitur. Illud autem, « Si duo ex vobis consenserint, » quid sibi velit, ipsa loci series aperte declarat. Ibi enim de eo, qui peccantem arguit, et de eo qui arguitur, verba facit. Quamobrem cum Deus non velit mortem peccatoris, sicut vult ipsum converti et vivere : qui reprehensus est, si animo compunctus sit, atque redarguentis assensus fuerit consilio, pro re omni, hoc est, pro omni peccato, cujus petierint veniam, dabitur ipsis a clementissimo Deo. Si enim qui increpatur, haud consenserit cum increpante, jam non conceditur venia, sed fit alligatio, juxta ea quæ sequuntur verba : « Quæ» cumque alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo [2], » sic ut impleatur judicium illud, « Si Ecclesiam quoque » non audierit qui redargutus est, sit tibi sicut ethnicus et » publicanus [3]. »

[1] 2 Cor. XII, 8. — [2] Matth. XVIII, 18. — [3] Ibid. 17.

INTERROGATIO CCLXII.

Cum Scriptura in rerum laudabilium numero egestatem et paupertatem ponat, velut in hoc loco: Beati egeni [1]: *ac etiam in illo,* Desiderium pauperum exaudivit Dominus [2]. *Et rursum:* Egenus et pauper laudabunt nomen tuum [3], *quodnam est discrimen egestatem inter et paupertatem: et quomodo verum dicit David, cum ait:* Ego autem egenus sum et pauper [4].

Responsio.

Cum recordor Apostoli, qui dixit de Domino, quod propter nos egenus factus est, cum dives esset [5], existimo egenum quidem eum esse, qui a divitiis exciderit in egestatem: pauperem vero, qui ab initio in egestate fuerit, ac certo quodam, qui Deo placeret, modo ejusmodi adversitatem rexerit. Cæterum David egenum et pauperem esse se confitetur: sed fortasse hoc etiam dicit in persona Domini, qui egenus quidem nominatur secundum illud, « Qui propter nos egenus factus est, cum esset dives [6]: » pauper vero, quod non divitis alicujus, sed fabri lignarii filius secundum carnem dictus est [7]. Forte etiam quoniam sicut Job non noverat res suas in thesaurum recondere, neque divitiis studere tanquam propriis, sed dispensare omnia ex voluntate Domini.

[1] Matth. v, 3. — [2] Psal. x, 17, juxta Hebr. — [3] Id. lxxiii, 21.— [4] Id. xxxix, 18. — [5] 2 Cor. viii, 9. — [6] Ibid. — [7] Matth. xiii, 55.

INTERROGATIO CCLXIII.

Quid vult docere Dominus per exempla, quibus subjungit illud : Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus[1]. *Si enim qui turrim ædificare vult, aut prælium committere cum alio rege, apparare se debet aut ad ædificationem, aut ad bellum : sin autem impar fuerit, potest aut ab initio fundamentum non jacere, aut petere pacem : ergo-ne is etiam, qui voluerit discipulus Domini fieri, debet renuntiare : et si animadverterit id difficile a se toleratum iri, an liceat ei, ne ab initio quidem, discipulum Domini fieri.*

Responsio.

Propositum est Domino in his exemplis, non permittere ut quivis Domini fiat discipulus, vel non : sed docere nullo modo fieri posse, ut aliquis inter ea, quæ animum distrahunt, Deo placeat : in quibus periclitatur etiam, utpote qui facile possit insidiis diaboli capi, et ita demum rebus iis, quarum studio teneri videbatur, imperfectis relictis, ludibrio et risu dignus esse perhibetur. Quod sibi ne accideret deprecans Propheta, dicebat : « Nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, » super me magna locuti sunt[2]. »

[1] Luc. xiv, 33. — [2] Psal. xxxvii, 17.

INTERROGATIO CCLXIV.

Cum Apostolus dicat : Ut sitis sinceri[1] : *ac rursus,* Sed velut ex sinceritate[2], *quid est sincerum?*

Responsio.

Sincerum esse arbitror quod cum nulli rei admixtum sit, et a re qualibet contraria summe purgatum, coactum est et directum ad solam pietatem : imo vero non ad pietatem modo, sed ad ea etiam, quæ in singulis et temporibus et rebus plane ad ipsius scopum requiruntur, ita ut si quis muneri alicui præpositus sit, is ne ad affinia quidem ei muneri distrahatur. Quod quidem prius est, declaratur ex ipsa serie verborum. Nam his verbis : « Sed velut ex sinceritate, » subdit illud : « Sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur[3]. » Alterum vero, ex illo : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei[4] : » itidem ex aliis verbis, quæ his subjunguntur.

[1] Philip. I, 10. — [2] 2 Cor. II, 17. — [3] Ibid. — [4] Rom. XII, 3.

INTERROGATIO CCLXV.

Utrum ad solos sacerdotes dictum sit : Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade, prius reconciliare fratri tuo : et tunc veniens offer munus tuum [1], *an etiàm ad omnes? Et quomodo unusquisque nostrum offert munus ad altare?*

Responsio.

Hoc quidem præcipue ac primario loco par fuerit ad sacerdotes referri, cum scriptum sit : « Vos autem sacerdotes » Domini vocabimini, ministri Dei omnes [2]. » Et : « Sacrificium laudis honorificabit me [3]. » Ac rursus : « Sacrificium » Deo spiritus contribulatus [4]. » Quin et Apostolus ait : « Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanc- » tam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum [5] : » quorum unumquodque omnium commune est ; atque quod est ejusmodi, id ab unoquoque nostrum perfici necesse est.

[1] Matth. v, 23, 24. — [2] Isaï. LXI, 6. — [3] Psal. XLIX, 23. — [4] Id. L, 19. — [5] Rom. XII, 1.

INTERROGATIO CCLXVI.

Quid est sal quod habere Dominus jussit, cum dixit : Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos [1]. *Quin et Apostolus ait :* Sermo vester semper in gratia sale sit conditus [2].

Responsio.

Et hic ex contextu et serie utriusque capitis, sensus perspicuus est. Nam ex Domini verbis docemur, nullam causam ob quam alter ab altero disjungamur et dissideamus, præbere, sed nosmetipsos semper in vinculo pacis ad unitatem Spiritus conservare. Ex verbis autem Apostoli discet quicumque meminerit illius, qui dixit : « Numquid » comedetur panis sine sale? Numquid vero et est sapor in » verbis vanis [3]? » sermones suos dispensare ad fidei ædificationem : « Ut det gratiam audientibus [4], » tempore opportuno et decoro ordine utens, quo auditores magis morigeri fiant.

INTERROGATIO CCLXVII.

Si alius multis vapulabit, alius vero paucis [5] *: quomodo dicunt quidam nullum esse pœnarum finem?*

Responsio.

Quæ ambigue et obscure videntur dicta fuisse in quibusdam divinæ Scripturæ locis, ea ex confessis ac manifes-

[1] Marc. IX, 49. — [2] Coloss. IV, 6. — [3] Ephes. IV, 3. — [4] Job, VI, 6. — [4] Ephes. IV, 29. — [5] Luc. XII, 47.

tis aliorum locorum sententiis explanantur. Cum igitur Dominus pronuntiet aliquando hos in supplicium æternum ituros [1], aliquando vero mittat quosdam in ignem æternum paratum diabolo et angelis ejus [2]; et alibi gehennæ ignis mentione facta, subjiciat illud : « Ubi vermis eorum non » moritur, et ignis non extinguitur [3]; » olimque etiam de quibusdam prædixerit per Prophetam, vermem eorum non moriturum, neque ignem eorum extinctum iri [4] : hæc igitur et horum similia cum in multis divinæ Scripturæ locis habeantur, hoc quoque unum est ex artificiis diaboli, ut plerique homines velut obliti tot et talium Domini verborum ac sententiarum, quo majore cum audacia peccent, supplicii sibi finem præscribant. Etenim si æterni supplicii futurus est aliquando finis, finem utique habitura est etiam vita æterna. Quod si non possumus illud de vita æterna intelligere, qua ratione supplicio æterno ascribitur finis? Nam æqualiter pro utroque habetur « Æterni » adjectio. « Ibunt enim, inquit, hi in supplicium æternum : justi » autem in vitam æternam [5]. » Itaque cum hæc ita sint in confesso, sciendum est neque illud : « Vapulabit multis, » neque illud, « Vapulabit paucis [6], » significare finem, sed diversitatem supplicii. Si enim Deus justus judex est, non bonis solum, sed malis etiam reddens unicuique juxta opera sua, potest alius esse dignus igne inextinguibili, qui aut mollius aut acrius adurat : alius verme nunquam morituro, qui etiam aut mitius aut acerbius excruciet pro cujusque merito : alius gehenna, quæ varia ac penitus diversa supplicia habeat : alius exterioribus tenebris, ubi hic quidem in fletu solum, ille vero in dentium etiam stridore ob dolorum vehementiam existat. Quin et exteriores illæ tenebræ alias etiam prorsus esse interiores indicant. Et illud quod

[1] Matth. xxv, 46. — [2] Ibid. 41. — [3] Marc. ix, 45. — [4] Isaï. LXVI, 24. — [5] Matth. xxv, 46. — [6] Luc. xii, 47.

dictum est in Proverbiis : « In profundum inferni [1], » declarat quosdam esse in inferno quidem, sed non in profundo inferni, qui leviorem pœnam perferant. Nunc autem hoc etiam in corporis morbis ostendere licet. Nam febricitanti alteri accedunt symptomata, et aliæ quædam molestæ affectiones : alter vero febricitat tantummodo, et hic non simili modo, quo alter. Et alius non febri quidem, sed quodam membri alicujus dolore discruciatur : et hic rursus alio plus aut minus. Hæ autem voces « Multis et paucis, » prolatæ sunt quoque a Domino ex consueto usu, velut etiam alia quædam ejusmodi. Neque enim ignoramus hujusmodi loquendi genus sæpe de iis etiam, qui uno aliquo morbo afflictantur, usurpari : veluti cum de aliquo homine duntaxat febricitante, aut ab oculis dolente mirabundi dicimus, hic quot et quanta sustinuit mala, aut quot et quantos pertulit cruciatus. Quamobrem illud : « Multis et paucis » vapulare, » iterum dico, nequaquam porrigi, aut compleri ac finiri tempus, sed supplicium diversum esse significat.

INTERROGATIO CCLXVIII.

Quo sensu dicantur quidam, filii contumaciæ [2], et filii iræ [3].

RESPONSIO.

FILIOS alicujus, sive bonus sive malus fuerit, solet Dominus appellare eos, qui ejus voluntatem faciunt. « Si enim, » inquit, filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis. » Ac rursus : « Vos ex patre diabolo estis : et desideria patris » vestri vultis facere [4]. » Quamobrem quisquis contumaciæ

[1] Ephes. v, 6. — [2] Id. II, 3. — [3] Joan. VIII, 39 et 44.

opera peragit, efficitur etiam contumaciæ filius. Fortasse etiam quemadmodum non peccator modo, sed ipsum etiam peccatum diabolus nominatur, quod peccati, ut opinor, fuerit auctor : sic quoque ob eamdem causam contumacia ipsa poterit diabolus appellari. Filius autem iræ est aliquis, quatenus semetipsum ira dignum præstitit. Ut enim qui Domino sunt digni, faciuntque opera lucis ac diei, eos Apostolus filios lucis ac filios diei vocavit [1], ita par fuerit intelligere et illud : « Eramus filii iræ [2]. » Scire autem oportet filium contumaciæ et filium iræ unum et eumdem esse, cum Dominus pronuntiaverit : « Qui contumax est in Fi- » lium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum [3]. »

INTERROGATIO CCLXIX.

Cum scriptum sit : Facientes voluntates carnis et cogitationum [4] : *numquid voluntates carnis aliæ sunt, et aliæ cogitationum : et quales sint hæ?*

Responsio.

Carnis quidem voluntates alio in loco singulatim nominatimque recenset Apostolus, his verbis : « Manifesta sunt » autem opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, » immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimi- » citiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, » sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes [5], » et quæ his similia. Et alibi generalius : « Sapientia carnis » inimicitia est in Deum, legi enim Dei non est subjecta, » nec enim potest [6]. » At vero cogitationum voluntates dici

[1] 1 Thess. v, 5. — [2] Ephes. II, 3. — [3] Joan. III, 36. — [4] Ephes. II, 3. — [5] Galat. v, 19-21. — [6] Rom. VIII, 7.

possunt ea consilia, quæ Scripturæ testimonio non probantur, qualia sunt illa, de quibus dictum est : « Consilia » destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adver» sus scientiam Dei [1], » et cogitata, quæ ad obediendum Christo captiva non ducuntur. Quapropter necessarium et tutum est semper et ubique servare illud quod a Davide dictum est : « Et consilium meum justificationes tuæ [2]. »

INTERROGATIO CCLXX.

Quid sibi vult illud : In maximis difficultatibus versamur, sed non succumbimus[3].

RESPONSIO.

CUM Apostolus certissimam suam plenissimamque in Deum fiduciam ex humana sapientia huic adversa ostendit, singula quæ hoc loco habentur, sic ordinat. Quantum quidem attinet ad humanam sapientiam : « In omnibus, » inquit, tribulationem patimur [4] : » quantum vero ad fiduciam in Deum, subjungit illud : « Sed non angustiamur. » Rursus quantum attinet ad sapientiam humanam, « In ma» ximis difficultatibus versamur : » quantum vero ad fiduciam in Deum, « Non succumbimus. » Et reliqua similiter. Cujusmodi sunt ea, quæ fuerunt alibi ab ipso dicta : « Quasi » morientes, et ecce vivimus : sicut egentes, multos autem » locupletantes : tanquam nihil habentes, et omnia possi» dentes [5]. »

[1] 2 Cor. x, 4. — [2] Psal. cxviii, 24. — [3] 2 Cor. iv, 8. — [4] Ibid. — [5] 2 Cor. vi, 9, 10.

INTERROGATIO CCLXXI.

Cum Dominus dicat: Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis [1] : *numquid peccata omnia, quæ quis commisit, mundantur per eleemosynam.*

Responsio.

Series ipsa eorum, quæ præcedunt, propositam quæstionem explanat. Nam cum antea dixisset : « Mundatis quod » de foris est calicis et catini : quod autem intus est ves» trum, plenum est rapina et iniquitate [2], » tum demum addidit illud : « Verumtamen quod superest, date eleemo» synam : et ecce omnia munda sunt vobis : » omnia hæc videlicet quæcumque per rapinam et avaritiam peccamus, et nequiter agimus. Sed et Zacchæus hoc declarat, his verbis : « Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: » et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum [3]. » Itaque quæcumque sunt ejusmodi peccata, ut resolvi possint, et pro quibus liceat longe plura rependere, hoc modo expurgantur : hoc, inquam, modo : quandoquidem ipse per seipsum haud sufficit ad purgationem, sed primum indiget misericordia Dei et sanguine Christi [4] : in quo etiam reliquorum omnium habemus redemptionem, si fecerimus ob singula fructus dignos pœnitentiæ [5].

[1] Luc. xi, 41. — [2] Ibid. 39. — [3] Id. xix, 8. — [4] Ephes. i, 7. — [5] Luc. iii, 8.

INTERROGATIO CCLXXII.

Cum præceptum Domini sit, ut ne solliciti simus de crastino[1]: quomodo sumus hoc mandatum recte intellecturi? Videmus enim nos ad parandas res necessarias multum studii convertere, ita ut ea etiam, quæ possunt ad longius tempus sufficere, recondantur.

Responsio.

Quisquis suscepit doctrinam Domini, qui dixit: « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus[2], » adhibuitque certissimam et integerrimam fidem veritati promissionis, quam ipse subjungit : « Et hæc omnia adjicientur » vobis[3] : » nequaquam in hujus vitæ curis verbum suffocantibus, ipsumque infœcundum reddentibus, animum inutiliter occupat. Imo vero in bono certamine decertans ad complacendum Deo, credit Domino, dicenti : « Dignus est » operarius cibo suo[4], » nec quidquam curat alimenti causa : sed laborat et sollicitus est, non propter seipsum, sed propter mandatum Christi, quemadmodum ostendit ac docuit Apostolus, cum dixit : « Omnia ostendi vobis, quoniam » sic laborantes, oportet suscipere infirmos[5]. » Nam sui ipsius gratia sollicitum esse, crimen est amoris sui ipsius : contra, mandati ergo sollicitum esse et laborare, laus et præconium est animi, qui Christi et fratrum amore succenditur.

[1] Matth. VI, 34. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. — [4] Id. X, 10. — [5] Act. XX, 35.

INTERROGATIO CCLXXIII.

Quid est quod faciens aliquis, blasphemat in Spiritum sanctum[1] *?*

RESPONSIO.

Ex blasphemia, quæ tunc prolata est a Pharisæis, in quos etiam pronuntiatum est judicium ejusmodi, perspicuum est, eum etiamnum in Spiritum sanctum blasphemum esse, qui efficaciam et fructus sancti Spiritus ascribit adversario: quod plerisque nostrum contingit, qui sæpe probum virum vanæ gloriæ cupidum temere appellamus, falsoque iracundiæ accusamus hominem, æmulationem bonam ostendentem, et ejusdem generis alia per pravas suspiciones ementitis nominibus vocamus.


INTERROGATIO CCLXXIV.

Quomodo quis efficiatur stultus in hoc sæculo?

RESPONSIO.

Si timuerit judicium Dei, qui dicit : « Væ vobis qui pru» dentes estis in vobis ipsis, et coram vobis scientes[2], » cumque imitatus fuerit, qui dixit : « Brutus factus sum apud » te[3] : » et si rejecta omni opinione prudentiæ, nullam propriam cogitationem prius comprobarit tanquam bonam, imo si ne initio quidem quidquam prius cogitaverit, quam ab ipso Domini præcepto sit assuefactus ad id quod placet

[1] Marc. III, 21. — [2] Isaï. V, 21. — [3] Psal. LXXII, 23.



Deo, sive in opere, sive in sermone, sive in cogitatione, cum Apostolus dicat : « Fiduciam autem talem habemus » per Christum ad Deum : non quod sufficientes sumus » cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia » nostra ex Deo est [1], qui docet hominem scientiam [2], » sicut scriptum est.


INTERROGATIO CCLXXV.

Numquid Sancti alicujus consilium propositumque Satanas possit impedire : quoniam scriptum est : Ego quidem Paulus proposui venire et semel et iterum, sed impedivit nos Satanas [3].

RESPONSIO.

INTER recte facta, quæ in Domino fiunt, alia perficiuntur a voluntate et a judicio animæ : alia vero ope corporis aut per studium aut per patientiam eduntur. Quæcumque igitur in animæ voluntate ac judicio sita sunt, ea Satanas impedire nullo modo potest : in iis vero, quæ per corporalem actionem geruntur, Deus plerumque eum, qui impeditur, probaturus ac exploraturus, aliquid nasci permittit impedimenti : ut aut mutasse bonum propositum convincatur, velut ii qui fuerant supra petram seminati, qui ad breve quidem tempus cum gaudio susceperunt verbum, exorta vero adversitate, confestim recesserunt [4] : aut appareat eum per recte factorum studium in bonis perseverare : quemadmodum ipse Apostolus, qui non raro proposuit ad Romanos accedere, et licet impeditus, velut ipse confessus

[1] 2 Cor. III, 4, 5. — [2] Psal. XCIII, 10. — [3] 1 Thess. II, 18. — [4] Luc. VIII, 13.



est, tamen non destitit velle, donec quod proposuerat, perfecerit[1]. In patientia vero, uti Job, qui tanta mala perpessus a diabolo, qui eum impellebat ut blasphemi aliquid diceret, aut esset in Deum ingratus, nihilominus tamen etiam ad extremas usque calamitates neque a pio judicio, neque a sana de Deo sententia recessit : siquidem de eo scriptum est : « In omnibus his nihil peccavit Job labiis suis » coram Deo, et non dedit insipientiam Deo[2]. »

INTERROGATIO CCLXXVI.

Quid est, quod dictum est ab Apostolo : Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta[3].

Responsio.

Multa sunt, quæ vult Deus : alia quidem per tolerantiam et benignitatem, quæ et bona sunt et vocantur : alia vero per iram ob peccata nostra, quæ nominantur mala. « Ego enim sum, inquit, qui facio pacem et creo mala[4]. » Mala autem non propter quæ punimur, sed per quæ erudimur. Porro quæ erudiunt, et per afflictationem ad conversionem ducunt, cedunt in bonum. Quæcumque igitur Deus vult ceu tolerans et benignus, hæc et nos velimus imitemurque necesse est. « Estote enim, inquit, misericordes, » sicut et Pater vester misericors est[5]. » Itidem Apostolus : « Estote, inquit, imitatores Dei, sicut filii charissimi, et » ambulante in dilectione sicut et Christus dilexit nos[6]. » Quæcumque vero peccatorum nostrorum causa per iram inducit, quæ, ut jam dixi, ideo appellantur mala, quod

[1] Rom. I, 13. — [2] Job. I, 22. — [3] Rom. XII, 2. — [4] Isaï. XLV, 7. — [5] Luc. VI, 36. — [6] Ephes. V, 1.

molestiam afferant, ea facere nobis nullo modo licet. Neque enim quoniam voluntas Dei est, ut homines sæpe aut fame, aut peste, aut bello, aut alia quadam hujusmodi calamitate intcrimantur, convenit huic nos voluntati inservire. Nam ad res hujusmodi etiam malis ministris utitur Deus, juxta id quod scriptum est : « Misit in eos iram in» dignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulatio» nem : immissionem per Angelos malos [1]. » Primum igitur quærendum est, quæ sit Dei voluntas bona : deinde ubi cognoverimus bonam, tum expendendum an bona hæc voluntas sit etiam Deo grata et accepta? Est enim aliquid quod peculiari quidem ratione et Dei est voluntas, et bona voluntas est : sed tamen si id factum sit modo aut personæ aut tempori non apto, non jam amplius Deo placet. Exempli causa, voluntas erat Dei, eaque bona erat, adolere Deo : sed Deo gratum non erat id a Dathan et ab Abiron præstari [2]. Ac rursus Dei est voluntas, eaque bona est, ut detur eleemosyna [3] : sed id ad humanam gloriam consequendam facere, non amplius Deo gratum est. Et iterum, voluntas Dei erat, eaque bona erat, ut Discipuli id quod in aurem audierant, prædicarent in domibus [4] : sed ante tempus quidquam dicere, non jam amplius Deo erat jucundum. « Nemini enim, inquit, dixeritis visionem hanc, » donec Filius hominis a mortuis resurgat [5]. » Et in summa, omnis voluntas Dei bona, tunc etiam placita est, cum in ipsa impletum fuerit quod dictum est ab Apostolo : « Omnia » in Dei gloriam facite [6]. » Et, « Omnia honeste et secundum » ordinem fiant [7]. » Rursus vero cum aliqua fuerit voluntas Dei, eaque bona ac grata extiterit, ne sic quidem oportet securo esse animo : sed contendere et curare, ut id perfectum sit et integrum, modo habita ratione ejus quæ fit

[1] Psal. LXXVII, 49. — [2] Num. XVI, 17. — [3] Matth. VI, 2. — [4] Id. X, 27. — [5] Id. XVII, 9. — [6] I Cor. X, 31. — [7] Id. XIV, 40.

rei, an fiat ex præcepto, modo facientis consideratis viribus? « Diliges enim, inquit, Dominum Deum tuum ex tota » anima tua, et ex tota virtute tua, et ex omnibus viribus » tuis, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te » ipsum [1] : » quemadmodum etiam in Evangelio secundum Joannem Dominus docuit. Sed et sic conficiendum est mandatum omne, prout scriptum est : « Nam, inquit, beatus ille servus quem, cum venerit Dominus ejus, inveniet » sic facientem [2]. »

INTERROGATIO CCLXXVII.

Quale est conclave, in quod orantem intrare Dominus jubet.

Responsio.

Conclave consuetudo nominare solet, partem domus vacantem et separatam, in qua reponimus quidquid asservare voluerimus : aut in qua quis potest occultari, juxta id quod in Propheta quoque dictum est : « Vade populus » meus : ingredere in conclave tuum, abscondere [3]. » Cæterum vim mandati argumentum ipsum declarat : siquidem sermo est ad ægrotos quosdam, quorum morbus studium erat placendi hominibus. Quare si quis ab illo vitio infestetur, recte facit, si secedat, sitque in precando solitarius, donec habitum assequi potuerit non respiciendi ad humanas laudes, sed in solum Deum intuendi, exemplo ejus, qui dixit : « Ecce sicut oculi servorum in manibus domi- » norum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ » suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum [4]. »

[1] Luc. x, 27. — [2] Matth. xxiv, 46. — [3] Isai. xxvi, 20. — [4] Psal. cxxii, 2.

Quod si quispiam ex Dei munere liber sit ab hoc vitio, non necesse habet bonum abscondere : id quod docet Dominus ipse, his verbis : « Non potest civitas abscondi supra » montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt » eam sub modio, sed super candelabrum, et lucet omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, » ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem ves» trum, qui in cœlis est [1]. » Atque hoc idem sentiendum est et de eleemosyna et de jejunio, quorum mentio fit in eodem loco, et in universum de omni negotio pietatis.

INTERROGATIO CCLXXVIII.

Quomodo spiritus alicujus orat, mens autem illius sine fructu est [2].

Responsio.

Hoc dictum est de iis, qui lingua aliqua, quæ audientibus ignota sit, precantur. Ait enim : « Si orem lingua, spi» ritus meus orat, mens autem mea sine fructu est [3]. » Quando enim ignota sunt astantibus precum verba, sine fructu est mens precantis, cum nemo utilitatem ullam percipiat : quando autem qui adsunt, precationem quæ prodesse audientibus possit, intelligunt ; tunc qui orat fructum hunc habet, ut meliores fiant qui juvantur. Atque etiam similis ratio est in omni pronuntiatione verborum Dei. Scriptum est enim : « Sed si quis bonus ad ædifica» tionem fidei [4]. »

[1] Matth. v, 14-16.— [2] 1 Cor. xiv, 14.— [3] Ibid.— [4] Ephes. iv, 29.

INTERROGATIO CCLXXIX.

Quid significet illud : Psallite intelligenter [1].

RESPONSIO.

Quod est in cibis sensus qualitatis cibi cujusque, hoc in verbis sacræ Scripturæ est intelligentia. « Nam, inquit, » fauces cibos degustant : mens vero verba dijudicat [2]. » Si quis igitur animo ita afficitur per vim et efficaciam uniuscujusque verbi, velut afficitur gustu per qualitatem cibi cujusque, is confecit mandatum illud : « Psallite in» telligenter. »

INTERROGATIO CCLXXX.

Quis est qui mundus est corde [3] ?

RESPONSIO.

Qui non convincitur a semetipso, tanquam qui mandatum spreverit Dei, aut prætermiserit, aut neglexerit.

[1] Psal. XLVI, 8. — [2] Job. XII, 11, juxta LXX. — [3] Matth. V, 8.

INTERROGATIO CCLXXXI.

Quæ psallere non vult, an cogenda sit.

RESPONSIO.

NISI alacriter accedat ad psallendum, et nisi ferat præ se affectum illius, qui dixit : « Quam dulcia faucibus meis » eloquia tua, super mel ori meo[1] : » et nisi putet magnum detrimentum desidiam esse, aut corrigatur, aut expellatur ; « Ne modicum fermentum totam massam corrumpat[2]. »

INTERROGATIO CCLXXXII.

Quinam sunt ii, qui dicunt : Manducavimus coram te, et bibimus : *et tamen audiunt :* Nescio vos[3].

RESPONSIO.

FORTASSE illi, quos in sua persona descripsit Apostolus, his verbis : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, » et quæ sequuntur. « Et si habeam omnem scientiam, et » omnem fidem : et si distribuero omnes facultates meas » in cibos pauperum : et si tradidero corpus meum ut com» burar : charitatem autem non habeam, nihil mihi pro» dest[4] : » quod didicerat Apostolus a Domino, qui de quibusdam dixit : « Faciunt enim ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, recipiunt mercedem suam[5]. » Quidquid

[1] Psal. CXVIII, 103. — [2] Gal. V, 9. — [3] Luc. XIII, 26. — [4] 1 Cor. XIII, 1-3. — [5] Matth. VI, 2.

enim non charitatis erga Deum, sed humanæ laudis gratia efficitur, qualecumque tandem id fuerit, laudem pietatis non consequitur, sed vituperatur tanquam studium aut placendi hominibus vel sibi ipsi, aut contentionis, aut invidiæ, aut similis cujusdam causæ. Quamobrem quod est hujusmodi, id Dominus iniquitatis opus appellat, ubi eos, qui dixerunt: « Manducavimus coram te, etc. » sic alloquitur : « Discedite a me omnes operarii iniquitatis[1]. » Quomodo enim non essent operarii iniquitatis, qui Dei donis ad inquirendas suas voluptates abutuntur? quales erant illi, de quibus dicit Apostolus : « Non enim sumus sicut » plurimi adulterantes verbum Dei[2]. » Et rursus : « Existi- » mantium quæstum esse pietatem[3], » et ejusdem generis multa. A quibus omnibus esse se purum nobis decloravit Apostolus, his verbis : « Non quasi hominibus placentes, » sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquando » fuimus vobis in sermone adulationis, sicut scitis : neque » in occasione avaritiæ, Deus testis est : nec quærentes ab » hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis[4]. »

INTERROGATIO CCLXXXIII.

An qui cujuspiam facit voluntatem, socius illius sit?

RESPONSIO.

Si credimus Domino, qui dicit: « Omnis qui facit pec- » catum, servus est peccati[5], » et iterum, « Vos ex patre » diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere[6], » intelligimus quod non simpliciter extitit socius, sed domi-

[1] Luc. XIII, 26, 27. — [2] 2 Cor. II, 17. — [3] 1 Tim. VI, 5. — [4] 1 Thess. II, 4-6. — [5] Joan. VIII, 34. — [6] Ibid. 44.

» num et patrem suum constituit eum, cujus opus facit, juxta ipsam Domini vocem. Quin et Apostolus perspicue id ipsum testatur, his verbis : « Nescitis quoniam cui exhi» betis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obe» ditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justi» tiam [1] ? »

INTERROGATIO CCLXXXIV.

Si in egestate sit aliqua fratrum societas ob quamdam adversitatem aut morbum, numquid sine ulla dubitatione ab aliis possit necessaria recipere. Et si convenit, a quibus hæc accipiet?

RESPONSIO.

QUISQUIS memor est Domini, qui dixit : « Quatenus fe» cistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis [2], » studiosius diligentiusque multum adhibet curæ, ut dignus sit qui Domini habeatur frater. Si quis igitur fuerit hujusmodi, accipiat citra ullam hæsitationem, sed gratias agat. A quibus autem accipere conveniat, et quando, et quomodo, expendere debet is, cui concredita est communis cura, adeo ut recordetur Davidis, qui dixit : « Oleum pec» catoris ne impinguet caput meum [3]. » Ac rursus : « Am» bulans in via immaculata, hic mihi ministrabat [4]. »

[1] Rom. VI, 16. — [2] Matth. XXV, 40. — [3] Psal. CXL, 5. — [4] Id. C, 6.

INTERROGATIO CCLXXXV.

An fratrum aliqua societas cum altera negotians, justum rei traditæ pretium sollicite inquirere debeat?

Responsio.

An Scriptura permittat emptionem ac venditionem a fratribus mutuo exerceri, de eo quid dicam non habeo. Docemur enim alii cum aliis res nostras communicare ad usum ac necessitatem, sicut scriptum est : « Vestra abun» dantia illorum inopiam suppleat, et illorum abundantia » vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas[1]. » Quod si ejusmodi necessitas aliquando contingat, debet emptor magis sollicitus esse, ne res minoris ematur, quam venditor ipse. Meminerint autem utrique ejus, qui dixit : « Damnum inferre viro justo non est bonum[2]. »

INTERROGATIO CCLXXXVI.

Qui in fratrum conventu vivit, sed incidit in morbum corporalem, num in hospitalem domum abducendus sit.

Responsio.

Habenda est ratio loci cujusque, et finis, qui accommodetur ad communem utilitatem, ad gloriam Dei.

[1] 2 Cor. viii, 14. — [2] Prov. xvii, 26.

INTERROGATIO CCLXXXVII.

Qui sint digni fructus pœnitentiæ?

RESPONSIO.

OPERA justitiæ peccato contraria : quos fructus edere debet pœnitens, exequens quod dictum est : « In omni » opere bono fructificantes [1]. »

INTERROGATIO CCLXXXVIII.

Qui confiteri vult peccata sua, debet-ne confiteri omnibus, et quibuslibet, aut quibus?

RESPONSIO.

CONSILIUM benignitatis Dei in peccantibus manifestum est, juxta id quod scriptum est : « Non volo mortem pec» catoris, sicut ut convertatur ipse, et vivat [2]. » Quoniam igitur conversionis modus debet peccato congruere, ac etiam opus est fructibus dignis pœnitentiæ, juxta hanc sententiam, « Facite fructus dignos pœnitentiæ [3], » ut ne fructuum penuria locum habeant eæ quæ subsequuntur minæ : « Nam, inquit, omnis arbor non faciens fructum » bonum, excinditur, et in ignem mittitur [4], » peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est [5]. » Sic enim et qui olim pœnitentiam ege-

[1] Coloss. I, 10.— [2] Ezech. XXXIII, 11.— [3] Luc. III, 8.— [4] Ibid. 9. — [5] I Cor. IV, 1.

runt, coram Sanctis fecisse comperiuntur. Scriptum est enim, in Evangelio quidem, quod peccata sua Joanni Baptistæ confitebantur [1]; in Actis vero, Apostolis ipsis, a quibus etiam baptizabantur cuncti [2].

INTERROGATIO CCLXXXIX.

Quem pœnituit peccati, et rursus in idem peccatum labitur, quid faciet?

RESPONSIO.

Si quis, acta semel pœnitentia, rursus idem peccatum admittat, liquet primam peccati illius causam non fuisse expurgatam, a qua veluti a quadam radice similia necesse est nasci. Quemadmodum enim si quis, relicta radice, voluerit arboris ramos resecare, nihilominus radix manens aliquid haud dissimile rursus producit : sic quoniam peccata aliqua non in seipsis habent principium, sed ex aliis originem ducunt, necessarium omnino est eum, qui ab ipsis purus esse vult, primas peccatorum illorum causas tollere. Exempli causa, jurgium aut invidia haudquaquam a se ipsis sumunt exordium, sed ex radice amoris gloriæ pullulant. Qui enim humanam gloriam aucupatur, huic jurgium est cum eo, qui bene audit : aut ei invidet, cui fuerit nominis splendore inferior. Si quis igitur, ubi se ipse semel condemnaverit invidiæ aut dissidii, in eadem rursus vitia incidat, noverit in intimis laborare se ex primaria illa invidiæ aut altercationis causa, ipso videlicet gloriæ studio. Et quidem oportet eum ex diverso per humilitatis exercitia (exercitium autem humilitatis est, in vilioribus

[1] Matth. III, 6. — [2] Act. XIX, 18.

negotiis occupari,) id vitium amoris gloriæ curare, ut sic animo humili affectus, deinceps, in ea, quæ ante diximus, amoris gloriæ germina nequaquam incidat : et in singulis ejusmodi peccatis similiter.

INTERROGATIO CCXC.

Quomodo abundat quis in opere Domini semper[1].

RESPONSIO.

VIDELICET cum aut traditum sibi donum multiplicat, eorum, quibus benefacit, utilitati atque profectui consulendo : aut studium majus in opere Domini ostendit, quam in iis rebus, quæ ab hominibus magnopere requiruntur.

INTERROGATIO CCXCI.

Quæ est arundo quassata, aut fumigans linum? et quomodo quis illam non confringet, hoc vero non extinguit[2]?

RESPONSIO.

QUASSATAM arundinem arbitror esse eum, qui vitio alicui obnoxius, mandatum Dei conficit : quem confringere et abscindere non oportet, sed curare potius, velut Dominus docuit, cum dixit : « Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis [3]. » Quin et Apostolus præceptum dat, his verbis : « Omnia

[1] 1 Cor. xv, 58. — [2] Matth. xii, 20. — [3] Id. vi, 1.

» facite sine murmurationibus, et disceptationibus [1]. » Et alio in loco : « Nihil per contentionem, aut inanem glo» riam [2]. » Linum vero fumigans esse dicitur, cum quis exequitur mandatum non ardenti desiderio, nec perfecto studio, sed segnius quodammodo ac remissius : quem non convenit coërcere, sed potius excitare, recordatione judiciorum Dei, ac promissorum ipsius.

INTERROGATIO CCXCII.

Numquid conveniat, ut in fratrum societate magister sit puerorum sæcularium.

RESPONSIO.

CUM Apostolus dixerit : « Patres, nolite ad iracundiam pro» vocare filios vestros : sed educate illos in disciplina et » correptione Domini [3] : » si qui eos adducunt, adducant hac mente, et qui suscipiunt, tales sint ut planissime confidant posse se oblatos pueros in disciplina ac correctione Domini educare, servetur quod a Domino præceptum est his verbis : « Sinite parvulos venire ad me, et nolite eos » prohibere : talium est enim regnum cœlorum [4]. » Sed citra propositum et spem ejusmodi, neque hoc gratum Deo, neque conveniens nobis, neque utile esse existimo.

[1] Philip. II, 14.— [2] Ibid. 3.— [3] Ephes. VI, 4.— [4] Matth. XIX, 14.

INTERROGATIO CCXCIII.

Quomodo cum iis agendum est, qui devitant graviora peccata, patrant vero leviora discriminatim?

RESPONSIO.

PRIMUM quidem nosse oportet hanc differentiam in Novo Testamento non reperiri. Una namque habetur sententia adversus quælibet peccata, cum Dominus dicat : « Qui » facit peccatum, servus est peccati [1]. » Et rursus, « Sermo » quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die [2]. » Et Joannes clamat : « Qui non obedit Filio, non videbit » vitam, sed ira Dei manebit super ipsum [3], » contumacia non ob peccatorum discrimen, sed ob transgressionem locum comminationi præbente. Uno verbo, si parvum et magnum peccatum liceat nobis dicere, sine controversia negari non potest hoc cuique magnum esse, cujus quisque subjicitur dominio : illud vero parvum, cui quisque dominatur. Ut in athletis, fortior est qui vincit : victus vero debilior victore est, quisquis ille sit. Quapropter erga quemcumque cujusque generis peccatum admittentem servandum est præceptum Domini, qui dixit : « Si peccaverit » in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum » solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum : si autem » non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in » ore duorum, aut trium testium stet omne verbum. Quod » si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam » quoque non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publica- » nus [4]. » Servetur autem in omnibus, quæ sunt ejusmodi,

[1] Joan. VIII, 34.— [2] Id. XII, 48.— [3] Id. III, 36. — [4] Matth. VIII, 15 17.

id quod dictum est ab Apostolo : « Quare non magis luc-» tum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus » fecit [1] ? » Oportet enim lenitatem atque misericordiam cum severitate conjungi.

INTERROGATIO CCXCIV.

Quæ causa est, quamobrem excidat quis a jugi recordatione Dei?

RESPONSIO.

Si quis beneficiorum Dei sit immemor, et in benefacientem extiterit ingratus.

INTERROGATIO CCXCV.

Quibus signis cognoscitur is, cujus animus peregre est?

RESPONSIO.

Cum quis negligit ea, quæ conducunt ad placendum Deo, cum Propheta dicat : « Providebam Dominum in » conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne » commovear [2]. »

[1] 1 Cor. v, 2. — [2] Psal. xv, 8.

INTERROGATIO CCXCVI.

Quæ ratione persuadebit sibi animus esse se purum a peccatis?

Responsio.

Si quis in seipso deprehendat affectum Davidis, qui aiebat : « Iniquitatem odio habui et abominatus sum [1] : » aut si conscius fuerit impletum fuisse in semetipso illud præceptum Apostoli, qui dixit : « Mortificate ergo membra » vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundi» tiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, » quæ est simulacrorum servitus : propter quæ venit ira » Dei [2] : » ubi et extendens ejusmodi sententiam adversus omne peccatum, adjecit : « In filios non obedientes [3], » ut dicere valeat : « Non adhæsit mihi cor pravum : declinan» tem a me malignum non cognoscebam [4]. » Jam vero intelligit aliquis esse se hoc modo affectum, si etiam adversus peccantes terribilem hanc Sanctorum commiserationem induerit. Et quidem David dicit : « Vidi insensatos, et tabes» cebam, quia eloquia tua non custodierunt [5]. » Apostolus vero ait : « Quis infirmatur, et non infirmor ? quis scanda» lizatur, et ego non uror [6]. » Si enim revera anima præstantior est corpore, videmus autem ægerrime ferre nos quasvis sordes in corpore, easque aversari ; atque ut omnis lacerationis, ita omnis damni aspectu cordi creari dolorem ac tristitiam, quanto magis æquum est, ut ea quæ diximus, in se ob peccantes sentiat is, qui Christum ac fratres dili-

1 Psal. cxviii, 163.— 2 Coloss. iii, 5, 6.— 3 Rom. i, 30.— 4 Psal. c, 3, 4. — 5 Id. cxviii, 158. — 6 2 Cor. xi, 29.

git, quotiescumque viderit peccantium animam velut a bestiis sauciari ac corrodi, atque ceu saniem putredinemque in ea apparere. David dicit : « Iniquitates meæ super» gressæ sunt caput meum : sicut onus grave gravatæ sunt » super me. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, » a facie insipientiæ meæ. Miser factus sum et curvatus » sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar [1]. » Ait vero Apostolus : « Stimulus mortis, peccatum est [2]. » Cum igitur quis aut ob propria peccata, aut ob aliena, uti jam dictum est initio, animam suam ita affectam perspexerit, tunc certissime credat esse se a peccato liberum.

INTERROGATIO CCXCVII.

Quomodo a peccatis se convertere oportet?

RESPONSIO.

Si imitetur affectum Davidis, qui primum quidem ait : « Iniquitatem meam cognitam feci, et peccatum meum » non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam » meam Domino [3]. » Deinde si animi statum detegat, uti per sextum Psalmum aliosque variis ac diversis modis edoctus est, atque ab Apostolo ea didicerit, quæ pro alieno peccato facta fuisse a Corinthiis testatus est, his verbis : « Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam ad sa» lutem haud pœnitendam operatur [4]. » Quin et tristitiæ proprietates adjungit. « Ecce enim hoc ipsum, secundum » Deum contristari, quantam in vobis peperit sollicitudi» nem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, » sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam : in

[1] Psal. XXXVII, 5-7. — [2] 1 Cor. XV, 56. — [3] Psal. XXXI, 5.

» omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in hoc negotio [1]. » Quare ex iis, planum est et perspicuum, non oportere solum a peccato secedere, hosque pro peccatoribus affectus pati, sed ab ipsis etiam peccatoribus removeri. Nam et David id quoque declaravit, cum dixit : « Dis» cedite a me omnes, qui operamini iniquitatem [2] : » et Apostolus præcepit, ut ne sumatur cibus cum ejusmodi viro.

INTERROGATIO CCXCVIII.

Numquid permittat Scriptura, prout placet, bona facere?

Responsio.

Qui placet sibi ipsi, homini placet. Homo enim et ipse unusquisque est. Quemadmodum igitur « Maledictus est » homo, qui spem habet in homine, et firmabit carnem » brachii sui [4], » quod sui ipsius indicat fiduciam : quibus subjungit, « Et a Domino recesserit anima ejus [5] : » sic etiam qui placet alteri, aut qui sibi ipsi placiturus aliquid agit, a pietate excidit, inciditque in studium hominibus placendi. « Faciunt enim, inquit Dominus, ut videantur » ab hominibus : amen dico vobis, recipiunt mercedem » suam [6]. » Sed et Apostolus hoc confitetur : « Si adhuc ho» minibus placerem, Christi servus non essem [7]. » Imo divina Scriptura minas graviores intendit, his verbis : « Deus » dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent [8]. »

[1] 2 Cor. vii, 10, 11. — [2] Psal. vi, 9. — [3] 1 Cor. v, 11. — [4] Jer. xvii, 5. — [5] Ibid. — [6] Matth. vi, 5. — [7] Gal. i, 10. — [8] Psal. lii, 6.

INTERROGATIO CCXCIX.

Quomodo animus sibi certissime persuadebit esse se alienum a studio gloriæ?

RESPONSIO.

CUM obtemperat Domino, qui dixit : « Sic luceat lux ves-» tra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et » glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est [1] : » itemque Apostolo sic præcipienti : « Sive manducatis, sive bibitis, » sive quid facitis : omnia in gloriam Dei facite [2] : » ut Dei cultor neque præsenti neque futura gloria quæsita, sed Dei amore omnibus anteposito, possit præter ea, quæ præmissa sunt, hoc confidenter dicere : « Neque instantia, neque » futura poterunt nos separare a charitate Dei, quæ est in » Christo Jesu Domino nostro [3]. » Dicit enim ipse Dominus noster Jesus Christus : « Ego autem non quæro gloriam » meam [4]. » Item : « Qui a semetipso loquitur, gloriam pro-» priam quærit : qui autem quærit gloriam ejus, qui misit » eum, hic verax est [5]. »

[1] Matth. v, 16. — [2] I Cor. x, 31. — [3] Rom. VIII, 38. — [4] Joan. VIII, 50. — [5] Id. VII, 18.

INTERROGATIO CCC.

Quis modus conversionis, cum de re sub aspectum non cadente sermo est?

RESPONSIO.

SANE modus conversionis declaratur in ea quæstione, in qua quæsitum est, quomodo convertere se a peccatis oporteat. Ubi autem sermo est de re oculorum aciem fugiente, meminerimus Domini, qui ait : « Nihil est absconditum, » quod non cognoscetur [1]. » Item : « Ex abundantia cordis » os loquitur [2]. »

INTERROGATIO CCCI.

Quod si dixerit quis: «Mea me conscientia non condemnat.»

RESPONSIO.

Hoc accidit etiam in morbis corporis. Multi enim sunt morbi, quos non sentiunt ægri : et tamen medicorum potius credunt observationi, quam suo ipsorum stupori attendant. Hunc ad modum et in morbis animi, hoc est, in peccatis, etiamsi quis, peccati haud conscius, se ipse non arguat : fidem tamen debet iis adhibere, qui res illius melius videre possunt. Hoc præstiterunt sancti Apostoli, qui cum de sua sincera erga Dominum affectione nihil dubitarent, audientes tamen : « Unus ex vobis tradet me [3], » po-

[1] Matth. x, 26. — [2] Luc. vi, 45. — [3] Matth. xxvi, 21.

tius Domini verbis credidere, dissidebantque, ac dicebant : « Numquid ego sum, Domine[1]? » Apertius autem idipsum docet nos sanctus Petrus, qui ex vehementi humilitate non vult quidem sibi operam a Domino et Deo et Magistro præberi : sed tamen cum esset sibi persuasissimum vera esse Domini verba, ubi audivit : « Si non lavero te, non » habes partem mecum, » dicit : « Non tantum pedes meos, » sed et manus, et caput[2]. »

INTERROGATIO CCCII.

An ex cella penaria erogandum sit externis inopibus?

RESPONSIO.

Cum Dominus dixerit : « Non sum missus nisi ad oves, » quæ perierunt domus Israël[3], » et : « Non est bonum su- » mere panem filiorum, et projicere canibus[4], » ea quæ viris Deo dicatis destinata sunt, non necesse est in quoslibet promiscue insumere. Utrum autem fieri possit quod a muliere, quæ ob fidem laudatur, dictum est : « Etiam Do- » mine : nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de » mensa dominorum suorum[5], » id in œconomi situm sit arbitrio, communi eorum, qui secundum ipsum præsunt, accedente consensu : ut ex abundanti sol, velut scriptum est, super bonos et malos oriatur[6].

[1] Matth. xxvi, 22. — [2] Joan. xiii, 8, 9. — [3] Matth. xv, 24. — [4] Ibid. 26. — [5] Ibid. 27. — [6] Id. v, 45.

INTERROGATIO CCCIII.

An in fratrum communitate iis, quæ a quibuslibet dicuntur, obediendum sit?

Responsio.

Quæstioni huic sine multo negotio responderi non potest. Primum quidem, quod manifestæ perturbationis indicium præbet, ex eo, quod ab omnibus aliquid dicatur, cum Apostolus dicat : « Prophetæ autem duo aut tres dicant : et » cæteri dijudicent [1]. » Itidem ipse in donorum partitionibus, proprium uniuscujusque loquentis ordinem constituit, his verbis : « Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei [2]. » Et in exemplo membrorum corporis, peculiarem esse loquentis locum perspicue ostendit, ac etiam idipsum accuratius distinguit explicatque his verbis : « Sive qui docet in » doctrina : sive qui exhortatur in exhortando [3], etc. » Quare ex his planum est non omnia omnibus permissa esse, sed debere unumquemque in sua vocatione manere, atque id quod a Domino concreditum est, diligentius perficere. Par itaque fuerit eum, qui præficitur communitati, præponiturque omnibus, multo cum examine hanc curam suscipere : ita ut congruenti sollicitudine vigilet pro singulis, ut Deo placendo, et habilitatis ac virium cujusque habita ratione, ad commune commodum sanciat imperetque : subditi vero servata disciplina, et obedientia limites suos agnoscente, debent meminisse Domini, qui dixit : « Oves » meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et se- » quuntur me : et ego vitam æternam do eis [4] : » recordari-

[1] 1 Cor. XIV, 29. — [2] Rom. XII, 3. — [3] Ibid. 7. — [4] Joan. X, 27, 28.

que cum prius dixisse : « Alienum autem non sequentur, » sed fugient ab eo : quia non noverunt vocem alienorum[1] : » et Apostolum ita loqui : « Si quis aliter docet, et non accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ » secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil » sciens[2] : » et iis, quæ accidere solent, enumeratis, adjicit : « Secede ab his qui ejusmodi sunt[3] : » et rursus alio in loco : « Prophetias nolite spernere : omnia probate : quod bonum » est, tenete : ab omni specie mala abstinete uos[4]. » Quamobrem si quidpiam dicitur secundum mandatum Domini, aut dirigitur ad mandatum Domini, etiamsi mortis minas ingerat, obediendum est : sin autem aliquid præter mandatum est, aut mandatum lædit, etiamsi Angelus ex cœlo, aut aliquis ex Apostolis præcipiat, etiamsi promittat vitam, etiamsi mortem minitetur, nullo modo obtemperandum est, cum Apostolus dixerit : « Licet nos ipsi, aut Angelus de » cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus » vobis, anathema sit[5]. »

INTERROGATIO CCCIV.

Utrum pro iis, qui fratribus traditi sunt, sit aliquid accipiendum ab eorum propinquis, si quidpiam velint dare?

Responsio.

Hujus rei cura judiciumque attinet ad præfectum. Sed tamen si mea sententia exquiritur, existimo offendicula a multis magis remotum iri, et ad fidei ædificationem fore utilius, si ejusmodi repudientur munera. Nam si accipian

[1] Joan. x, 5. — [2] 1 Tim. vi, 3, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] 1 Thess. v, 20. — [5] Gal. i, 8.

tur, primum quidem contingit probris plerumque affici communitatem. Deinde ex ea re illud incommodum nascitur, quod propinquo etiam eorum, qui quidpiam attulerunt, elationis detur occasio. Ad hæc, quod secundum id quod dictum est ab Apostolo de iis, qui in communi loco sua edebant bibebantque, usuveniat illud : « Confunditis » eos, qui non habent [1], » et ejusmodi pleraque. Quare cum inde tot occasiones ad peccandum nascantur, operæ-pretium est hujusmodi dona non accipere, sed præpositi arbitrio permittere, ut judicet et expendat a quibus ea accipi, et quomodo dispensari oporteat ?

INTERROGATIO CCCV.

Utrum conveniat quidquam ab externis accipere, sive amicitiæ, sive prioris propinquitatis gratia?

RESPONSIO.

QUÆSTIO hæc eamdem vim habet quam quæstio altera : « An quidpiam a propinquis accipiendum sit ? »

INTERROGATIO CCCVI.

Quomodo vitetur mentis aberratio?

RESPONSIO.

NIMIRUM si quis eam mentem induerit, in qua erat electus ille David, qui modo quidem dicebat : « Providebam » Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris

[1] 1 Cor. XI, 22.

» est mihi, ne commovear[1] : » modo vero : « Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes » meos[2] : » modo autem : « Ecce sicut oculi servorum in » manibus dominorum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum » nostrum[3]. » Atque ut res majores diligentius peragendas curemus, minore exemplo usi; reputet secum quisque, qualis est coram astantibus, etiamsi sint æquales : quomodo studeat præstare se inculpatum, tum in stando, tum in ambulando, tum in cujusque membri motu, tum in dicendo. Quemadmodum autem in eis, quæ in hominum conspectum veniunt, decus coram hominibus tenere satagimus : ita quoque, multo magis, si sit alicui persuasum habere se et Deum inspectorem, qui scrutatur corda ac renes[4], ut scriptum est : et unigenitum Filium Dei, qui implet promissum illud : « Ubi fuerint duo vel tres congregati in no- » mine meo, ibi sum in medio eorum[5] : » et Spiritum sanctum, qui præsidet, partiturque dona ac efficit[6] : et Angelos uniuscujusque custodes juxta id quod dictum est a Domino : « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico » enim vobis quia Angeli eorum in cœlo semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est[7], » is modis pluribus et vehementius curat, quomodo complacentem Deo pietatem acquirat, et ita demum attentio vehementius perfectiusque stabilitur. Atque etiam si illud perficere studuerit : « Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in » ore meo[8]. » Itidem illud : « Meditabitur in lege ejus die ac » nocte[9] : » ut animus ob æquabilem perpetuamque meditationem ac contemplationem voluntatum ac decretorum Dei, nullum inveniat aberrandi tempus.

[1] Psal. xv, 8. — [2] Id. xxiv, 15. — [3] Id. cxxii, 2. — [4] Id. vii, 10. — [5] Matth. xviii, 20. — [6] 1 Cor. xii, 11. — [7] Matth. xviii, 10. — [8] Psal. xxxiii, 2. — [9] Id. i, 2.

INTERROGATIO CCCVII.

Numquid alternis vicibus incipiendum sit psallere, aut precari?

RESPONSIO.

In hoc inter multos qui idonei fuerint rectos ordo servetur, ut neque parvi momenti res putetur, aut indifferens: neque æquabilis unius aut alterius personæ delectus superbiæ suspectum reddat eum, qui præficitur, et quasi cæteri contemnerentur.

INTERROGATIO CCCVIII.

Utrum danti aliquid retribuere oporteat in fratrum conventu, et utrum necesse sit pro ratione rei datæ, vices rependere?

RESPONSIO.

Tota hæc quæstio humana est. Sed si grati animi danda significatio est, in eo, penes quem distributio est, positum arbitrium sit, et accipiendi ea, quæ dantur, et vices rependendi ei, qui dat.

INTERROGATIO CCCIX.

Si consueta, et quæ secundum naturam sunt, contingant cuipiam, debet-ne is ad Sanctorum communionem accedere.

RESPONSIO.

SUPERIOREM natura et consuetudine docuit Apostolus esse eum, qui in baptismo una cum Christo sepultus fuit[1]. Nam aliquando, nimirum eo in loco ubi de aquæ baptismate agitur, aliis quibusdam præmissis ait : « Hoc scientes, quia » vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur » corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato[2] : » aliquando vero præcipit : « Mortificate ergo membra vestra, » quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, » libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est » simulacrorum servitus : propter quæ venit ira Dei super » filios incredulitatis[3]. » Nonnunquam etiam regulam proposuit, his verbis : « Qui autem sunt Christi, carnem suam » crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis[4]. » Ego autem novi hæc Christi gratia completa fuisse tum in viris tum in fœminis per genuinam in Dominum fidem. Quam autem metuendum sit judicium proferendum in eum, qui in immunditia degens ad sancta accederet, discimus etiam ex Veteri Testamento. Quod si amplius templo hic est[5], nos utique modo magis formidando docebit Apostolus, qui dixerit : « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi » manducat, et bibit[6]. »

[1] Rom. VI, 4. — [2] Ibid. 6. — [3] Gal. III, 5, 6. — [4] Id. V, 24. — [5] Matth. XII, 6. — [6] 1 Cor. XI, 29.

INTERROGATIO CCCX.

Numquid in communi domo dominicam cœnam conveniat celebrari?

RESPONSIO.

QUEMADMODUM Scriptura nullum vas commune permittit deferri in sancta, ita neque sancta in communi domo perfici, cum ex Dei jussu Testamentum Vetus quidquam ejusmodi fieri aperte non sinat. Cum autem Dominus dicat: « Plus quam templum est hic[1] : » Apostolus item : « Numquid enim domos non habetis ad manducandum et bibendum? Quid dicam vobis? Laudabo vos? In hoc non laudo. » Ego enim tradidi vobis quod et accepi[2], etc. » hinc erudimur non debere neque communem cœnam in Ecclesia edere, aut bibere, neque dominicam cœnam in domo contumelia afficere, præterquam si quis, necessitate cogente, locum aut domum puriorem delegerit in tempore opportuno.

INTERROGATIO CCCXI.

Utrum rogati ab aliquibus, eos invisere debeamus?

RESPONSIO.

VISITARE quidem res est Deo grata : sed eum, qui visitat, oportet esse auditorem prudentem, et sapientem in responsionibus, ita ut faciat quod dictum est : « Sermo vester

[1] Matth. XII, 6. — [2] 1 Cor. XI, 22, 23.

» in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat » unicuique respondere [1]. » Illud autem, quempiam visere vel consanguinitatis, vel amicitiæ causa, alienum est a nostra professione.

INTERROGATIO CCCXII.

Numquid laïcos, qui nos invisunt, oporteat ad precandum exhortari?

RESPONSIO.

SI Dei sunt amici, haud abs re est, cum ad eos Apostolus scripserit : « Orate et pro me, ut detur mihi sermo in » apertione oris mei, ut loquar cum fiducia mysterium » Dei [2]. »

INTERROGATIO CCCXIII.

Numquid nos invisentibus aliquibus, laborare conveniat?

RESPONSIO.

EORUM quæ ex præcepto fiunt, nihil interrumpi debet, propter eos qui humani officii gratia ad nos accedunt : nisi peculiaris quædam animæ cura suscipi debeat, quæ ex Domini mandato operæ corporali anteponenda sit, cum sancti Apostoli in Actis dicant : « Non est placitum, ut nos, » derelicto sermone Dei, ministremus mensis [3]. »

[1] Coloss. IV, 6. — [2] Ephes. VI, 19. — [3] Act. VI, 2.

S. BASILII
CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ
ARCHIEPISCOPI,
EPISTOLÆ DISPOSITÆ, ET IN TRES CLASSES DISTRIBUTÆ.

CLASSIS I. Continet epistolas ante episcopatum scriptas ab anno 357 ad annum 370.

— II. Quas episcopus scripsit ab anno 370 ad annum 378.

— III. Epistolas nulla temporis nota signatas.

CLASSIS I.

EPISTOLÆ, QUAS BASILIUS SCRIPSIT ANTE EPISCOPATUM AB ANNO 357 AD ANNUM 370.

EPISTOLA I [1].

EUSTATHIO PHILOSOPHO.

Fingit Basilius sese, dum Eustathium frustra quærit in variis regionibus, pene dubitasse annon fato aut fortuna omnia fiant, sed illius litteris recreatum mutasse sententiam; hæc, inquam, fingit, ut refellat acutius, et providentiam statuat.

Jam me animo deficientem ob illatas ab ea, quæ dicitur, fortuna injurias, a qua semper aliquid impedimenti extitit,

[1] Alias CLXV. Scripta anno 357.

quominus tecum congrederer, litteris miro quodam modo recreasti ac consolatus es. Jam enim apud me ipse quodam modo versabam, annon forte verum sit, quod a pluribus dictitatur, necessitate quadam ac fato res nostras sive parvas, sive magnas regi, nec ullius rei nos homines esse dominos ; aut si res ita se non habet, fortuna quadam humanam vitam prorsus agitari. Atque his cogitationibus plurimam dabis veniam, ubi causas, quibus ad eas adductus sim, didiceris. Ego reliqui Athenas ob tuæ philosophiæ famam, contemptis quæ illic sunt. Præterii autem citius Hellesponti civitatem, quam quisquam Ulysses Sirenum cantus. Et Asiam quidem admiratus sum ; sed ad bonorum, quæ in ea sunt, metropolim properabam. Postquam autem veni in patriam, teque ingens lucrum in ea quæsitum non inveni, hinc mihi deinceps multæ variæque occasiones inopinatorum obortæ sunt impedimentorum. Vel enim ægrotandum prorsus fuit, teque idcirco carendum ; vel necesse fuit tecum abeunte in Orientem proficisci non posse, et cum tandem aliquando innumeris laboribus in Syriam pervenissem, philosophi, qui in Ægyptum abierat, congressum non assequi. Rursus igitur proficiscendum fuit in Ægyptum longo et difficili itinere, ac ne illic quidem assequendum quod erat in optatis. Sed tam infausto amore capiebar, ut aut ad Persas eundum mihi esset, et ad extremos usque barbaros simul proficiscendum (siquidem illuc etiam veneras : usque adeo obsistebat dæmon) aut hic sedendum Alexandriæ : id quod et contigit. Puto enim nisi pecudis instar præmonstratum ramum sequendo defatigatus essem, futurum fuisse ut vel ultra Nyssam Indicam actus pergeres, ac si quis extremus orbis nostri locus, in eo etiam errares. Sed quid multa opus est referre ? Nunc postremo cum in patria verseris, tecum esse non contigit, eo quod diuturnis morbis detinear : qui nisi

deinceps mitiores fiant, ne in hyeme quidem prudentiam tuam conveniemus. Hæc, quæso, nonne sunt opera fati, uti tu dixeris? nonne necessitatis? Hæc nonne propemodum poëtarum de Tantalo fabulas superarunt? Sed, ut dixi, ex litteris tuis melius me habui, nec jam amplius in eadem sum sententia. Censeo autem oportere Deo bona largienti gratias agere, procrastinanti vero non succensere. Et sane si nobis dederit tecum esse, optima hæc simulque jucundissima putabimus : si rem differat, damnum leniter feremus. Nam melius profecto, quam nos ipsi eligere possimus, nostra moderatur.

EPISTOLA II [1].

BASILIUS GREGORIO.

Gregorio nihil curanti de situ solitudinis Basilii, sed scire aventi quomodo ibi vivatur, exponit Basilius non quid ipse faciat (humiliter enim fatetur se non multum proficere) sed quid faciendum sit : quanta sint solitudinis ad pietatem adjumenta, quomodo Scripturarum lectioni subjungenda oratio, quid in sermone et in incessu, quid in cibo et potu et vestimento, quid in somno observandum.

I. Agnovi epistolam tuam, velut qui amicorum liberos ex apparente in ipsis similitudine cum parentibus cognoscunt [2]. Quod enim ais loci structuram magni momenti non esse ad ciendum in animo tuo desiderium aliquod vitæ

[1] Alias I. Scripta initio secessus. — [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 440-448.

nobiscum agendæ, antequam de instituto ac vivendi ratione aliquid didiceris ; sententia vere tua est, tuoque digna animo, qui terrena omnia nihil esse existimas, ad beatitudinem nobis in pollicitationibus repositam. Quid autem ipse in hac solitudine noctu ac interdiu agam, dicere pudet. Reliqui equidem urbis commorationes, ut innumerabilium malorum causas : at me ipse nondum relinquere potui. Sed similis sum hominibus in mari summa difficultate, eo quod navigandi insolentes sint, laborantibus et nauseantibus, qui navigii magnitudinem, ut vehementius succutientem ægre ferunt, indeque in lembum aut naviculam transeuntes, ubique nauseant et in angustiis versantur. Una enim cum ipsis transit nausea ac bilis. Ad hunc igitur modum se quoque nostræ res habent. Nam insitos animi morbos circumferentes, ubique iisdem perturbationibus sumus obnoxii. Quare non magnopere adjuti sumus hac solitudine. Quæ autem facta oporteret, et unde nobis daretur inhærere vestigiis ejus, qui salutis dux fuit (Si quis enim, inquit, vult post me venire, abneget se- » metipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me[1] ») hæc sunt.

II. Enitendum est, ut mentem pacatam ac quietam habeamus. Quemadmodum enim oculus continenter circumactus, et nunc quidem in obliqua deflexus, nunc vero sursum ac deorsum frequenter contortus, clare ac perspicue rem objectam cernere non potest ; sed aciem in rem visam defigi oportet, si modo perspicua futura est visio : ita et humana mens sexcentis mundi curis distracta, veritatem clare conspicere non potest. Sed eum quidem, qui nondum nuptiarum vinculis constrictus est, rabidæ cupiditates, ac impetus non facile superabiles, et amores perditissimi conturbant : conjugio autem illigatum alius cu-

[1] Matth. XVI, 24.

rarum tumultus excipit; in orbitate desiderium prolis, susceptis liberis, de his educandis sollicitudo : uxoris custodia, domus cura, servorum gubernatio, accepta contractis in rebus damna, contentiones cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis alea, agriculturæ labores. Unaquæque dies oritur suam ferens animi caliginem : quin et noctes diurnas curas excipientes, iisdem rerum speciebus mentem fallunt. Horum autem una vitatio est, secessus a toto mundo. Verum secessus a mundo, non est corpore extra ipsum esse, sed animam ab affectionum cum corpore consensione avellere, ac sine civitate esse, sine domo, sine propriis rebus, sine amicorum societate, sine possessionibus, sine rebus ad victum necessariis, sine negotiis, nullas res contrahentem, humanarum disciplinarum expertem, paratum ad suscipiendas corde informationes, quæ ex doctrina divina ducuntur. Est autem cordis præparatio, documentorum ex prava consuetudine illud præoccupantium oblivio. Nam nec in cera scribere potest, qui jam insitas litteras non deleverit : nec animo divina dogmata mandare, qui anticipatas e consuetudine opiniones ex eo non sustulerit. Ad id autem plurimum affert adjumenti solitudo, quæ vitiosos animi nostri motus consopit, ac rationi otium dat eos ex animo penitus excindendi. Quemadmodum enim belluæ, si demulceantur, facile vinci possunt; ita libidines, iræ, pavores, mœrores, venenata illa animæ mala, solitudine sopita, nec irritamento jugi efferata, vi rationis facilius superantur. Esto igitur locus aliquis hujusmodi, qualis hic noster, ita ab hominum commercio liber, ut religiosæ exercitationis continuatio a nullo extraneo intercidatur. Pietatis autem exercitatio animam divinis cogitationibus alit. Ecquid igitur beatius, quam in terra concentum Angelorum imitari ; statim quidem ac dies incipit ad preces surgentem, hymnis et canticis Crea-

torem venerari; exinde sole jam clare dilucescente ad opera conversum, comitante ubique oratione, hymnis etiam opera tanquam sale condire? Siquidem hilarem jucundamque animæ æquabilitatem hymnorum solatia conferunt. Quies igitur principium expurgationis animæ, nec lingua loquente res humanas, nec oculis nitidos corporum colores aut concinnitates circumspicientibus; nec auditu animæ vigorem dissolvente per acroamata modorum ad voluptatem compositorum, aut per hominum facetorum ac ridiculorum verba : id quod maxime animi vim frangere solet. Mens enim, quæ ad externa non dissipatur, neque per sensus in mundum diffunditur, redit quidem ad se ipsa; per se autem ad Dei cogitationem ascendit; atque decore illo illustrata ipsius etiam naturæ obliviscitur, nec jam cibi cura distrahitur aut amictus sollicitudine; sed terrenis curis vacua, omne suum studium ad æterna bona adispiscenda transfert; quomodo colat temperantiam atque fortitudinem, quomodo justitiam, ac prudentiam, ac reliquas virtutes, quæ sub hæc genera distributæ singula decenter in vita peragenda viro probo suggerunt.

III. Maxima autem via ad officii investigationem est, et Scripturarum divinitus inspiratarum meditatio. In his enim et rerum agendarum præcepta reperiuntur, et beatorum hominum res gestæ litteris traditæ, veluti animata quædam vitæ secundum Deum institutæ simulacra, ad bonorum operum imitationem proponuntur. Ac proinde quacumque in re quisque mendose sese ipse habere senserit, in illam imitationem assidue incumbens, tanquam ex communi quadam medicinæ officina, appositum suæ infirmitati medicamentum invenit. Ac castitatis quidem amator historiam Josephi assidua lectione evolvit, atque ab eo actiones temperantiæ plenas ediscit, non solum a voluptatibus continentem illum reperiens, sed etiam habitu in virtute fir-

mum. Fortitudinem vero discit a Jobo, qui rebus suis retro sublapsis, ac egens ex divite, orbus ex pulchræ prolis parente temporis momento factus, non solum idem permansit, infractos animi sensus ubique retinens; sed ne amicis quidem, qui ad consolandum venerant, insultantibus et dolores conjunctim intendentibus, ira commotus est. Rursus quis reputans quomodo clemens simul et magnanimus esse possit, ita ut animo in peccatum, clementia erga homines utatur; inveniet Davidem generosum quidem in bellicis facinoribus, clementem vero et placidum in inimicis ulciscendis. Talis et Moses, ingenti quidem ille animo in eos insurgens, qui in Deum peccaverant, sed leniter inflictas sibi calumnias perferens. Ac omnino, ut pictores, cum imagines ex imaginibus pingunt, crebro ad exemplar respicientes, inde formam in suum opus transferre conantur: sic etiam qui sese omnibus virtutis partibus absolutum perficere studet, ad Sanctorum vitas, velut ad simulacra quædam viva et actuosa, respicere debet, et quod illis inest boni suum imitando facere.

IV. Preces rursus lectionibus succedentes vegetiorem ac fortiorem animam amore in Deum concitatam excipiunt. Est autem oratio illa præclara, quæ perspicuam Dei notionem animæ imprimit: idque Dei inhabitatio est, insidentem intus Deum memoria complecti. Sic Dei efficimur templum; cum nec terrenis curis perpetuus memoriæ tenor interpellatur, nec improvisis commotionibus perturbatur intellectus; sed omnia fugiens Dei cultor ad Deum secedit, repellens provocantes ad libidinem affectiones, ac in studiis ad virtutem ducentibus immoratur.

V. Atque illud quidem imprimis studio esse debet, sermone non inscite uti, sed interrogare sine litigandi studio, respondere sine ambitione; non interpellare disserentem, si quid dicat utile, neque cupidum esse proprii sermonis

ostentationis causa interserendi ; modum tenere loquendi et audiendi : discere etiam sine verecundia, docere liberaliter, nec occultare si quid ab alio didiceris ; velut improbæ mulieres facere solent, quæ spurios partus subjiciunt ; sed grato animo parentem doctrinæ prædicare. Vocis vero sonus mediocris præferendus est, ut nec exilior auditum præterfugiat, nec nimia contentione importunus sit. Expendendum tecum prius quid dicturus sis, atque ita demum edendum et vulgandum. Adeuntibus affabilem esse oportet, atque in colloquiis suavem ; nec voluptatem facetis sermonibus aucupari ; sed benigna adhortatione lenitatem obtinere. Ubique asperitas, etiamsi objurgandum sit, rejicienda. Si enim prior te ipse per humilitatem abjeceris, hoc pacto ei, cui curatione opus est, acceptus eris. Plerumque vero utilis nobis et illa increpationis ratio a Propheta adhibita, qui cum David peccasset, non a semetipso sententiam induxit condemnationis, sed accersita persona utens, ipsum proprii judicem peccati constituit ; ita ut cum in se ipse sententiam dixisset, nihil jam succenseret arguenti.

VI. Consentaneus autem humili ac demisso sensui tristis oculus atque deorsum vergens, habitus neglectus, squalida coma, vestis sordida ; adeo ut quæ lugentes data opera faciunt, ea sua sponte nobis inesse videantur. Tunica cingulo ad corpus astricta sit : cinctus neque illa exuperet, id enim muliebre ; neque laxus ita ut tunica diffluat ; id enim molle. Incessus esto nec segnis, ne animum dissolutum arguat ; nec rursus vehemens ac superbus, ne stolidos animi impetus indicet. Unus vestimenti scopus, ut idoneum sit carnis ad hyemem et æstatem operimentum. Neque vero in colore floridum exquiratur, neque in opere tenue ac molle. Etenim in veste pigmentorum lautitias consectari, non absimile est venustatis studio, quo mulieres ducuntur,

dum genas et crines alieno flore inficiunt. Sed et eo usque crassa tunica sit, ut socia opus non habeat, ad eum qui induitur calefaciendum. Calcearium autem pretio quidem vili, sed cui nihil desit ad usum explendum. Et ut semel omnia uno verbo complectar, ut in veste necessarium præcipue sectandum: ita in cibo panis explebit necessitatem: aqua sedabit sitim recte valenti: quibus accedent quæcumque ex leguminibus pulmenta corpori vires ad necessarios usus conservare possunt. Edere autem decet non helluantium speciem præbentes, sed ubique modestiam et mansuetudinem atque in voluptatibus continentiam retinentes, ne tum quidem animam a Dei cogitatione habentes otiosam, sed ex ipsa alimentorum natura, et corporis ea suscipientis structura, divinarum laudum materiam ducentes, quod varia ciborum genera qualitati corporum accommodata, ab eo qui omnia moderatur, inventa sint. Preces ante cibum fiant, quæ donis Dei dignæ sint, tum quæ nunc largitur, tum quæ in futurum recondidit. Preces etiam post cibum, quæ et gratiarum actionem pro acceptis bonis et promissorum petitionem habeant. Hora una cupiendo cibo destinata, eademque per circuitum revertens; adeo ut ex viginti quatuor horis diei ac noctis, vix illa una ad curandum corpus insumatur: reliquas asceta in animi exercitatione transigat. Somni leves sint, ejusque modi, qui excuti facile possint, naturalem cum tenui victus ratione necessitudinem habentes: imo vero de industria magnarum rerum curis interrumpantur. Nam altiore correptum esse sopore, membris solutis, ita ut facilis pateat aditus imaginibus a ratione alienis, id quotidianæ morti addicit ita dormientes. Sed quod aliis diluculum, id pietatis cultoribus media nox: cum maxime nocturna quies otium animæ largiatur, neque oculis, neque auribus quidquam visu aut auditu exitiosum in cor immittentibus, sed mente

sola per se cum Deo rationem habente, seque corrigente per peccatorum recordationem et regulas sibi ipsi præscribente ad vitia declinanda, ac Dei auxilium ad ea, quæ studio habet, perficienda implorante.

EPISTOLA III [1].

CANDIDIANO.

Laudat Basilius Candidiani in honorum perfunctione moderationem animi et litterarum studium : ejus præsidium implorat adversus violentiam agrestis cujusdam, qui ipsius ædes invaserat et expilaverat.

I. Cum in manus sumpsi epistolam tuam, contigit mihi quiddam auditu dignum. Reveritus sum illam quasi publicum quidpiam annuntiantem; dumque ceram resolverem, intuens extimui, quantum nullus Spartiata reus laconicam scytalem. Sed postquam solvi ac singula perlegi, subiit mihi ridere, partim quidem præ gaudio, quod nihil audirem novi; partim vero quod cum Demosthenis rebus tuas compararem. Nimirum posteaquam ille paucis quibusdam saltatoribus tibicinibusque suppeditasset, non amplius Demosthenes, sed choragus vocari voluit : tu vero idem ipse es, sive suppedites, sive non (suppeditas autem pluribus militum denis millibus, quam quot ille hominibus necessaria subministrabat) qui quidem nobis non pro dignitate scribis, sed consueto more, nec quidquam remittis de litterarum studio; sed, ut ait Plato, in ipsa tempestate ac æstu negotiorum, veluti sub murum quemdam validum

[1] Alias CLXXIII. Scripta in secessu.

abscedens, nullo prorsus tumultu mente turbaris : imo nec alios, quantum in te est, perturbari sinis. Ac res quidem tuæ tales, magnæ profecto et admirandæ his qui perspicere possunt ; rursus autem minime admirandæ, si quis eas cum toto vitæ instituto comparet. Jam vero nostras, audi, quæ et mirabiles sunt, et merito nobis acciderunt.

II. Agrestis quidam ex iis, qui nobiscum Annesis commorantur, mortuo famulo meo, non se negotii quidquam cum illo habuisse dixit, non ad me accessit, non conquestus est, non rogavit, ut a volente acciperet, non minatus est se vim facturum, nisi acciperet; sed subito cum nonnullis ipsi temeritate similibus domum nostram invasit, mulieresque quæ eam custodiebânt, verberibus contudit, ac effractis foribus, exportavit omnia, partim sibi ipse rapiens, partim ad diripiendum cuilibet proponens. Itaque ne extremus nos infirmitatis terminus simus, videamurque omnibus ad injurias idonei; quod studium omnibus nostris in rebus ostendisti, hoc idem nunc ut impendas exorari te sine. Hac enim una re tranquillitas nobis servetur, si strenuo tuo præsidio instructi simus. Erimus autem mulcta hac contenti, si a pagi præposito comprehensus, brevi tempore in carcere includatur. Etenim non ob ea solum quæ perpessi sumus, indignamur : sed in posterum etiam securitate indigemus.

EPISTOLA IV [1].

OLYMPIO.

Olympio, qui dona miserat, perurbane gratias agit Basilius, incusans quod contubernalem suam pauperiem expulerit.

Ecquid agis, o præclare, qui amicam nobis paupertatem et philosophiæ nutricem solitudine expellis? Arbitror enim fore, ut ipsa tibi judicium intenderet unde vi, si qua ei loquendi facultas accederet : « Volui ego cum hoc homine una degere, nunc quidem Zenonem laudante, qui, amissis naufragio omnibus, nihil non virile locutus est, sed euge, dixit : « O fortuna, redigis nos ad detritum pallium : » nunc vero Cleanthem mercede aquam ex puteo haurientem, unde et ipse victitabat, et magistris æra persolvebat. Quin et Diogenem nunquam intermisit admirari, id sibi laudi habentem, ut solis naturæ rebus contentus esset; adeo ut poculum etiam projecerit, postquam a puero didicit cavis manibus inclinans bibere. His te et talibus contubernalis nostra incusaret, nunc magnificis donis expulsa. Adjiceret autem et aliquid minarum : « Si hic te iterum deprehendero, » siculas aut italicas delicias priora extitisse ostendam : ita te accurate copiis meis ulciscar. Sed de his hactenus. Gavisus autem sum, cum audivi te jam remedia aggressum esse; teque his juvari precor. Sacræ autem tuæ animæ convenerit sollicitudinum et molestiarum expers corporis curatio.

[1] Alias CLXIX. Scripta in secessu.

EPISTOLA V [1].

AD NECTARIUM CONSOLATORIA.

Consolatur Nectarium Basilius unici filii morte afflictum.

I. Nondum tertium aut quartum diem traduxeram intolerabilis casus auditione perculsus[2]; et cum adhuc ambigerem, quia ne clare quidem potuerat nobis molestiæ rei nuntius id quod acciderat enarrare; cumque rumorem vix reciperem, quia falsum esse optabam; accepi litteras episcopi, quibus accurate infausta res significabatur. In quo quidem quantum ingemuerim, quantumque effuderim lacrymarum, quid attinet vel dicere? Quis enim adeo corde lapideo, aut omnino humanæ naturæ expers, ut in ejusmodi eventu nihil patiatur, aut modicum dolorem animo accipiat? Domus splendidæ successio, fulcimentum generis, patriæ spes, parentum piorum germen cum innumeris votis educatum, in ipso ætatis flore ex mediis patris manibus ereptum abit. Hæc quam adamantis naturam non valeant dissolvere, et ad commiserationem adducere? Quare nihil est magni, si et nos penitus hoc infortunium perculit, qui vobis prorsus sumus ab initio addicti; et gaudia vestra et molestias, nostra facimus. Atque hactenus quidem pauca esse videbantur quæ vobis molestiam afferrent, imo pleraque ex sententia vobis fluere; sed subito dæmonis invidia evanuit tota illa domus felicitas, et animarum hilaritas; ac hominibus tristis historia facti

[1] Alias CLXXXVIII. Scripta in secessu — [2] Vide D. Guillon, t. VII, pag. 475-478.

sumus. Igitur si ob ea quæ acciderunt lugere, et lacrymas effundere volumus, tempus vitæ nobis non sufficiet; nec si homines omnes nobiscum gemant, infortunio planctum adæquare poterunt : imo etiamsi fluviorum aquæ lacrymæ fiant, nequibunt casus illius lamenta explere.

II. Sed si velimus Dei donum, quod cordibus nostris indidit, nunc promere, rationem dico sobriam, quæ et in rebus secundis modum novit animabus nostris præstituere, et in tristioribus casibus res humanas in memoriam revocare, nosque admonere eorum, quæ et vidimus et audivimus, vitam videlicet infortuniis hujusmodi esse refertam, ac multa calamitatum humanarum esse exempla, et præter hæc omnia mandatum Dei esse, ut qui in Christum credunt, non lugeant mortuorum causa, ob spem resurrectionis; ac patientiæ magnæ magnas esse apud certaminum judicem coronas gloriæ repositas : si igitur rationi permiserimus ut hæc nobis occinat, licebit fortasse modicum aliquod mali lenimen invenire. Quare adhortor te, ut strenuum athletam, ut contra plagæ magnitudinem obnitaris, nec succumbas ponderi doloris, neque absorbearis animo; persuasum habens, etsi rationes eorum quæ a Deo dispensantur, nos latent; at profecto quod a sapiente nosque amante dispensantur, accipiendum, etiamsi molestum sit. Novit enim ipse, quomodo unicuique dividat quod utile est, et quam ob causam inæquales vitæ terminos nobis præstituat. Est enim causa aliqua hominibus indeprehensa, ob quam alii quidem citius hinc abripiuntur, alii vero diutius in hac calamitosa vita ad ærumnas perferendas relinquuntur. Itaque in omnibus adorare illius in nos amorem debemus, nec ægre ferre : memores magnæ illius et celeberrimæ vocis, quam magnus ille athleta Job emisit, cum in uno convivio liberos decem exiguo temporis momento oppressos vidit : « Dominus dedit, Dominus abs-

» tulit, sicut Dominó visum, ita et factum est [1]. » Admirabilem illam vocem nostram faciamus : par merces a justo Judice paria præclare facta designantibus. Non sumus filio orbati : sed restituimus ei qui mutuo dederat : neque extincta est illius vita, sed in melius transmutata : nec humus dilectum nostrum obtexit, sed cœlum sŭscepit. Paulisper expectemus, et una cum eo quem desideramus, erimus. Neque longum est tempus sejunctionis, cum omnes in hac vita tanquam in via ad idem diversorium contendant : in quod hic jam advenit, ille supervenit, alter festinat ; finis autem unus omnes excipiet. Etsi enim citius viam confecit, eamdem omnes ingrediemur, omnesque idem manet diversorium. Tantum nobis contingat illius puritati per virtutem assimilari, ut moribus doli expertibus eamdem, ac qui in Christo infantes sunt, requiem consequamur.

EPISTOLA VI [2].

NECTARII CONJUGI CONSOLATORIA.

Basilius Nectarii uxorem similiter consolatur.

I. Nolebam alloqui dignitatem tuam, considerans ut oculo inflammato lenimentum vel tenerrimum dolorem affert [3], ita animæ gravi mœrore afflictæ, etiam si multum solatii ferat oratio, molestam tamen quodammodo videri, in ipso doloris articulo adhibitam. At ubi mihi in mentem venit, sermonem mihi cum Christiana futurum, jampri-

[1] Job. I, 21. — [2] Alias CLXXXIX. Scripta eodem tempore. — [3] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 478-481.

dem in rebus divinis instituta, nec ad humanos casus imparata; non existimavi æquum esse ut officio meo deessem. Novi qualia sint matrum viscera; cumque peculiariter considero tuam in omnes benignitatem atque mansuetudinem, conjicio quantum probabile sit in præsentibus malis dolorem esse. Filium amisisti, quem viventem matres omnes prædicabant beatum, talesque suos esse optabant : mortuum vero perinde luxerunt, ac si suum quæque humo contexisset. Illius mors plaga extitit provinciarum duarum, et nostræ, et Cilicum. Cum illo magnum et illustre genus concidit, veluti fulcro sublato concussum. O incursum mali dæmonis, quantum potuit mali patrare! O terra talem coacta suscipere casum! Horruit forte ipse sol, si quis in eo sensus, triste illud spectaculum. Et quis tantum dicere poterit, quantum inops consilii animus suggerit?

II. Verum nostra non fiunt citra providentiam, quemadmodum in Evangelio didicimus, ne passerem quidem cadere sine voluntate Patris nostri. Quare si quid contigit, voluntate contigit Conditoris nostri. Quis autem Dei voluntati resistit? Suscipiamus quod accidit; moleste enim ferentes, neque id quod factum est reparamus, ac præterea nosmetipsos perdimus. Ne culpemus justum Dei judicium. Nimium imperiti sumus, quam ut arcana illius judicia exploremus. Nunc Dominus amoris in se tui periculum facit. Tibi nunc tempus est, ut per patientiam partem martyrum consequare. Macchabæorum mater septem filiorum mortem conspexit, nec ingemuit, nec ignobiles lacrymas effudit : sed gratias agens Deo, quod videret eos igne et ferro et acerbissimis verberibus e vinculis carnis exsolvi; Deo quidem probata fuit, celebris vero habita est apud homines. Afflictio magna, fateor et ego : sed et magna a Domino præmia patientibus reposita. Mater cum

effecta es, puerumque vidisti, ac gratias egisti Deo; plane sciebas mortalem a te, cum mortalis sis, genitum esse. Quid igitur mirum, si mortuus est mortalis? Sed dolet nobis, quod præter tempus. Incertum, utrum hoc non fuerit tempestivum : nos siquidem eligere quæ animabus utilia sunt, et præfinire terminos humanæ vitæ non novimus. Circumspice totum terrarum orbem, in quo habitas; et cogita omnia mortalia esse quæ videntur, omnia corruptioni obnoxia. Respice ad cœlum; et illud ipsum aliquando dissolvetur : ad solem; ne ille quidem permanebit : stellæ omnes, animalia terrestria et aquatilia, terræ ornatus, terra ipsa, omnia corruptioni obnoxia, omnia paulo post non amplius futura. Horum cogitatio sit casus solatium. Cave calamitatem seipsa metiaris, ita enim tibi videbitur intolerabilis : sed eam cum omnibus rebus humanis comparans, inde reperies illius solatium. His autem omnibus illud validissimum addendum habeo : parce marito : alter alteri solamen estote : ne facias ei graviorem calamitatem, dolore te ipsa conficiens. Omnino autem arbitror sermonem solatio imparem esse : sed precibus in re præsenti opus esse censeo. Precor itaque ipsum Dominum, ut sua non enarrabili potentia tangens cor tuum, cogitationibus bonis animum tuum illustret, ut in te ipsa consolationis habeas argumenta.

EPISTOLA VII [1].

GREGORIO SODALI.

Basilius significat futurum se providisse, ut penuriæ verborum accusaretur, nec tamen idcirco consulentibus respondendum non esse. Hortatur Gregorium, ut totum se tradat veritatis defensioni, nec se consulat.

Ne tum quidem ignorabam, cum scriberem prudentiæ tuæ, vocem omnem theologicam imparem esse cogitationi dicentis, imparem interrogantis desideriis; propterea quod sermo imbecillius nescio quomodo solet cogitatis rebus inservire. Si ergo infirma cogitatio nostra, et cogitatione inferior lingua, quid expectandum nobis fuit in iis, quæ disseruimus, nisi penuriam verborum objectum iri? Neque tamen idcirco potui silentio prætermittere quod quærebatur. Nam proditionis periculum est, si non libenter dentur de Deo responsa his, qui Dominum diligunt. Illa igitur, sive satis esse videantur, sive etiam accuratiore quodam additamento indigeant, tempus proprium, ut emendentur, postulant. Quod autem nunc ad rem attinet, hortamur te, uti jam etiam hortati sumus, ut totum te veritatis defensioni, ac motibus menti tuæ ad bonum stabiliendum a Deo impressis tradas, his contentus nec amplius quidquam a nobis requirens : qui cum multo inferiores simus quam quis suspicari possit, imbecillitate nostra doctrinam lædimus magis, quam roboris aliquid patrocinio nostro addimus veritati.

[1] Alias II. Scripta videtur in secessu.

EPISTOLA VIII [1].

APOLOGIA de secessu ad Cæsarienses, et de fide pertractatio.

Perculsus casu inopinato Basilius, cum se ad Gregorium recepisset, desiderium suorum his litteris lenit, eosque admonet ut caveant ab Arianis. Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum confiteri oportere statuit. Tres deos affingentibus respondet Deum natura, non numero unum dici : simile et dissimile rejicit, identitatem substantiæ requirit, ac Filium Patri esse consubstantialem declarat. Plura explanat Scripturæ loca ab adversariis objecta. Denique sancti Spiritus Divinitatem probat.

I. Sæpe miratus sum, cur eo sitis in me animo affecti, et unde vos tenuitas nostra, eaque exigua et modica ac fortasse nihil habens amabile, tantopere capiat [2]; nosque sermonibus adhortemini, amicitiam et patriam commemorantes, veluti profugos quosdam paternis visceribus ad vos rursus conantes revocare. Ego autem profugum me esse fateor, neque negaverim : sed jam causam, si cupitis, ediscetis. Maxime quidem re inopinata tunc perculsus, quemadmodum qui ob repentinos strepitus illico expavescunt, non cohibebam cogitationes, sed elongavi fugiens, ac tempore multo a vobis abfui. Deinde vero et desiderium quoddam subiit mihi sacrorum dogmatum, et philosophiæ quæ circa illa versatur. Quomodo enim possim,

[1] Alias CXLI. Scripta anno 360. — [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 450-454.

aiebam, habitantem in nobis malitiam domare? Quis mihi fiat Laban [1], liberans me ab Esaü atque ad supernam philosophiam deducens? Quoniam autem, Deo dante, voti compotes, quantum licuit, facti sumus, electionis invento vase et puteo profundo, dico autem Christi os Gregorium; nobis parumper, quæso, parum, rogamus, concedite temporis; non quod in urbe commorationem ambiamus (neque enim ignoramus homines hoc pacto a maligno decipi) sed quod versari cum Sanctis longe utilissimum esse judicemus. Dum enim de divinis dogmatibus aliquid dicitur, auditurque frequentius, contemplationum quemdam habitum, qui ægre amittatur, suscipimus. Et res quidem nostræ ita se habent.

II. Vos autem, o divina et omnium mihi charissima capita, cavete Philistinorum pastores, ne quis puteos vestros clanculum obstruat, et puram eorum, quæ ad fidem pertinent, cognitionem obturbet. Hoc enim eis semper studio est, non ex Scripturis sacris docere animas simpliciores, sed sapientia extranea veritatem circumvenire. Qui enim « Ingenitum » et « Genitum » in nostram fidem introducit, docetque eum, qui semper est, aliquando non fuisse; eumque, qui natura ac semper Pater est, patrem fieri, et Spiritum sanctum non esse sempiternum, nonne ille palam Philistæus est, invidens Patriarchæ nostri ovibus, ne ex pura et in vitam æternam saliente aqua bibant, sed illud Prophetæ oraculum trahant in semetipsos : « Me dereli» querunt fontem aquæ vivæ, ac foderunt sibi ipsis cisternas » obtritas, quæ non poterunt aquam continere [2]; » cum confiteri oporteat Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, uti eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt. Cæterum ad eos, qui tres deos nobis exprobrant, illud dicatur, unum nos Deum non numero,

[1] Gen. XXVIII, 5. — [2] Jer. II, 13.

sed natura confiteri. Quidquid enim unum numero dicitur, id vere unum non est, neque natura simplex : Deum vero simplicem et incompositum confitentur omnes. Non igitur unus numero est Deus. Quod autem dico, est ejusmodi. Unum numero mundum esse dicimus, non tamen unum natura, neque simplicem illum quemdam. Dividimus enim ipsum in elementa ex quibus constat, in ignem, aquam, aërem et terram. Rursus homo unus numero dicitur. Unum enim hominem sæpe dicimus, sed non simplex quidam ille est, cum ex corpore et anima constet. Similiter et Angelum unum numero dicimus, sed non unum natura, neque simplicem : siquidem essentiam cum sanctimonia hypostasim Angeli intelligimus. Itaque si quidquid unum est numero, unum natura non est ; et quod natura unum ac simplex est, unum numero non est, nos autem Deum natura unum dicimus ; quomodo nobis numerum affingunt, quem prorsus a beata illa ac spirituali natura amovemus? Numerus enim pertinet ad quantitatem : quantitas vero corporali naturæ conjuncta est ; numerus ergo corporeæ est naturæ. At Dominum nostrum corporum opificem esse credimus [1]. Quapropter et numerus omnis ea designat, quæ materialem ac circumscriptam naturam sortita sunt : monas vero et unitas simplicis ac incomprehensibilis essentiæ insigne. Quisquis igitur numerum aut creaturam confitetur Filium Dei, aut Spiritum sanctum, imprudens materialem ac circumscriptam naturam inducit. Circumscriptam autem dico, non modo eam quæ loco continetur, sed etiam quam prænotione comprehendit is, qui ipsam e nihilo producturus est, quæque scientia comprehendi potest. Quidquid igitur sanctum est, habet autem naturam circumscriptam, et adventitiam sanctitatem, obnoxium esse potest malitiæ. Filius autem, et Spiritus

[1] Gen. 1, 27, et 11, 7.

sanctus, fons est sanctimoniæ, unde rationalis quæque creatura pro virtutis ratione sanctificatur.

III. Nos secundum veram doctrinam neque similem, neque dissimilem Patri Filium dicimus. Nam æque utrumque horum repugnat. Enimvero simile et dissimile, qualitatum habita ratione dicuntur: Deus autem liber est a qualitate. Verum identitatem naturæ confitentes et consubstantiale admittimus, et compositionem fugimus; cum is qui secundum essentiam Deus et Pater est, Deum secundum essentiam et Filium genuerit. Ex hoc enim consubstantiale ostenditur. Nam Deus secundum essentiam Deo secundum essentiam consubstantialis. Siquidem et homo dicitur Deus, velut in hoc loco, « Ego dixi : Dii es» tis [1]. » Quin etiam dæmon appellatur Deus, secundum illud, « Dii gentium dæmonia [2]. » Sed illi quidem ex dono, hi vero ex mendacio nomen accipiunt. Deus vero solus est secundum essentiam Deus. Cum autem dico, « Solus, » essentiam Dei sanctam et increatam significo. Nam vox, « Solus, » et de uno aliquo homine, et de universa prorsus natura dicitur. De uno aliquo, velut cum verbi gratia dicitur de Paulo, solum raptum esse ad tertium usque cœlum, et audisse arcana verba, quæ non liceat homini loqui [3] : de natura vero universa, velut cum David dicit : « Homo » sicut fœnum dies ejus [4]. » Hic enim non hominem aliquem, sed universam naturam indicat : nam omnis homo temporarius et mortalis. Sic intelligimus de natura dicta esse et illa : « Qui solus habet immortalitatem [5]. » Et, « Soli sapienti » Deo [6]. » Et, « Nemo bonus, nisi unus Deus [7]. » Hic enim « Unus » significat idem, quod « Solus. » Et, « Qui extendit » cœlum solus [8]. » Et rursus « Dominum Deum tuum ado-

[1] Psal. LXXXI, 6, et Joan. X, 34. — [2] Psal. XCV, 5. — [3] 2 Cor. XII, 2-4. — [4] Psal. CII, 15. — [5] 1 Tim. VI, 16. — [6] Rom. XVI, 27. — [7] Luc. XVIII, 19. — [8] Job. IX, 8.

» rabis, et illi soli servies[1]. » Et, « Non est Deus præter me[2]. » Nam « Unus » et « Solus » de Deo dicuntur in Scriptura, non ad distinctionem a Filio aut Spiritu sancto, sed adversus eos, qui cum dii non sint, dii tamen falso nominantur, ut est illud : « Dominus solus duxit eos, et non erat » cum eis Deus alienus[3]. » Et, « Everterunt filii Israël Baa» lim, et nemora Astaroth, et serviebant Domino soli[4]. » Et iterum Paulus : « Sicut sunt dii multi et domini multi : » nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia : et unus » Dominus Jesus Christus, per quem omnia[5]. » Verum hic quærimus, quomodo cum dixisset, « Unus Deus, » ea voce non fuerit contentus (diximus enim, cum « Solus » et « Unus » de Deo dicuntur, significari naturam) sed et vocem « Pa» ter » apposuerit, et Christi fecerit mentionem. Suspicor itaque existimasse hoc loco vas electionis Paulum, satis non esse tantummodo Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum prædicare ; id quod per dictionem, « Unus Deus, » declaraverat, nisi præterea per adjectionem « Patris, » eum ex quo omnia sunt, exprimeret, et per mentionem Domini, Verbum per quod omnia sunt, significaret, et rursus per Jesu Christi adjunctionem, incarnationem annuntiaret, et passionem poneret ob oculos, et resurrectionem commonstraret. Nam illud, Jesus Christus, notiones tales nobis indicat. Quapropter etiam Dominus ante passionem non vult dici Jesus Christus, et Discipulis præcipit, ut ne cuiquam dicant ipsum esse Jesum Christum. Propositum enim illi erat post absolutam dispensationem ac resurrectionem ex mortuis, et in cœlos assumptionem, tum demum ipsis committere, ut cum Jesum Christum prædicarent. Ejusmodi est et illud : « Ut cognoscant te solum verum » Deum, et quem misisti Jesum Christum[6] : » illud itidem :

[1] Deut. VI, 13. — [2] Id. XXXII, 39. — [3] Ibid. 12. — [4] 1 Reg. VII, 4. — [5] 1 Cor. VIII, 5, 6. — [6] Joan. XVII, 3.

« Creditis in Deum, et in me credite [1] : » ubique cogitationem nostram præmuniente Spiritu sancto ; ne accedentes ad alterum, altero excidamus ; neve theologiæ intenti negligamus dispensationem, atque in impietatem, dum in aliquo offendimus, incidamus.

IV. Verba autem divinæ Scripturæ, quæ arrepta adversarii, et ad suam ipsorum sententiam detorta, nobis ad eversionem majestatis Unigeniti objiciunt, simili modo expendamus, notionem eorum pro viribus explicantes. Ac primum nobis proponatur illud : « Ego vivo propter Pa» trem [2]. » Hoc enim unum est ex jaculis, quæ in cœlum vibrantur ab his, qui eo impie utuntur. Illud autem dictum hoc loco non ipsam ante sæcula, ut arbitror, vitam designat : (quidquid enim propter alterum vivit, vita ipsa esse nequit ; quemadmodum neque quod ab alio calefactum est, calor ipse esse potest : Christus autem et Deus noster dixit : « Ego sum vita [3]. » Sed vitam hanc in carne, et in hoc tempore factam, quam propter Patrem vixit. Nam ipso volente in vitam hominum advenit ; neque dixit : « Ego » vixi propter Patrem ; » sed, « Ego vivo propter Patrem, » aperte præsens tempus significans. Potest autem et vitam dicere, quam vivit Christus, Verbum Dei habens in seipso. Atque id ipsum esse, quod significatur, ex his quæ sequuntur, videbimus. « Et qui manducat me, inquit, vivit prop» ter me [4]. » Edimus enim ipsius carnem, et bibimus ipsius sanguinem, participes facti, per incarnationem et sensibilem vitam, Verbi et sapientiæ. Carnem enim et sanguinem, totam suam mysticam in carne conversationem vocavit, et doctrinam ex practica et naturali et theologica notione constantem declaravit : per quam et nutritur anima, et ad eorum quæ sunt contemplationem interim præparatur. Et hæc est fortasse illius dicti sententia.

[1] Joan. XIV, 1. — [2] Id. VI, 58. — [3] Id. XI, 25. — [4] Id. VI, 58.

V. Ac rursus, « Pater meus major me est [1]. » Utuntur enim et hoc dicto ingratæ creaturæ, mali progenies. Ego vero ex hac etiam voce consubstantialem esse Filium Patri credo demonstrari. Comparationes enim scio proprie inter ea quæ ejusdem naturæ sunt fieri. Angelum namque Angelo dicimus majorem, et hominem homine justiorem, et volucrem volucri velociorem. Itaque si comparationes inter ea, quæ ejusdem speciei sunt, instituuntur; Pater autem secundum comparationem dictus est Filio major; consubstantialis Patri Filius. Inest autem et alia notio his verbis. Quid enim mirum, si majorem seipso Patrem confessus est, qui Verbum est et caro factus est : cum et Angelis visus sit secundum gloriam minor, et hominibus secundum speciem. « Minuisti enim eum, inquit, paulo minus ab Angelis [2]. » Et iterum, « Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est [3]. » Item, « Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem : sed species ejus deficiens præ omnibus hominibus [4]. » Hæc autem omnia sustinuit propter multam suam in opus suum benignitatem, ut perditam ovem recuperaret, et introduceret servatam, et eum, qui ab Jerosolimis Jerichunta descenderat, ob idque inciderat in latrones, ad propriam rursus patriam sanum incolumemque reduceret. An etiam præsepe ei exprobrabit hæreticus, per quod cum esset ratione destitutus, a Verbo nutritus est? An objiciet paupertatem, quod lectulus defuit fabri filio? Propterea Patre minor Filius, quod tua causa factus est mortuus, ut te a mortalitate liberaret, et cœlestis participem vitæ faceret. Velut si quis et medicum accuset, quod demittens se ad morbos, particeps fœtoris fiat, ut sanet ægrotantes.

VI. Propter te et horam et diem judicii ignorat, quan-

[1] Joan. XIV, 28. — [2] Psal. VIII, 6. — [3] Hebr. II, 9. — [4] Isaï, LIII, 2, 3.

quam nihil sapientiam veram latet; omnia enim per ipsam facta sunt. Hominum autem nemo unquam quod fecit ignorat. Verum id ita dispensat ob tuam infirmitatem, ut neque ii qui peccaverunt, ob præfiniti temporis angustiam in desperationem adducantur, quasi non relictum sit pœnitentiæ tempus: neque rursus ii, qui diu cum adversaria potestate pugnant, ob temporis diuturnitatem aciem deserant. Itaque consulit utrisque per ignorationem quam præ se fert; alteri quidem ob præclarum certamen tempus contrahens, alteri vero propter peccata pœnitentiæ tempus reservans. Quanquam cum se ipse in Evangeliis inter eos qui ignorant, ob multorum, uti dixi, infirmitatem numeraverit [1]; in Actis Apostolorum velut perfectos seorsum alloquens, non sine sui ipsius exceptione dicit : « Non est » vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit » in sua potestate [2]. » Atque hæc quidem prima aggressione dicta sint rudius. Sed jam inquirenda sublimior dicti intelligentia, et pulsandæ fores scientiæ, si quo modo possim patremfamilias excitare, qui spirituales panes petentibus se largitur; quandoquidem amici sunt et fratres, quos convivio excipere cupimus.

VII. Sancti Discipuli Salvatoris nostri, cum ad summum contemplationis, quantum hominibus fas est, pervenissent, et Christi sermone expurgati fuissent, finem quærunt, et beatitudinem extremam nosse desiderant; id quod et a suis Angelis et a seipso ignorari Dominus pronuntiavit, diem appellans accuratam omnem eorum, quæ de Deo cogitantur, comprehensionem : horam vero, unitatis ac monadis contemplationem, quarum scientiam soli Patri attribuit. Suspicor igitur Deum dici id quod est de seipso scire, et id nescire quod non est. Justitiam enim et sapientiam nosse dicitur Deus, cum ipse justitia et sapientia sit :

[1] Mar. XIII, 32. — [2] Act. I, 7.

injustitiam vero et malitiam ignorare; non enim est injustitia neque malitia, qui condidit nos Deus. Itaque si dicitur Deus id, quod est de seipso, nosse, atque id nescire quod non est; non est autem Dominus noster secundum incarnationis considerationem, et crassiorem doctrinam, extremum illud bonum desiderabile : non igitur cognovit Salvator noster finem, et extremam beatitudinem. « Sed » neque Angeli, inquit, sciunt [1] : » hoc est, neque contemplatio quæ in ipsis est, neque rationes ministeriorum sunt extremum illud bonum desiderabile. Nam horum etiam scientia crassa est, si comparetur cum ea, quæ est facie ad faciem [2]. « Solus autem Pater, inquit, novit [3] : » quippe et ipse est finis, et extrema beatitudo. Cum enim non amplius Deum in speculis, neque per aliena cognoscemus, sed ad ipsum veluti solum et unum accedemus; tunc et extremum finem sciemus. Nam Christi regnum esse ferunt omnem materialem cognitionem : Dei vero et Patris, immaterialem, et, ut ita dixerim, ipsius Divinitatis contemplationem. Atque etiam Dominus noster et ipse finis est, et extrema beatitudo secundum Verbi considerationem. Quid enim ait in Evangelio? « Et ego resuscitabo » eum in novissimo die [4] : » resurrectionem dicens transitum a materiali cognitione ad immortalem contemplationem; diem autem novissimum appellans eam cognitionem, postquam non est alia. Tunc enim mens nostra excitatur, et ad beatam sublimitatem erigitur, cum Verbi unitatem ac monada contemplata fuerit. Sed quoniam mens nostra crassior effecta terræ illigata est, et luto admiscetur, et contemplationi nudæ intenta esse non potest; per cognatas corpori ipsius pulchritudines manu ducta, Conditoris operationes considerat, eaque interim ex effec-

[1] Marc. XIII, 32.— [2] I Cor. XIII, 12.— [3] Marc. XIII, 32.— [4] Joan. VI, 40.

tibus cognoscit, ut ita paulatim aucta, possit aliquando ad ipsam etiam nudam Divinitatem accedere. In eamdem autem arbitror sententiam dictum fuisse et illud : « Pater » major me est [1] : » illud itidem, « Non est meum dare, sed » quibus paratum est a Patre [2]. » Hoc enim est quod et Christus regnum tradere dicitur Deo et Patri [3]; cum primitiæ, non finis sit, secundum rudiorem, ut dixi, doctrinam, quæ nostri, non ipsius Filii respectu intelligitur. Quod autem hæc ita se habent, rursus Discipulis in Actis Apostolorum interrogantibus, « Quando restitues regnum » Israël, » respondit : « Non est vestrum nosse tempora vel » momenta, quæ Pater posuit in propria potestate [4]. » Hoc est, non eorum est, qui carni et sanguini illigati sunt, talis regni cognitio. Posuit enim Pater contemplationem istam in propria potestate; potestatem dicens eos, qui sub ipsius sunt potestate : proprios vero eos, quos rerum inferiorum ignoratio non tenet. Nolim autem intelligas tempora et momenta sensibilia, sed quædam cognitionis intervalla a sole intelligibili facta. Oportet enim istam Domini nostri precationem ad finem perduci ac impleri. Jesus enim est qui precatus est, « Da eis, ut et ipsi in nobis unum sint, » sicut ego et tu, Pater, unum sumus [5]. » Deus enim cum unus sit, si in singulis fuerit, omnes unum efficit, et accedente unitate, perit numerus. Atque equidem sic aggressus sum hoc dictum secundo tentamine. Quod si quis meliora dicat, aut nostra pie emendet; et dicat, et emendet, et eum pro nobis remunerabit Dominus. Nulla enim apud nos habitat invidia, ut qui nec contentionis, nec inanis gloriæ studio ad hanc verborum investigationem accesserimus, sed propter fratrum utilitatem, ne testacea vasa thesaurum Dei habentia ab hominibus saxeo corde prædi-

[1] Joan. XIV, 28. — [2] Matth. XX, 23. — [3] I Cor. XV, 24. — [4] Act. I, 6, 7. — [5] Joan. XVII, 21.

tis et incircumcisis, qui ex stulta sapientia armati sunt, circumveniri videantur.

VIII. Rursus per sapientem Salomonem in Proverbiis creatus est. « Dominus enim, inquit, creavit me [1]. » Et initium viarum evangelicarum nominatur, quæ nos ad regnum cœlorum ducunt; non secundum essentiam creatura, sed secundum dispensationem factus via. Nam « Factum » esse, et creatum esse, » idem significant. Factus est enim quatenus via et janua, et pastor, et nuntius, et ovis, ac rursus pontifex et apostolus; nominibus aliis pro alia considerandi ratione positis. Rursus quid dicat hæreticus de non subjecto Deo, et propter nos facto peccato? Scriptum namque est : « Cum subjecta fuerint illi omnia, tunc » et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia [2]. » Non times, o homo, cum Deus non subjectus appellatur! Tuam enim subjectionem, suam facit; et quod tu reluctaris adversus virtutem, seipsum non subjectum nominat. Ita aliquando et seipsum dicit esse persecutioni obnoxium. Ait enim : « Saule, Saule, quid me persequeris [3]? » Cum videlicet Damascum curreret, Christi Discipulos vincire volens. Et rursus seipsum nudum vocat, si unus aliquis ex fratribus nudus extiterit. « Nudus enim, inquit, eram, et » cooperuistis me [4]. » Item, cum alius in carcere versatur, seipsum inclusum esse dicit. Ipse enim peccata nostra tulit, et morbos portavit. Una autem ex infirmitatibus est quod subjecti non simus, et hanc portavit. Quapropter et res adversas, quæ nobis accidunt, proprias suas facit Dominus; ob eam quam nobiscum habet societatem, perpessiones nostras suscipiens.

IX. Sed et illud, « Non potest Filius facere a se quid» quam [5], usurpant Dei hostes ad audientium eversionem.

[1] Prov. VIII, 22. — [2] 1 Cor. XV, 28. — [3] Act. IX, 4. — [4] Matth. XXV, 36, et Isaï. LVIII, 7. — [5] Joan. V, 19.

Mihi autem et hoc dictum maxime declarat ejusdem naturæ esse Filium ac Patrem. Etenim si unaquæque rationalium creaturarum aliquid a seipsa facere potest, libere in pejus meliusve inclinans, Filius autem non potest a semetipso quidquam facere; Filius creatura non est. Quod si creatura non est, Patri est consubstantialis. Ac rursus nulla creatura quodcumque vult, potest efficere : Filius autem omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terra : non est igitur creatura Filius. Et iterum, creaturæ omnes aut constant ex contrariis, aut contrariorum sunt capaces. Filius vero est ipsa justitia, et a materia secretus : proinde Filius creatura non est. Quod si creatura non est, consubstantialis est Patri.


X. Sed jam quidem satis pro viribus proposita dicta explanavimus. Jam deinceps etiam ad eos qui Spiritum sanctum oppugnant, sermonem convertamus, ut omnem animi eorum altitudinem, quæ se contra Dei cognitionem effert [1], dejiciamus. Spiritum sanctum creaturam dicis. Omnis autem creatura serva est Creatoris : « Omnia enim, inquit, sunt serva tua [2]. Si vero servus est, adventitiam quoque habet sanctitatem : quidquid autem adventitiam sanctitatem habet, capax est malitiæ : at Spiritus sanctus, cum secundum essentiam sanctus sit, fons appellatur sanctitatis : non est igitur creatura Spiritus sanctus. Quod si creatura non est, consubstantialis est Deo. Quomodo autem servum vocas, dic mihi, eum, qui te per baptismum e servitute eximit ? Nam, inquit, « Lex spiritus vitæ liberavit » me a lege peccati [3]. » Sed neque mutabilem audebis unquam ejus essentiam dicere ; si modo ad potentiæ adversæ naturam respicias, quæ fulguris in morem e cœlo lapsa est, et vera vita excidit, propterea quod ascitam externamque sanctitatem habuit, successitque consilio malo muta-

[1] 2 Cor. x, 5. — [2] Psal. cxviii, 91. — [3] Rom. viii, 2.

tio. Itaque posteaquam et unitate excidit, et angelicam abjecit dignitatem, ex moribus dictus est diabolus, extincto quidem priore ac beato habitu, excitata vero adversa illa potentia. Ad hæc si Spiritum sanctum dicit creaturam, circumscriptam ac finitam illius naturam inducit. Quomodo ergo stabit illud : « Spiritus Domini replevit orbem » terrarum [1] ? » Illud quoque, « Quo ibo a Spiritu tuo [2] ? » Sed neque ipsum natura simplicem, ut apparet, confitetur. Dicit enim ipsum numero unum. Quidquid autem unum numero est, id, ut dixi, simplex non est. Si vero simplex non est Spiritus sanctus, ex essentia et sanctitate constat : quod autem est ejusmodi, compositum est. Sed quis adeo demens fuerit, ut Spiritum sanctum dicat compositum, ac non simplicem, et Patri, et Filio consubstantialem secundum simplicitatis rationem?

XI. Quod si sermone progrediendum est, majoraque inspicienda; hinc maxime divinam sancti Spiritus potentiam contemplemur. Tria creationum genera in Scriptura nominata invenimus. Unum quidem ac primum, ex nihilo productionem : secundum vero, ex pejore in melius immutationem; tertium, resurrectionem mortuorum. In his reperies Spiritum sanctum una cum Patre et Filio operantem. Cœli enim producuntur. Quid jam dicit David? « Verbo Domini cœli firmati sunt : et Spiritu oris ejus » omnis virtus eorum [3]. » Rursus creatur homo per baptisma. « Si qua enim in Christo nova creatura [4]. » Jam quid dicit Discipulis Salvator? « Euntes docete omnes gen- » tes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti [5]. » Vides et hic una adesse cum Patre et Filio Spiritum sanctum. Quid autem dicos et de resurrectione mortuorum, postquam defecerimus, et in nostrum pulve-

[1] Sap. I, 7. — [2] Psal. CXXXVIII, 7. — [3] Id. XXXII, 6. — [4] 2 Cor. V, 17. — [5] Matth. XXVIII, 19.



rem reversi fuerimus? Terra enim sumus, et in terram ibimus; et mittet Spiritum sanctum, et creabit nos, et renovabit faciem terræ [1]. Nam quod sanctus Paulus resurrectionem dixit, id David renovationem appellavit. Rursus autem audiamus eum, qui ad tertium usque cœlum raptus est. Quid dicit? « Templum estis Spiritus sancti in vobis » inhabitantis [2]. » Templum autem omne, Dei templum est. Quod si templum sumus Spiritus sancti; Spiritus sanctus Deus est. Dicitur autem et templum Salomonis; verum tanquam ejus qui extruxit. Quod si sic sumus templum Spiritus sancti, Spiritus sanctus Deus est : « Qui enim » omnia condidit, Deus est : » si vero tanquam ejus, qui adoratur, et inhabitat in nobis, confiteamur ipsum esse Deum. « Adorabis namque Dominum Deum tuum, et illi » soli servies [3]. » Quod si eis vox illa, « Deus, » displicet; discant quid hoc nomen significet. Nimirum ex eo quod posuerit omnia, vel spectet omnia, Deus nominatur. Si igitur Deus dicitur, eo quod posuerit vel spectet omnia; Spiritus autem cognoscit omnia quæ Dei sunt, velut spiritus, qui in nobis est, novit quæ nostra sunt [4] : igitur Spiritus sanctus Deus est. Et rursus, si gladius Spiritus verbum est Dei [5], Deus est Spiritus sanctus. Illius est enim gladius, cujus etiam verbum vocatur. Quod si etiam nominatur Patris dextera, (« Dextera enim Domini fecit vir» tutem [6] : » et, « Dextera tua, Domine, percussit inimi» cos [7]; ») Dei autem digitus Spiritus sanctus est, secundum illud, « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia [8]; » id quod in alio Evangelio scriptum est : « Si ego in Spiritu Dei ejicio » dæmonia [9], » Spiritus sanctus ejusdem naturæ ac Pater et Filius.

[1] Psal. CIII, 30. — [2] 1 Cor. VI, 19. — [3] Matth. IV, 10. — [4] 1 Cor. II, 10, 11. — [5] Ephes. VI, 17. — [6] Psal. CXVII, 16. — [7] Exod. XV, 6. — [8] Luc. XI, 20. — [9] Matth. XII, 28.



XII. Atque ista quidem nobis de adoranda et sancta Trinitate in præsenti dicta sint. Nunc enim fieri nequit, ut latius exquiramus quæ ad illam pertinent. Vos vero acceptis a nostra humilitate seminibus, maturam spicam vobis ipsis excolite; siquidem et a nobis, ut nostis, exigitur talium usura. Confido autem Deo fructum allaturos vos et trigecuplum et sexagecuplum, et centuplum, ob vestræ vitæ puritatem. Nam « Beati mundo corde, quoniam » ipsi Deum videbunt [1]. » Neque vero regnum cœlorum aliud quidquam putetis, fratres, quam eorum quæ sunt contemplationem : quam etiam divinæ Scripturæ vocant beatitudinem. « Regnum enim cœlorum intra vos est [2]. » Circa internum autem hominem nihil aliud quam contemplatio consistit. Reliquum est igitur, ut contemplatio regnum sit cœlorum. Quorum enim nunc umbras videmus quasi in speculo, postmodum terreno hoc corpore liberati, et incorrupto ac immortali induti, horum archetypa videbimus. Cernemus autem, si modo vitam nostram ad id quod rectum est, direxerimus, atque recta fides curæ nobis fuerit, sine quibus nemo Dominum videbit. « Nam in ma» lignam animam, inquit, non introibit sapientia, neque » habitabit in corpore obnoxio peccato [3]. » Nemo autem reclamet, dicens : « Qui res ante pedes positas ignoras, de incorporea et prorsus immateriali essentia nobis philosopharis. » Illud enim absurdum judico, ut sensus quidem sinamus libere suis oppleri materiis ; mens vero sola a propria operatione arceatur. Ut enim sensus sensibilia, ita mens intelligibilia attingit. Simul autem et hoc dicendum, naturalia judicia documenti expertia a conditore nostro Deo indita fuisse. Visum enim nemo edocet ut percipiat colores aut figuras : neque auditum ut sonos et voces : neque olfactum, ut bene et male olentium rerum vapores :

[1] Matth. v, 8. — [2] Luc. xvii, 21. — [3] Sap. i, 4.

neque gustum ut sapores ac succos : neque tactum, ut mollia et dura, aut calida aut frigida. Neque sane quisquam mentem docebit intelligibilia assequi. Et quemadmodum sensus, si quid ipsis acciderit incommodi, egent solum curatione, et suum ipsorum munus explent facile : ita et mens carni illigata, et ortis ex ea phantasiis oppleta, fide indiget et recta vita, quæ pedes ipsius velut cervi cujusdam præparant, eamque ad alta erigunt. Hoc ipsum etiam sapiens ille Salomon admonet; ac nunc quidem nobis objicit non verecundantem opificem formicam, ac per eam nobis actuosam viam describit : nunc vero sapientis apiculæ in fingendis favis organum : ac per eam naturalem contemplationem suggerit, in qua etiam de sancta Trinitate doctrina admiscetur; siquidem ex rerum creatarum pulchritudine convenienter Creator consideratur. Sed jam gratiis actis Patri et Filio et Spiritui sancto, finem imponamus litteris : siquidem modus omnis, ut etiam est in proverbio, optimus est.

EPISTOLA IX [1].

MAXIMO PHILOSOPHO.

Laudat Basilius in Maximo amorem primariorum bonorum, suum de Dionysii Alexandrini scriptis judicium profert, et de simili secundum essentiam. Invitat ut ad se veniat (sibi enim ægrotanti et latenti in solitudine integrum non esse ad eum ire) aut saltem scribat.

I. Imagines vere animorum sunt sermones. Cognovimus itaque te ex litteris, quantum, aiunt, ex unguibus leonem:

[1] Alias XLI. Scripta circa annum 361.

gavisique sumus, quod invenerimus te haud segniter affectum erga primaria ac maxima bona, dilectionem Dei et proximi. Indicium autem facimus, hujus quidem, tuam in nos humanitatem; illius vero, studium scientiæ. Omnia autem in his duobus posita esse, nulli Christi Discipulo ignotum est.

II. Cæterum quæ postulas Dionysii scripta, venere illa quidem ad nos, et valde multa: sed non adsunt libri, et idcirco non misimus. Sententia autem nostra hæc est. Non omnia viri hujus admiramur: imo sunt, quæ prorsus etiam improbemus. Nam fere illius, quæ nunc circumstrepit, impietatis, Anomœam dico, is est, quantum quidem scimus, qui primus semina hominibus præbuerit. Causa autem, opinor, non sententiæ pravitas, sed vehemens studium Sabellio adversandi. Hunc ergo ego arborum cultori soleo comparare, detortam recentem plantam erigenti; deinde, immoderate retrahendo, aberranti a medio, et ad contrariam partem plantam abducenti. Tale aliquid et huic viro contigisse comperimus. Cum enim Libyos impietati occurreret vehementer, non intellexit se nimio contendendi studio in contrarium malum delabi. Et cum ei satis esset non idem esse subjecto Patrem et Filium demonstrare, atque hæc adversus blasphemum palmaria tenere; ut manifestam prorsus et redundantem victoriam habeat, non modo hypostaseωn alietatem statuit, sed etiam essentiæ differentiam, ac potentiæ gradus, et gloriæ diversitatem. Quare inde contigit, ut mutarit quidem malum malo, a recta autem doctrina aberrarit. Hinc etiam non sibi constat in scriptis, nunc quidem tollens consubstantiale propter eum, qui hac voce ad hypostases destruendas prave utebatur; nunc vero admittens in iis, quæ defensionis causa ad cognominem scripsit. Ad hæc de Spiritu voces emisit minime dignas Spiritu, ab adorata illum Deitate sejungens et in

inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans. Vir igitur ille est ejusmodi.

III. Ego vero, si mea ipsius exponenda sententia, « Si» mile secundum essentiam, » si modo illud, « Citra diffe» rentiam ullam, » adjunctum habeat, suscipio, ut eodem rediens ac consubstantiale, secundum sanam videlicet Consubstantialis sententiam. Quod cum intelligerent Nicæni patres, postquam, « Lumen de lumine, et Deum ve» rum de Deo vero, » et aliis ejusmodi nominibus Unigenitum appellarunt, consequenter Consubstantiale adjecere. Neque igitur luminis a lumine, neque veritatis a veritate, neque Unigeniti essentiæ a Patris essentia, ulla unquam excogitari differentia potest. Itaque si quis ita, ut dixi, acceperit, admitto vocem. Si quis autem illud, « Citra ullam » differentiam, » abscindat a simili, id quod Constantinopoli factum est, suspectum habeo verbum, ut Unigeniti gloriam imminues. Nam in imaginibus etiam obscuris et quæ plurimum ab exemplaribus dissident, simile concipere non raro solemus. Quoniam igitur Consubstantiale arbitror minus esse fraudi obnoxium, sic et ipse profiteor. Sed cur non accedis ad nos, o optime, ut coram de ejusmodi rebus colloquamur inter nos, nec res tanti momenti inanimis litteris committamus, præsertim cum alioqui nostra vulgare non omnino statuerimus? Ne igitur et ipse nobis dicas illud Diogenis ad Alexandrum, tantumdem esse huc a vobis, et istuc a nobis viæ. Nos enim præ infirmitate fere, plantarum in morem, eodem semper loco detinemur; prætereaque illud, « Latitare in vita, » inter primaria bona ducimus. Tu autem vales, ut audio, et præterea cum te ipsum orbis terrarum civem feceris, æquum est ut huc etiam ad nos, tanquam ad aliquam tuæ patriæ partem ventites. Nam si vobis actuosis competunt populi et urbes, quibus recte facta ostenditis; at nobis ad contemplationem et mentis

meditationem, qua Deo conjungimur, optima adjutrix requies: quam multam atque abundantem in hoc secessu metitimus; quod quidem cum ipso dictum sit, qui illam nobis suppeditat, Deo. Quod si omnino colendi potentatus sunt, ac nos qui humi jacemus contemnendi; tu certe alia scribas, et ita nos exhilares.

EPISTOLA X [1].

AD VIDUAM.

Basilius Dionysium mittit ad ipsius matrem, ut eam in solitudinem alliciat; velut columba cicur unguento oblita emittitur, ut alias odore attrahat.

Talis quædam ars est columbas aucupandi. Postquam unam cœperunt qui ejusmodi rebus operam dant, eamque cicurem ac secum vescentem effecerunt: tum vero illius alis unguento oblitis, ipsam conjungi sinunt externis. Unguenti autem illius fragrantia liberum illum gregem ei, cujus ipsa cicur est, possessionem addit. Nam fragrantiam secuntur et reliquæ, tectumque subeunt. Sed quo consilio inde exordior epistolam? Postquam cœpi filium Dionysium, olim Diomedem, atque illius animæ alas divino unguento inunxi; misi ad tuam dignitatem, ut et ipsa una cum eo convoles, et nidum petas quem apud nos is, quem dixi, compegit. Quod si dum vivo, hæc viderim, ac dignitatem tuam ad sublime vitæ genus translatam; multis personis Deo dignis opus mihi erit, ut ei debitum honorem adimpleam.

[1] Alias CLXXV. Scripta in secessu.

EPISTOLA XI [1].

Sine inscriptione, amicitiæ ergo.

Basilius diem festum celebraverat cum filiis unius ex amicis suis, quem per eos salutat, ac hortatur, ut si curis Dei dono exolvatur, secum vitam traducat.

Postquam Dei gratia diem sanctum transegimus cum filiis nostris, ac vere perfecta solemnia celebravimus Domino, ob eximium eorum in Deum amorem; sanos præmisimus ad tuam præstantiam, Deum benignissimum precantes, ut et ipsis detur pacificus Angelus adjutor ac viæ comes, teque sanum, et in omni tranquillitate constitutum reperiant: ut ubicumque fueritis, servientes Domino, eique gratias agentes, lætitiam nobis, dum in hoc mundo sumus, fama rerum vestrarum afferatis. Si vero Deus sanctus tribuat tibi, ut quam citissime ab istis curis expediaris, rogamus ut nihil antiquius habeas, quam ut vitam degas nobiscum. Existimo enim te non inventurum qui ita diligant, et amorem vestrum tanti faciant. Quandiu igitur, Deo dispensante, separati erimus, des operam ut nos ad omnem occasionem litteris consoleris.

[1] Alias CCXXXIX. Scripta in secessu.

EPISTOLA XII [1].

OLYMPIO.

Olympium perurbane hortatur Basilius ut sæpiu ad se scribat.

Scribebas nobis prius pauca, nunc vero ne pauca quidem : ac videtur breviloquentia tempore progrediens omnino fieri taciturnitas. Redi itaque ad consuetudinem, quandoquidem non amplius queremur, quod laconice ad nos scribas ; sed et breves litteras, ut magni tui amoris argumenta, plurimi faciemus. Tantum nobis scribe.

EPISTOLA XIII [2].

OLYMPIO.

Amica salutatio.

Quemadmodum res cæteræ, sua quæque tempestate mature proveniunt, vere quidem flores, æstate vero spicæ, et autumno malum : ita hyemis fructus sunt sermones.

[1] Alias clxxi. Scripta videtur in secessu. — [2] Alias clxxii. Scripta videtur in secessu.

EPISTOLA XIV [1].

GREGORIO SODALI.

Basilius significat Gregorio sibi statutum esse non expectare illius adventum, sed statim proficisci ad suam Ponti solitudinem: situm hujus loci pluribus describit: ac Tiberiam pro illo lepide contemnit.

I. Ego cum frater Gregorius ad me scripsisset velle se jampridem nobiscum congredi, tibique addidisset idem etiam statutum esse; partim quia sæpe deceptus sum, segnior ad credendum factus, partim et negotiis distractus, expectare non potui. Mihi enim jam in Pontum migrandum est, ubi forte aliquando, Deo volente, finem oberrandi faciemus. Nam cum vix tandem projecissem spes inanes, quas de te quondam habebam, imo, si verius loquendum est, somnia, (nam mihi probatur qui spes vigilantium somnia esse pronuntiavit) abscessi in Pontum vitæ institutum quærens. Illic mihi Deus agrum ostendit cumulate moribus meis congruentem, ita ut qualem sæpe feriantes ac lusitantes animo fingere solemus, talem reipsa videamus.

II. Mons enim est altus, densa sylva contectus, frigidis ac limpidis aquis septentrionem versus irriguus. Hujus ad radices supinus campus substernitur, humoribus ex monte defluentibus jugiter pinguescens. Huic autem sylva sponte circumfusa variarum omnisque generis arborum, ei est propemodum septi loco ac valli, adeo ut exigua sit, si cum eo comparetur, vel ipsa Calypsus insula, quam omnium plurimum Homerus ob pulchritudinem miratus vi-

[1] Alias XIX. Scripta post annum 360 antequam esset presbyter.

detur. Parum enim abest quin insula sit, quatenus septis in orbem undelibet clauditur. Nam profundis voraginibus ex duabus partibus præruptus est : a latere vero amnis e præcipiti labens est et ipse murus continuus, ascensuque difficilis. Mons autem utrinque extentus et per curvatos anfractus voraginibus junctus, per vias montis infimas partes intercludit. Habent autem infimæ illæ partes aditum unum, cujus nos domini sumus. Porro habitationem aliæ quædam fauces excipiunt, altam quamdam cervicem in vertice erigentes, sic ut campus ob oculos expassus pateat, liceatque e sublimi fluvium etiam circumfluentem intueri: qui, ut mihi quidem videtur, non minorem oblectationem affert, quam Strymon ex Amphipoli aspicientibus. Hic enim fluento lentiore restagnans, etiam præ quiete fluvius esse fere desinit : ille vero omnium, quos ego viderim, fluviorum celerrime fluens, ex vicina rupe non nihil fit asperior : a qua sese refundens, in profundum verticem convolvitur ; atque adeo mihi et cuivis intuenti aspectum omnium jucundissimum, incolisque commoditatem uberrimam præbet, ac piscium innumerabilem copiam in verticibus nutrit. Quid attinet exhalationes a terra manantes, aut auras e fluvio commemorare? Florum sane aut canorarum avium multitudinem alius fortasse miretur : sed mihi his animum advertere non vacat. Quod autem maximum de hoc loco dicere possumus, illud est, quod cum ob situs opportunitatem ad omnes fructus proferendos idoneus sit, unum omnium mihi jucundissimum quietem ac tranquillitatem alit; non solum quatenus ab urbanis tumultibus liber est, sed etiam quia ne viatorem quidem ullum ad nos transmittit, si eos excipias, qui inter venandum nobiscum miscentur. Nam præter reliqua feras etiam enutrit, non ursos aut lupos vestros (absit) sed cervorum atque sylvestrium caprarum greges, leporesque, et si quid

his simile. Num igitur cogitas, quo ego periculi stultus venerim, cum hujusmodi sedem Tiberina, orbis terrarum barathro, commutare cuperem? quem ad locum nunc properanti veniam dabis. Nam profecto nec Alcmæon inventis Echinadibus amplius oberrare voluit.

EPISTOTA XV [1].

ARCADIO COMITI PRIVATARUM.

Basilius Arcadio commendat cives metropolis.

Dedere majus beneficium quam accepere metropolis nostræ cives, cum mihi litterarum ad tuam dignitatem occasionem obtulerunt. Illis enim humanitas, cujus causa epistolam acceperunt a nobis, etiam ante litteras nostras parata erat, ob consuetam et tibi natura insitam in omnes comitatem. Nos autem occasionem salutandæ probitatis tuæ non imitabilis in maximo lucro duximus: precantes Deum sanctum, ut te ei magis ac magis placente, et rerum tuarum splendore majorem in modum crescente, cum ipsi lætemur, et cum his, qui ex tua potestate beneficia percipiunt, gaudeamus: tum etiam aliquando eos, qui nostras tibi litteras in manus tradiderint, ita redeuntes excipiamus, ut cum omnibus lenitatem tuam laudent, semperque perspiciant non inutilem sibi deprecationem nostram apud tuam eximiam beneficentiam extitisse.

[1] Alias cccxv. Scripta in secessu.

EPISTOLA XVI [1].

ADVERSUS EUNOMIUM HÆRETICUM.

Refellitur Eunomii temeritas divinæ naturæ comprehensionem sibi arrogantis, cum ne minutissimorum quidem animalium cognitionem investigando assequi posset.

Qui eorum, quæ sunt, investigationem comparari posse dicit, is procul dubio via quadam et ordine mentem suam ad eorum, quæ sunt, cognitionem appulit; et in rebus captu facilibus et minutis exercitatus, ita demum per hanc cognitionem, ad eam quoque quæ cogitationem omnem superat, suam comprehendendi facultatem promovit. Qui igitur eorum quæ sunt cognitionem apprehendisse se gloriatur, is animalis minutissimi ex iis quæ in conspectum cadunt, naturam explicet, et quæ sit formicæ natura dicat: an spiritu et anhelitu contineatur ipsius vita : an corpus ossibus distinctum : an compages nervis atque ligamentis firmata : an musculorum et glandularum ambitu contineatur nervorum situs : an medulla a sincipite ad caudam usque una cum dorsi vertebris protendatur : an membris quæ moventur, ex nervosæ membranæ complexu motum imprimat : an sit in ipsa jecur, et in jecore vas quoddam, quod fel suscipiat, sint-ne renes, et cor, et arteriæ, et venæ, et pelliculæ, et diaphragmata : sit-ne animal nudum, an pilosum : utrum ungulas indivisas, an pedes multifidos habeat : item quanto tempore vivat, et quomodo aliæ alias gignant : quandiu gestetur fœtus, et quomodo neque omnes

[1] Alias CLXVIII. Scripta imperante Juliano.

formicæ pedestres sint, neque omnes alatæ; sed repentibus humi aliis, aliæ per aërem ferantur. Qui ergo de eorum quæ sunt cognitione gloriatur, interim formicæ nobis explicet naturam; atque ita demum ejus potestatis, quæ intellectum omnem superat, naturam scrutetur. Quod si minutissimæ formicæ naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilem Dei naturam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris?

EPISTOLA XVII [1].

ORIGENI.

Laudat Basilius Origenis scripta et susceptam veritatis defensionem: persecutorum prædicit exitium: Origeni ejusque filiis prospera omnia precatur.

Et dum audiris, oblectas; et dum legeris, per scripta majori nos afficis lætitia. Ac Deo quidem optimo gratiæ multæ, qui fecit, ut nihil detrimenti acciperet veritas ex eorum proditione, qui summam videlicet potestatem habent: sed per vos defensionem doctrinæ veritatis implevit. Illi quidem velut cicuta aut aconitum, et si qua est alia exitialis herba, brevi tempore cum floruerint, illico exarescent. Vobis vero Dominus mercedem efflorescentem ac semper novam ob ea, quæ pro ipsius nomine locuti estis, largietur. Propter quæ det vobis Dominus et prosperitatem omnem domesticam, et in filios filiorum benedictionem transmittat. Cæterum liberos tuos nobilissimos, expressam bonitatis tuæ effigiem, vidi libenter atque amplexus sum, precorque illis quidquid ipse pater precetur.

[1] Alias CCCLXXXIV. Scripta imperante Juliano.

EPISTOLA XVIII [1].

MACARIO ET JOANNI.

Hortatur Basilius Macarium et Joannem, ut spe regni cœlestis, quæ sola non fallit, nec potentium minis, nec falsorum amicorum vituperiis a pietate deterreantur.

Neque agricolis agriculturæ novi sunt labores, neque nautis pelagi tempestas inexpectata, neque operariis mercede conductis æstivus sudor insolitus; nec profecto his, qui piam vitam elegerunt, mundi hujus afflictio improvisa. Sed unicuique eorum, quos diximus, proprius ac notus artem exercentibus adjunctus est labor, non ille quidem propter se eligendus, sed ad bonorum expectatorum perfruitionem. Spes siquidem, quæ hominum omnem continent ac consociant vitam, insitam unicuique harum rerum difficultatem consolantur. Atque ex iis quidem, qui pro terræ fructibus aut rebus terrenis desudant, alios spes omnino frustratæ sunt, cum cogitatione tenus expectatis potiti essent : quibus autem etiam ex sententia processit eventus, iis spe altera iterum opus fuit, prætorlabente ac marcescente celeriter priore. Verum iis solis qui pro pietate laborant, nec mendacium abolevit expectationem, nec finis labores labefactavit, stabili ac firmo excipiente cœlorum regno. Vos ergo non conturbet mendax calumnia, nec minæ terreant eorum, qui summam potestatem habent : non risus contristet aut contumelia familiarium, nec condemnatio ab hominibus curam et studium præ se ferenti-

[1] Alias ccxi. Scripta videtur sub Juliano.

bus, a quibus fortissima ad decipiendum esca prætenditur, simulata adhortatio; quandiu veritatis doctrina nobis patrocinabitur. His autem omnibus obluctetur recta ratio, defensorem sibi advocans et adjutorem, magistrum pietatis Dominum nostrum Jesum Christum, pro quo et pati dulce est, et mori lucrum [1].

EPISTOLA XIX [2].

GREGORIO SODALI.

Per Petrum Basilius rescribit Gregorio, cujus laconicas in epistolas jocatur.

Litteræ venerunt mihi non ita pridem a te, plane tuæ, non tam indiciis manus, quam propriis epistolæ notis. Pauca enim erant verba sententiam uberem exhibentia. Ad quas statim non respondimus, quod nos quidem peregre essemus, tabellarius vero, cum epistolam uni familiarium nostrorum dedisset, propere discesserit. Sed nunc per Petrum alloquimur te, simul et salutationis persolventes debitum, et occasionem alterius epistolæ præbentes. Omnino autem nullus labor epistolæ laconicæ, quales sunt, quæ a te subinde ad nos perveniunt.

[1] Philip. I, 21. — [2] Alias III. Scripta videtur Cæsareæ, cum esset presbyter.

EPISTOLA XX [1].

LEONTIO SOPHISTÆ.

Amice objurgat Leontium Basilius, quod raro scribat; eumque probat inexcusabilem esse, utpote nunquam carentem occasionibus scribendi, ac præterea sophistam: sibi vero excusationem petit, tum ex crebris occupationibus, tum quia non jam eo utitur dicendi genere, quod placeat sophistis. Mittit sua adversus Eunomium opera.

Raræ quidem tibi et a nobis litteræ; non tamen rariores quam tuæ; idque, cum multi continenter a vobis ad nos venerint. Quibus singulis si ordine litteras commisisses, nihil impediret quominus videremur una tecum esse, teque perinde frui, ac si adessemus, et tecum versaremur: adeo continua fuit multitudo ad nos venientium. At cur non scribis, cum quidem negotium nullum sit sophistæ scribere? Imo si manus pigra est, ne scribere quidem opus erit; alius enim tibi dabit operam. Lingua autem sola opus est, quæ etiamsi nos non alloquatur, at profecto unum ex iis, qui tecum sunt, alloquetur. Quod si nemo adsit, secum ipsa loquetur; tacebit autem nequaquam, cum sit et sophistica et attica: non magis, quam lusciniæ, quando eas vernum tempus ad canendum excitaverit. Nobis enim crebræ illæ occupationes, quibus nunc distinemur, excusationem fortasse afferant, si litteris desimus: et quædam veluti sordes ex continuo vulgaris sermonis usu jam contractæ non immerito deterrent, quominus vos sophistas alloqua-

[1] Alias LXXXIII. Scripta anno 364.

mur; qui nisi sapientia vestra dignum aliquid audieritis, indignabimini, nec perferetis. Te vero contra æquum est tuam vocem ad omnem occasionem promulgare, cum sis maxime omnium quos novi Græcorum ad dicendum idoneus : novi enim, ut puto, qui inter vos sunt celeberrimi : quare nulla excusatio tacenti. Atque hæc quidem hactenus. Misi autem et scripta adversus Eunomium, quæ quidem utrum lusus dicenda sint, an lusu paulo graviora, tibi ipsi judicandum relinquo : qui quod attinet quidem ad tuam ipsius personam, his, opinor, non amplius indiges : sed adversus perversos, in quos incideris, telum tibi non infirmum futurum spero; non quod ita multum scripti robore confidamus, sed quod probe sciamus idoneum te esse, qui ex paucis argumentis multa invenias. Quod si quid tibi infirmius, quam esse oportebat, videbitur, redarguere ne pigreris. Hoc enim potissimum amicus ab adulatore differt, quod hic quidem ad delectationem loquitur, ille vero ne molesta quidem prætermittit.

EPISTOLA XXI [1].

LEONTIO SOPHISTÆ.

Accusatus in superiore epistola Leontius, quod non scriberet, videtur in ipsum Basilium crimen convertisse, et Julianum accusasse quod litteras suas non reddidisset. Unde perurbane Basilius et se et Julianum defendit.

Videtur aliquid ex communi rerum statu in propriis suis bonus Julianus percipere. Reposcitur enim et ipse, et ac-

[1] Alias CCCLXIII. Scripta anno 364.

cusatur vehementer, quandoquidem nunc omnia iis, a quibus exigitur, quique accusantur, redundant. Non tamen tributorum debitiones sunt, sed epistolarum. Quanquam, quomodo debitor sit, ignoro : semper enim epistolam dedit, atque hanc detulit. Nisi forte et apud te celeberrimum illud quadruplum primas obtinet. Neque enim tanti æstimavere Tetractyn Pythagoræi, quanti nunc quadruplum qui pecunias publicas colligunt. Et forte contrarium fieri par erat, ut qui sophista es, ac tanta dicendi copia affluis, mihi ipse quadruplo solvendo obstrictus esses. Nec me existimes hæc succensentem scribere. Oblector enim tuis etiam reprehensionibus; siquidem a pulchris aiunt omnia cum pulchritudinis accessione fieri; adeo ut et dolere et irasci non eos dedeceat. Libentius sane viderit quis amicum irascentem, quam alium colentem. Nunquam igitur desinas talia incusare. Litteræ enim erunt ipsæ criminationes, quibus mihi nullus sermo charior, quique majorem ferat voluptatem.

EPISTOLA XXII [1].

De perfectione vitæ monasticæ.

Monasticæ vitæ officia breviter exponit Basilius non appositis Scripturæ testimoniis, sed hac pertractandi ratione in aliud tempus dilata.

I. Multa cum sint, quæ divinitus inspirata Scriptura iis, qui Deo student placere, observanda declarat; de his solis interim, de quibus nunc apud vos commota quæstio est,

[1] Alias ccccxi. Scripta videtur ante annum 366.

ut didici ex ipsa sacra Scriptura, brevem admonitionem subjicere necessarium esse duxi; ita ut de quaque re testimonium, haud sane ad percipiendum difficile, agnoscendum iis relinquam, qui in legendo exercentur et alios submonere poterunt. Oportet Christianum ea quæ vocatione cœlesti digna sunt, sentire, ac dignam Evangelio Christi vitam degere. Non oportet Christianum animo evagari, neque ulla re a recordatione Dei, ejusque placitorum et judiciorum abduci. Oportet Christianum, justificationes legis in omnibus transcendentem, neque jurare, neque mentiri. Non oportet blasphemare : non contumelia afficere : non pugnare : non semetipsum ulcisci : non malum pro malo reddere : non irasci. Oportet quacumque læsum injuria patientem esse, atque tempestive eum qui læsit redarguere, non propriæ vindictæ studio, sed correctionis fraternæ secundum mandatum Domini. Non oportet in absentem fratrem quidquam dicere, illius traducendi consilio, quod quidem obtrectatio est, etiamsi vera sint quæ dicuntur. Aversari de fratre detrahentem oportet. Scurrilia non proferenda. Non ridendum, nec perferendi dicaces. Non loquendum otiose, aliquid proferendo, quod nec ad utilitatem audientium pertineat, nec ad necessarium et concessum nobis a Deo usum : adeo ut et laborantes studeant, quantum fieri potest, silentio laborare; bonos autem ipsos sermones iis proponant, quibus commissum est prudenter dispensare sermonem ad ædificationem fidei; ne sanctus Dei Spiritus afficiatur tristitia. Non oportet ut quisquam ex supervenientibus libere accedat ad fratrum aliquem aut colloquatur, antequam ii, quibus cura disciplinæ in omnibus servandæ commissa est, expenderint an ita placeat Deo, ut aliis prodesse possit. Non oportet vino inservire, neque carnis teneri desiderio, nec ullo prorsus in cibo aut potu voluptatem quærere; nam qui certat, ser-

vat temperantiam in omnibus. Nihil eorum, quæ utenda unicuique traduntur, oportet habere ut proprium, aut reservare; sed tamen quod spectat ad curam et sollicitudinem, omnibus, ut ad Dominum pertinentibus, attendentem, nihil eorum quæ projecta aut neglecta sunt, si ita acciderit, præterire. Non oportet quemquam vel sui ipsius dominum esse, sed velut a Deo traditum in servitutem fratribus unanimis, ita et sentire omnia, et facere; unumquemque tamen in suo ordine.

II. Non oportet murmurare, nec in rerum necessariarum angustiis, nec in operum labore, quandoquidem unumquodque judicii est eorum, quibus commissa rerum illarum potestas. Nec clamor fieri debet, nec quævis alia species, aut motus ex quo significetur iracundia, aut animi aberratio ab hac persuasione, Deum esse præsentem. Oportet vocem usu metiri. Non oportet petulanter aut contemptim cuiquam respondere, aut quidquam facere, sed in omnibus modestiam atque reverentiam erga omnes ostendere. Non oculis innuendum est cum dolo; nec alia quælibet species adhibenda, aut membri motus qui fratri afferat tristitiam, aut contemptum indicet. Ornatus in vestibus aut calceis quæri non debet; quod quidem vana ostentatio est. Viliora quæque adhibenda ad usum corporis. Nihil ultra id quod necessarium est, aut ad magnificentiam insumendum; quod quidem abusus est. Honor exquirendus non est, aut ambiendus primatus. Debet unusquisque cæteros sibi anteferre. Non oportet inobsequentem esse. Non oportet otiosum comedere eum, qui laborare potest : sed et qui occupatur in eorum aliquo, quæ ad Christi gloriam præclare fiunt, vim sibi ipsi facere debet ad studium operis pro viribus conficiendi. Oportet unumquemque, præpositis approbantibus, cum ratione et æquanimitate ita omnia facere, usque ad ipsum etiam esum et potum, ut ad Dei gloriam refe-

renda. Non oportet ab uno ad alium laborem transire, citra approbationem eorum qui sunt rebus ejusmodi moderandis præpositi; nisi quempiam ineluctabilis necessitas ad auxilium debilioris subito vocaverit : debet unusquisque manere in eo quod ipsi præscriptum est; nec propriam mensuram transgrediens, aggredi non præscripta; nisi ii, quibus hæc commissa sunt, aliquem auxilio indigere judicaverint. Non oportet reperiri quempiam ab alia officina in aliam abeuntem. Nihil ex contentionis studio aut ex simultate cum aliquo suscepta faciendum.

III. Invidendum non est alterius laudi, neque cujusquam vitiis lætandum. Oportet in charitate Christi dolere et affligi de fratris vitiis, gaudere vero ob illius recte facta. Non oportet indifferentem esse erga peccantes, aut silentio eos tolerare. Oportet ut qui redarguit, cum omni commiseratione redarguat ex Dei timore, et eo consilio ut convertat peccantem. Oportet ut qui redarguitur aut increpapatur, libenter id accipiat, suam ipsius in increpatione utilitatem agnoscens. Non oportet ut, cum aliquis accusatur, alius coram illo aut coram aliis nonnullis contradicat accusanti. Quod si quando accusatio videatur alicui a ratione aliena, privatim coarguentem interrogare debet, atque vel satisfacere, vel acquiescere. Oportet unumquemque quantum in se est, ei, qui adversum se aliquid habuerit, mederi. Non succensendum ei, quem peccasse pœnitet, sed ex corde condonandum. Oportet eum, qui peccati pœnitere se dicit, non compungi solum ob peccatum admissum, sed fructus etiam pœnitentiæ dignos facere. Qui pro prioribus peccatis correptus est, ac veniam consecutus, is si rursus peccaverit, deterius priore comparat sibimetipsi judicium iræ. Qui post primam et alteram admonitionem permanet in delicto, suo indicandus præposito, si forte eum a pluribus correptum pudeat. Quod si ne sic quidem emen-

datus fuerit, deinceps excindendus est, ut scandalum, atque habendus pro ethnico ac publicano ad securitatem eorum, qui obedientiam sibi studio habent, secundum id quod dictum est : « Impiis cadentibus, justi timore corri-» piuntur. » Sed et deflendus est, ut membrum a corpore abscissum. Non oportet in iracundia fratris solem occidere, ne nox utrumque separet, ac in die judicii crimen ineluctabile relinquat. Tempus non protrahendum ad sui emendationem, eo quod non constet de crastina; quippe cum multi post multa consilia, crastinum non adepti sunt. Non oportet ventris satietate decipi, ex qua imagines nocturnæ nascuntur. Non oportet distrahi opere immoderato, nec debet quisquam frugalitatis terminos excedere, secundum Apostolum dicentem : « Habentes autem alimenta, et » quibus tegamur, his contenti erimus [1]; » propterea quod copia ultra necessitatem perducta imaginem avaritiæ exhibet, avaritia vero idololatriæ nomine damnatur [2]. Non oportet argenti cupidum esse, neque thesauros colligere in res inutiles quæ non conveniant. Oportet ut qui ad Deum accedit, paupertatem amplectatur in omnibus, et confixus sit timore Dei, secundum eum qui dicit; « Confige timore » tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui [3]. » Det autem Dominus, ut quæ diximus cum omni æquanimitate suscipientes, ad Dei gloriam dignos fructus Spiritus, Dei beneplacito, atque Domini nostri Jesu Christi auxilio ostendatis. Amen.

[1] I Tim. VI, 8. — [2] Col. III, 5. — [3] Psal. CXVIII, 120.

EPISTOLA XXIII [1].

COMMENDATITIA AD MONACHUM.

Cum quidam in eo loco, ubi tunc erat Basilius, monasticam vitam amplecti vellet, distulit eum Basilius volens eum in monasterio suo suscipere; sed nunc, mutato consilio, eum mittit, ac præcipit ut se non expectato suscipiatur, eique aliquis, quem ipse elegerit, præficiatur vitæ sanctioris magister.

Ille, ut ait, condemnans vitæ hujus vanitatem, atque exploratum habens præsentis vitæ oblectamenta hic finem habere, materiam duntaxat æterno igni præparantia, et cito transeuntia, convenit me volens ab hac misera valdeque luctuosa vita secedere, ac relictis carnis voluptatibus deinceps viam ad Domini mansiones deducentem ingredi. Quoniam ergo, si instituti vere beati sincero desiderio tenetur, habetque in sua anima bonum ac laudabilem amorem, diligens Dominum Deum ex toto corde, et ex totis viribus et ex tota mente, necesse est ut illi ob oculos vestra pietas arctæ ac coangustatæ viæ incommoda et asperitates ponat, eumque constituat in spe bonorum, quæ nunc nondum videntur, sed in promissionibus reposita sunt his, qui Domino digni fuerint; idcirco per epistolam adhortor incomparabilem vestram in Christo perfectionem, ut eum, si fieri potest, instituatis, et sine me renuntiationem illi secundum Dei beneplacitum conficiatis, ac informetur et elementis imbuatur secundum ea, quæ a Patribus sanctis statuta et scriptis mandata sunt; deinde ei proponantur omnia

[1] Alias CCCLXXXIII. Scripta videtur Cæsareæ cum esset presbyter.

quæcumque ad vitæ asceticæ accuratam rationem attinent, et sic admittatur, labores pro pietate sponte suscipiens, ac sese suavi Domini jugo submittens; et ad imitationem illius, qui propter nos egenus factus est carnemque gestavit[1], vitam instituens, ac secundum propositum currens ad vocationis supernæ præmium, laudem a Domino consequatur. Ego enim illum hic amoris erga Deum coronam accipere studentem distuli, volens ipsum cum vestra pietate inungere ad ejusmodi certamina, et unum ex vobis, quem ipse petierit, magistrum ei præficere, qui eum præclare exerceat, et intenta ac beata sollicitudine spectatum athletam efficiat, principem tenebrarum hujus sæculi et spiritualia nequitiæ[2], quibuscum nobis secundum beatum Apostolum lucta est, vulnerantem et prosternentem. Quod ergo volebam vobiscum agere, vestra in Christo dilectio etiam sine me perficiat.

EPISTOLA XXIV [3].

ATHANASIO, Athanasii episcopi Ancyræ patri.

Negat Basilius se calumniis facile credidisse; hortatur Athanasium, ut nullum illis det locum ac liberos, ut par est, diligat.

Ut hominis vita calumniis superior sit, id ex rebus difficillimis unam esse, ne dicam ex iis, quæ fieri non possint, et mihi persuasum est, et tuæ probitati dubium arbitror non esse. Sed nullam ex se ausam, neque iis, qui res accurate observant, neque iis, qui injuriæ causa lapsibus nostris

[1] 2 Cor. VIII, 9. — [2] Ephes. VI, 12. — [3] Alias LIV. Scripta ante annum 369.

insidiantur, præbere; id et fieri potest, et hominum est prudenter et accommodate ad pietatis normam viventium. Nos autem non adeo faciles esse arbitreris, aut adeo credulos, ut sine examine a quibusvis obtrectationes admittamus. Meminimus enim spiritualis præcepti, vanum rumorem admittendum non esse admonentis [1]. Sed tamen quoniam vos ipsi, qui dicendi arti datis operam, ea quæ apparent non apparentium signa esse dicitis; illud censemus (nec moleste feras, si quid a nobis docentium more dicetur. Nam infirma mundi et abjecta elegit Deus, ac sæpe per hæc electorum salutem dispensat [1]) quod, inquam, dico admoneoque, illud est: ut sermonem omnem et omnem decoram actionem considerate exequamur, et secundum Apostoli præceptum nullam demus illa in re offensionem [2]. Decere enim arbitror, ut qui multum in doctrina percipienda exsudavit, gentiumque et urbium gubernacula tenuit, ac magnam progenitorum virtutem æmulatur, ipsius vita in virtutis exemplum proponatur. Porro amorem erga liberos non verbis nunc demonstrare debes, qui utique jampridem demonstrasti, ex quo pater factus es; nec naturali solum amore uti, quem etiam bruta animantia fœtibus suis exhibent, uti et tu dixisti, et experientia declarat: sed dilectionem etiam animi inductione et voluntate intendere, eo magis quod eos tales esse vides, qui paternis votis digni sint. Quare non opus est hæc nobis persuaderi, cum satis sit testimonium quod ex rebus ipsis percipitur. Illud autem veritatis causa non intempestivum adjicere, fratrem Timotheum chorepiscopum non esse, qui rumores ad nos detulerit. Nam nec coram, neque per litteras parvi quidquam aut magni, quod calumniæ affine esset, de te locutus deprehenditur. Quamobrem aliquid nos audivisse non negamus: sed affirmamus Timotheum non esse, qui tibi struxe-

[1] Exod. XXIII, 1. — [1] 1 Cor. 1, 27. — [2] 2 Cor. VI, 3.

rit calumnias. Omnino autem audientes, si nihil aliud, illud certe Alexandri faciemus, ut calumniam patienti alteram aurem integram reservemus.

EPISTOLA XXV [1].

ATHANASIO EPISCOPO ANCYRÆ.

Amica et charitatis plena expostulatio cum Athanasio Ancyrano, qui Basilium nec per litteras admonitum, nec per communem aliquem amicum, palam et aperte insectabatur et minabatur, ac omnibus Cæsarea venientibus dicebat noxas quasdam ab eo scribi et componi.

I. Nuntiarunt mihi quidam ex his, qui Ancyra ad nos veniunt, multi autem sunt hi, ac ne numerare quidem facile sit; uno autem ore omnes referentes, te charum caput (quomodo verbis utar lenissimis?) non suavissime nostri meminisse, neque pro tuis moribus. Me vero nihil rerum humanarum, probe scias, percellit, nec cujusquam ex omnibus inexpectata immutatio; cum dudum naturæ imbecillitatem et in contraria mutabilitatem perspexerim. Unde neque, si quid rerum nostrarum retro sublapsum est, et ex pristino honore convicia atque injuriæ nobis nunc fiunt, id magni facio. Sed illud mihi revera præter opinionem et instar monstri visum est, cum te esse, qui ita erga nos affectus sis, ut irascaris nobis, ac succenseas, imo etiam jam minas aliquas intentes, ut referunt qui audivere. Ac minas quidem omnino (verum enim dicetur) irrisi. Equidem essem omnino puer, si ejusmodi formidarem terricula.

[1] Alias LIII. Scripta ante annum 369.

Hoc vero mihi et terribile et multa dignum sollicitudine visum est, quod integritas tua, quam inter paucos tum rectæ fidei firmamentum, tum veteris ac veræ dilectionis semen in solatium ecclesiis servari credimus, usque adeo præsentis rerum status particeps sit, ut quorumlibet hominum calumniæ plus apud te valeant, quam longa nostri experientia, et ad rerum absurdarum suspicionem sine argumentis abducaris. Quanquam, quid dico suspicionem? Qui enim indignatus est ac minatus, ut de te referunt, non suspicantis, sed jam clare et explorate persuasi videtur quodam modo iracundiam declarasse.

II Sed, ut dixi, in hoc tempus causam rejicimus. Nam quanti laboris erat, o admirande, in brevi epistola, quibus de rebus velles, velut solum cum solo colloqui : aut si litteris res ejusmodi non crederes, nos ad te accersere? Quod si hæc omnino renuntiare oportebat, ac dilationi spatium non dabat difficilis ad coërcendum iracundia; at certe unum aliquem ex familiaribus, et ad tegenda arcana idoneis licebat sermonis ad nos perferendi ministrum adhibere. Nunc vero quis est ex iis, qui ad vos qualiumcumque negotiorum causa proficiscuntur, cujus aures hoc sermone non circumsonuerint, noxas quasdam a nobis scribi et componi? Nam isto te vocabulo usum esse aiunt, qui totidem verbis tua referunt. Me autem multa animo et cogitatione versantem, nihil quidquam de consilii inopia eximit. Quare et aliquid tale mihi in mentem venit, num quis hæreticus dolose suis ipsius Scriptis nomen meum ascribens, rectitudini tuæ molestiam crearit, atque ad vocem istam emittendam adegerit. Non enim iis, quæ a nobis scripta sunt adversus eos, qui Filium et Deum Deo et Patri secundum essentiam dissimilem dicere ausi sunt, aut adversus eos, qui Spiritum sanctum creaturam et opificium esse blasphemo ore docuerunt, contumeliam hanc facere voluisses, qui magna illa ac

celebria certamina pro recta fide pertulisti. Liberabis autem nos ab hac sollicitudine, si modo volueris, quæ te ad hanc in nos offensionem commoverint, aperte significare.

EPISTOLA XXVI [1].

CÆSARIO GREGORII FRATRI.

Cæsarium Basilius in eo terræ motu, qui Nicæam evertit, mirabiliter servatum hortatur, ut gratias re et opere Deo persolvat ac eamdem semper mentem retineat, quam in ipso periculi articulo habuerat.

Gratia Deo, qui mirabilia sua et in te ostendit, teque ex tali morte servavit patriæ ac nobis amicis [2]. Reliquum jam est, ut ingrati non videamur, nec indigni beneficio tanto, sed pro viribus enarremus Dei miracula, et quam re experti sumus benignitatem, eam celebremus; nec verbis tantum persolvamus gratias, sed et opere tales simus, qualem et nunc esse te persuasum habemus, facta ex miris in te editis conjectura. Atque ut adhuc magis Deo servias hortamur, accessionibus semper timorem augens, et ad perfectionem progrediens, ut prudentes dispensatores vitæ nostræ deprehendamur, ad quam nos benignitas Dei reservavit. Nam si omnibus nobis præceptum est, ut exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viventes [3], quomodo non id magis præceptum iis, qui ex portis mortis erecti sunt? Id autem maxime, ut mihi quidem persuadeo, præstiterimus, si velimus eamdem semper retinere mentem,

[1] Alias CCCLXII. Scripta anno 368. — [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 418-450. — [3] Rom. VI, 13.

quam tempore periculorum habebamus. Omnino enim venerat nobis in mentem vitæ vanitas, ac nihil fidum esse in rebus humanis, nihil stabile, ut quæ tam facile mutentur. Subierat etiam nos, ut verisimile est, quædam præteritorum pœnitentia, et de futuris promissio, Deo, si servaremur, inserviendi, ac nobis ipsis diligentia omni invigilandi. Si quam enim nobis cogitationem mortis periculum imminens injiciat, hæc te arbitror, aut his quam simillima cogitasse. Quare necessarii cujusdam debiti solutione obstricti sumus. Hæc simul lætus ob Dei munus, simul et de futuris sollicitus perfectioni tuæ subjicere ausus sum. Tuum autem est verba nostra æquo et leni animo accipere, quemadmodum et coram in colloquiis solebas.

EPISTOLA XXVII [1].

EUSEBIO EPISCOPO SAMOSATORUM.

Basilius ex morbo sanatus hyeme impeditur, quominus invisat Eusebium. Properaturum se pollicetur, si per anni tempus et per famem liceat.

Ubi Dei gratia ac præsidio tuarum precum paululum emergere ex morbo visus sum, ac recollegi meas vires; tunc hyems supervenit, domi nos includens, nec loco sinens moveri. Etsi enim solito longe mitior occurrit, mihi tamen satis vehemens fuit ut impediret, quominus non modo eo vigente iter ingredi, sed nec paululum quidem ex cubiculo prospicere possem. Sed neque hoc parvi duco, quod dignus habear, qui cum tua pietate per litteras colloquar, jamque in antecessum spe responsionum acquiescam.

[1] Alias VI. Scripta anno 368.

Quod si et tempestas sinat, et vitæ nobis adhuc supersit tempus, nec impervium nobis iter fames efficiat; cito sane precum tuarum subsidio voti compotes esse, teque domi invenientes, in multo otio magnis tuæ sapientiæ thesauris exsatiari possimus.

EPISTOLA XXVIII [1].

ECCLESIÆ Neocæsariensi consolatoria.

Consolatur Neocæsarienses morte episcopi sui afflictos, et hortatur ut tranquillum statum, quem curis defuncti acceptum referre debent, nimium lugendo non amittant, sed diligenter caveant a lupis, et pro se quisque conentur pastorem eligere similem iis, qui a Gregorii tempore usque ad hunc beatum Ecclesiam rexerunt.

I. POSTULABANT quidem quæ acciderunt nostram ipsorum præsentiam, tum ut honorem beato viro vobiscum [2], qui ei conjunctissimi estis, una persolverem, tum ut mœroris, quem casus attulit, ex ipso rerum tristium spectaculo particeps forem, tum etiam ut de necessariis consiliis vobiscum communicarem. Sed quia corpoream conjunctionem multa interpellant, reliquum erat ut per litteras vobiscum partirer præsentia. Miras igitur viri dotes, propter quas etiam maxime damnum nobis intolerandum accidisse arbitramur, nec epistolæ mensura capiat, et alioquin intempestivum de præclare factorum multitudine sermonem instituere, cum adeo conciderit animus noster ob

[1] Alias LXII. Scripta anno 368. — [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 455-456.

mœrorem. Quodnam enim illius factum tale est, quod aut e nostra memoria excidat, aut silentio jure ac merito prætermittatur? Fieri enim non potest, ut semel omnia dicantur acervatim : ex parte autem dicere, vereor ne proditionem habeat veritatis. Interiit vir omnium æqualium in omnibus simul humanis bonis præstantissimus, columen patriæ, ecclesiarum decus, columna et fulcimentum veritatis, firmamentum fidei in Christum, suorum tutela, adversariis inexpugnabilis, legum paternarum custos, novitatis inimicus, ostendens in seipso priscam Ecclesiæ speciem, ad veterem statum, veluti ad sacram quamdam imaginem, Ecclesiæ sibi commissæ formam effingens, ita ut qui cum eo vixerunt, una cum iis qui ante ducentos annos et amplius luminarium instar resplenduerant, vixisse sibi videantur. Adeo nihil de suo, nec ullum recentioris mentis inventum vir ille promebat : sed secundum Moysis benedictionem proferre noverat ex cordis sui arcanis [1], bonis scilicet thesauris, vetera veterum, et vetera ante faciem novorum. Hinc et primo loco non secundum ætatem in conventibus episcoporum dignus habebatur, sed supra omnes erat sapientiæ antiquitate, primas communi concessu obtinens. Quanta autem talis institutionis utilitas, nemo requisierit, modo in vos oculos convertat. Nam soli, quos noverimus, aut certe cum paucis admodum in tanta rerum tempestate ac procella tranquillam illius gubernatione vitam egistis. Non enim vos attigit hæreticorum ventorum æstus, submersiones importans et naufragia animabus facile mutabilibus. Neque vero attingat unquam, o universorum Domine, qui famulo tuo Gregorio, a quo basis Ecclesiæ ab initio compacta, tranquillitatis longissimæ munus dedisti : quam vos hoc tempore amittere nolite; neque immodicis lacrymis, ac totos vos mœrori

[1] Lev. XXVI, 10.

dedendo, rerum necessariarum opportunitatem insidiantibus prodatis. Quod si omnino lugendum est (ita sane non sentio, ne in hoc iis qui spem non habent, similes simus) vos, si videtur, postquam veluti lugubris quidam chorus proprium vobis ducem præfeceritis, concinnius cum ipso casum deflete.

II. Atque is quidem, etsi ad extremam senectutem non pervenit, at certe quod ad tempus, quo vobis præfuit, attinet, satis vitæ habuit. Corporis autem tantum particeps fuit, quantum necesse erat, ut animi constantiam in illius doloribus perferendis ostenderet. Forte autem vestrum aliquis existimet tempus commiserationis esse incrementum et amoris accessionem, non autem satietatis occasionem his qui experti sunt, ita ut quanto longiori tempore estis beneficium experti, tanto amplius orbitatem sentiatis; cæterum corporis justi vel umbram apud pios quovis honore dignam esse. Atque optandum quidem ut multi ex vobis sic animo affecti sint (neque enim ego ipse dixerim virum esse negligendum) sed hoc consilii do, ut dolorem humaniter perferatis. Etenim quæcumque dicere possint qui damnum deplorant, neque a me ipso ignorantur. Silet quidem lingua fluviorum in morem aures alluens : cordis autem profundum, a nemine hactenus comprehensum, somniis debilius, quantum sane ad homines attinet, avolavit. Quis illo ad futurum prævidendum acutior? Quis in tam stabili ac firma animi indole idoneus fuit, qui fulgere citius res aggrederetur? O civitas multis quidem jam malis præocupata : sed tamen nullo prorsus in partibus ad vitam necessariis sic læsa! Nunc defloruit tibi ornatus pulcherrimus, conticuit Ecclesia, conventus tristes sunt, consessus sacer coryphæum desiderat, sermones mystici explanatorem expectant, pueri patrem, senes æqualem, optimates principem, populus patronum, pauperes nutri-

torem; omnes nominibus maxime propriis ipsum vocantes, in propria calamitate luctum sibi quisque proprium atque convenientem edunt. Sed quo mihi sermo præ lacrymarum voluptate rapitur? Non evigilabimus? Non nosmetipsos colligemus? Non respiciemus ad communem Dominum, qui postquam unumquemque Sanctorum ætati suæ sivit inservire, congruis temporibus ad se rursus revocavit? Nunc in tempore illius verborum recordamini, qui cum concionaretur apud vos, semper admonebat: « Cavete » canes, inquiens, cavete operarios malos. » Canes non pauci. Quid dico canes? Imo vero lupi graves, qui sub ovium specie dolum contegentes, ubique terrarum gregem Christi divellunt: qui vobis vitandi sunt vigilantis alicujus pastoris præsidio. Hunc vestrum quidem est petere, animis ab omni contentione atque ambitione repurgatis: Domini vero, ostendere, qui a magno illo Ecclesiæ vestræ, duce Gregorio, usque ad hunc Beatum, alterum in alterius locum sufficiens, semperque adaptans, velut ex quadam pretiosorum lapidum commissura, mirum ornamentum Ecclesiæ vestræ largitus est. Quare nec de successuris desperandum est. Novit enim suos Dominus, et proferre in medium potest, quos fortasse non expectamus.

III. Dudum me volentem sermoni finem imponere, dolor cordis non sinit: sed obtestor vos per Patres, per rectam fidem, per hunc Beatum, erigatis animum, proprium sibi quisque id quod agitur ducentes, et rerum in utramque partem exitus participes se imprimis fore existimantes, ita rerum communium curam, ut plerique solent, in proximum non rejiciatis, ac postea unoquoque in animo suo res negligente, omnes sibi ipsi per incuriam proprium malum imprudentes accersant. Hæc autem sive ut idem vicinorum commiserationem, sive ut idem sentientium communionem, sive etiam quod verius est, ut cha-

ritatis legi obsequentium, et periculum silentii declinantium, omni cum benevolentia excipite; persuasum illud habentes vos esse nostram gloriationem, quemadmodum et nos vestra erimus in Domini die: nosque prout pastor vobis dabitur, vel arctius charitatis vinculo vobiscum esse conjungendos, vel prorsus disjungendos, quod quidem absit, neque Dei gratia fiet, neque sane ipse nunc contumeliosi quidquam dixerim. Hoc autem scire vos volumus, etsi Beatum illum ad Ecclesiarum pacem concurrentem non habuimus propter quasdam, ut ipse nobis affirmavit, anticipatas opiniones; sed tamen idem cum ipso sentiendi, eumque semper certaminum adversus hæreticos participem advocandi, nos, Deo teste et hominibus qui nostri periculum fecerunt, nullum tempus intermisisse.

EPISTOLA XXIX [1].

ECCLESIÆ ANCYRÆ CONSOLATORIA.

Basilius Ancyranis significat acceptum ex morte eorum episcopi Athanasii dolorem, cujus summa de Ecclesiis merita prædicat. Hortatur ut caveant, ne rursus in electione episcopi dissensiones nascantur.

Diuturnum nobis silentium imposuit animi stupor ex gravissimo tristis eventus nuntio. Postquam vero paululum quodam modo ex taciturnitate nos recollegimus, quam velut ii, quorum aures vehementi tonitru perculsæ sunt, passi sumus; necessario nunc de eo quod accidit, ingemuimus, et inter luctus epistolam hanc ad vos misimus,

[1] Alias LXVII. Scripta anno 368 exeunte.

non consolandi gratia (quis enim sermo inveniatur tantæ medicus calamitatis?) sed cordis nostri dolorem, quantum possumus, vobis hac voce significantes. Opus nunc mihi essent Jeremiæ lamentationes, et si quis sane alius ex beatis hominibus calamitatem maximam modo commovendis animis idoneo lamentatus est. Cecidit vir, vere columna et firmamentum Ecclesiæ: vel potius ipse quidem ad beatam vitam sublatus a nobis abiit: non leve autem periculum est, ne multi subtracto hoc fundamento corruant, et quæ in nonnullis putrida sunt, manifesta fiant. Clausum est os, et justa dicendi libertate, et gratiæ verbis ad fratrum ædificationem scatens. Abierunt mentis consilia, quæ vere in Deo commovebatur. O quoties mihi (accusabo enim me ipse) indignari subiit in virum, quod totus in eo desiderio ut discederet, essetque cum Christo [1], permanere in carne propter nos non prætulerit. Cuinam deinceps Ecclesiarum curam deferemus? Quem adjungemus molestiarum socium? Quem lætitiæ participem? O gravem tristemque solitudinem! Quomodo plane similes facti sumus solitario pellicano [2]? Sed tamen juncta inter se Ecclesiæ membra, velut ab anima quadam, ab ipsius regimine in unam consensionem et accuratam communionem compacta, et servantur constanter per pacis vinculum ad spiritualem coagmentationem, et servabuntur semper, Deo id largiente, ut firma ac immota maneant beatæ illius animæ opera, quæcumque Ecclesiis Dei exantlavit. Verum certamen non parvum incumbit, ne rursus lites ac discordiæ in præsulis electione nascentes, omnem simul laborem ex qualibet dissensione subvertant.

[1] Philip. I, 23. — [2] Psal. CI, 7.

EPISTOLA XXX [1].

EUSEBIO EPISCOPO SAMOSATORUM.

Præter morbos, hyemem et negotia aliæ causæ Basilium prohibuere ad Eusebium proficisci. Matrem amisit, unde morbus recruduit. Ecclesiis non melius est quam ipsius corpori. Narrat electos fuisse Ancyræ et Neocæsareæ episcopos. Precibus Eusebii acceptum refert, quod inimicorum insidias effugerit.

Si omnes ordine scriberem causas, quibus in hunc usque diem detentus sum, quanquam ad tuam pietatem proficisci omnino cupiebam, historiæ seriem infinitam pertexerem. Morbos quidem alios aliis succedentes, hyemis molestiam, negotiorum continuitatem omitto dicere, cum nota sint, et jam prius indicata præstantiæ tuæ. Nunc autem, quod unicum habebam vitæ solatium, matrem etiam ob mea peccata amisi. Nec me derideas, qui id ætatis lugeam orbitatem : sed ignosce mihi, separationem animæ patienter non ferenti, cui nihil comparandum in reliquis rebus video. Rursus igitur mihi reversi sunt morbi, rursusque in lecto decumbo, exiguis prorsus viribus fluctuans, et tantum non singulis horis necessarium vitæ finem expectans. Ecclesiæ autem non alio fere modo ac corpus meum affectæ sunt, bona quidem spe nulla affulgente, rebus vero semper in deterius sublabentibus. Interim Neocæsarea et Ancyra visæ sunt habere successores eorum qui obierunt, et huc usque conquiescunt (2). Sed nec iis, qui nobis insidiantur, ut aliquid iracundia sua et acerbitate dig-

[1] Alias VII. Scripta anno 369.

num facerent, hactenus concessum est; nosque ejus rei causam tuis pro Ecclesiis precibus palam tribuimus. Quare pro Ecclesiis precando et Deum exorando ne delasseris. Iis, qui digni fuere, qui tuæ sanctitati ministrent, dic salutem plurimam.

EPISTOLA XXXI [1].

EUSEBIO EPISCOPO SAMOSATORUM.

Fames nondum sedata Basilium detinet, quominus comitetur Hypatium consanguineum suum. Hunc sanare concessum non fuerat his qui dona curationum habebant. Quamobrem eum commendat Eusebio, ut vel fratres religiosissimos accersat, qui ei medeantur, vel ipsum ad illos cum litteris mittat.

Nondum nos fames reliquit; quapropter in civitate remanere necesse habemus, vel dispensationis causa, vel commiserationis in afflictatos. Unde ne nunc quidem potui comitem me viæ præbere colendissimo fratri Hypatio, quem non tantum honoris causa fratrem appellare possum; sed propter naturalem, quæ inter nos intercedit, necessitudinem: consanguinei enim sumus. Quali ille morbo laboret, neque tuam præstantiam fugit. Dolemus autem, quod in eo spes omnis abscissa sit levamenti, quandoquidem iis, qui sanationis dona habent, nihil in illo eorum quæ solent, operari concessum est. Quocirca rursus precum tuarum auxilium implorat. Tu autem exorari te sine, ut opem solitam non deneges, tum ob tuam erga ægrotantes commiserationem, tum nostra causa, qui pro eo pre-

[1] Alias CCLXVII. Scripta anno 369.

camur : et si fieri potest, fratres religiosissimos ad temetipsum accersas, ut in tuis ipsius oculis ei medela afferatur. Sin hoc fieri nequit, illum cum litteris dimittere et fratribus ultra commorantibus commendare digneris.

EPISTOLA XXXII [1].

SOPHRONIO MAGISTRO.

Cum Cæsarius moriens sua omnia pauperibus legasset, ejus pater et frater quidquid reliquum fuit de ipsius bonis, quæ expilata fuerant, id statim in pauperibus sublevandis et debitoribus absolvendis insumpserunt; sed postea Sycophantæ multi prodierunt, qui pecuniam a se Cæsarium accepisse dicerent. Unde Gregorium molestissimis negotiis implicatum Basilius Sophronio commendat.

Particeps est temporis et Deo dilectissimus frater noster Gregorius episcopus. Dolet enim cum omnibus et ipse injuriis continuis, velut inexpectatis quibusdam plagis perculsus. Nam homines Deum non timentes, fortasse etiam et magnitudine malorum coacti, calumnias illi inferunt eo nomine, quod Cæsarius pecunias ab ipsis acceperit. Nec damnum molestum est; dudum enim didicit pecunias contemnere; sed quia cum exiguam omnino partem acceperint illius bonorum, eo quod res ipsius penes servos essent ac homines servis nihilo indole meliores, qui, liberrime pretiosissima quæque partiti, paucissima omnino eis reservarunt, hæc illi existimantes nulli obnoxia esse creditori, mox in egenos insumpsere, tum ob suam ipsorum propen-

[1] Alias LXXXIV. Scripta anno 369.

sionem, tum ob defuncti vocem. Fertur enim dixisse moriens : « Mea omnia volo esse pauperum. » Itaque ut dati a Cæsario mandati ministri, statim hæc dispensarunt utiliter. Et nunc circumstat Christiani quidem paupertas, unius autem ex forensibus hominibus negotiorum moles. Quapropter in animum subiit hæc omnia tuæ omnino laudabili probitati indicare, ut et virum honorans, qui tibi jampridem notus est, et Dominum glorificans, qui in se suscipit quæ servis suis fiunt, et honorem nobis habens, qui eximio quodam modo tui sumus, cum ea quæ convenient, de hoc viro dicas comiti thesaurorum, tum modum excogites summa tua prudentia, quo ab istis calumniatoribus et intolerandis molestiis liberetur.

II. Omnino autem nemo virum ita ignorat, ut aliquid de eo suspicetur indecori, quasi pecuniarum amore hæc fingat. Est enim in promptu liberalis illius animi demonstratio. Quod enim reliquum est de Cæsarii bonis, id libenter cedit ærario, ut opes ipsius illic custodiantur, patronus vero ærarii respondeat iis, qui adoriuntur, et probationes requirat, quia nos ejusmodi rebus idonei non sumus. Discere enim potest perfectio tua neminem, quandiu licuit, discessisse non compotem eorum quæ volebat, sed nullo quemque negotio consecutum esse, quod petebat, ita ut multos etiam pœniteret, quod non plus ab initio petiissent,ex quo etiam maxime plures facti sunt calumniatores. Dum enim ad priorum exemplum respiciunt, alium alius excipit sycophanta. Adhortamur igitur gravitatem tuam, ut his omnibus obsistat, cohibeatque, velut fluentum quoddam, ac intercidat malorum continuitatem. Nosti autem quomodo sis huic rei remedium allaturus, ita ut minime expectes, dum te modum edoceamus : qui cum simus hujus vitæ negotiorum inexperti, hoc ipsum ignoramus, quomodo his liberari possimus. Itaque sis ipse et

consiliarius et patronus, auxilii genus summa tua prudentia excogitans.

EPISTOLA XXXIII [1].

ABURGIO.

Idem Gregorii negotium Aburgio commendat.

Et quis ita veterem amicitiam novit honorare et virtutem revereri, et cum afflictis dolere, ut tu ipse? Cum igitur Deo dilectissimum fratrem nostrum Gregorium episcopum negotia apprehenderint, neque alias tolerabilia, ac maxime moribus ipsius contraria; visum est nobis optimum esse ad tuum confugere patrocinium, et a te aliquam molestiarum solutionem reperire conari. Ærumna enim intolerabilis est, negotia eum cogi tractare, qui ab his et natura et voluntate alienus est; et pecunias a paupere reposci; et in medium protrahi, ac forensem fieri, qui jampridem vitam quietam ducere statuit. Sive igitur comitem thesaurorum alloqui utile judicaveris, sive quosvis alios, id tuæ sit prudentiæ. 12

[1] Alias CCCLVIII. Scripta anno 369.

EPISTOLA XXXIV [1].

EUSEBIO EPISCOPO SAMOSATORUM.

Luget Basilius Ecclesiam Tarsensem ab hæreticis, dum episcopi cunctantur, occupatam; sed dolorem lenit Eusebii recordatione, a quo nihil prætermissum ad Ecclesiæ utilitatem. Deum precatur, ut cum Ecclesiis conservet, sibique rursus cum illo congredi concedat.

Quomodo sileam in hoc rerum statu; aut id a me impetrare non valens, quomodo dignam his, quæ eveniunt, aliquam orationem reperiam, ut vox nostra non suspirio similis sit, sed lamentationi gravitatem mali abunde significanti? Perit nobis et Tarsus; neque id solum molestum est, etsi intolerabile: nam illud molestius, civitatem tantam ac tam opportune sitam, ut Isauros, Cilices, Cappadoces, ac Syros per seipsam conjungat, unius aut duorum hominum temeritate, in perniciem nullo negotio conjectam fuisse, dum vos cunctamini, deliberatisque et vos mutuo respicitis. Optimum igitur fuerit, secundum solertiam medicorum, (omnino autem magna mihi copia, ob morbum mecum habitantem, ejusmodi exemplorum), qui cum doloris magnitudo modum excessit, stuporem in laboribus ægrotanti conciliant, ita quoque nostris ipsorum animis, ne intolerandis doloribus corripiantur, stuporem in malis precari. Sed tamen quamvis sic misere afflicti simus, una utimur consolatione, ut respiciamus ad tuam mansuetudinem, ac tui cogitatione et recordatione, dolorem animi mitigemus. Quemadmodum enim oculis, posteaquam in-

[1] Alias v. Scripta anno 369.

tente res splendidas conspexere, recreationis aliquid affert ad cæruleos ac virides colores redire; ita quoque animis nostris veluti blanda quædam contrectatio dolorem abigens, recordatio tuæ lenitatis ac diligentiæ est; et maxime cum omnia a te pro virili facta esse consideremus. Ex quibus et abunde nobis hominibus, si de rebus æquo animo judicemus, nihil culpa tua periisse ostendisti; et apud Deum tui bonarum rerum studii magnam tibi mercedem comparasti. Utinam autem concedat te nobis et suis Ecclesiis Dominus ad utilitatem vitæ hominum et emendationem animarum nostrarum, nobisque iterum dignetur tuum perutilem congressum concedere.

EPISTOLA XXXV [1].

Sine inscriptione, pro LEONTIO.

Commendat Leontium Basilius tanquam alterum seipsum.

De multis quidem, ut ad me pertinentibus tibi scripsi: sed et de pluribus scribam. Nam nec fieri potest, ut indigentes desint; nec mihi beneficia denegare integrum. Non est tamen quisquam mihi conjunctior, et qui me, si quid ei prospere eveniat, magis consolari possit, quam colendissimus frater Leontius : cujus domum ita suscipe, quasi memetipsum nactus fuisses non in ea paupertate, in qua nunc divino beneficio versor, sed opulentiam quamdam consecutum, et prædia possidentem. Nam palam est fore, ut pauperem me non faceres, sed servares præsentia, aut copiam augeres. Hoc itaque facias etiam prædictæ viri do

[1] Alias ccxxxvi. Scripta ante episcopatum.

mui rogamus. Erit autem tibi a me pro his omnibus consueta merces, preces ad Deum sanctum pro laboribus, quos suscipis, bonum te et probum præbens, ac petitiones indigentium ante vertens.

EPISTOLA XXXVI [1].

Sine inscriptione, auxilii causa.

Rogat Basilius, ut presbytero, qui cum ipso educatus fuerat, eique ad victum labore suo ministrabat, nova peræquatio non noceat.

Novisse jamdudum nobilitatem tuam arbitror, loci illius presbyterum una mecum fuisse educatum. Quid igitur aliud dicendum mihi est, quo benignitatem tuam exorem, ut videas illum amice, atque ei ad negotia opem feras? Si enim me amas, ut profecto amas, non dubium quin et quos eodem loco ac me ipsum habeo, totis viribus recreare coneris. Quid igitur est quod rogo? Ut ei descriptio antiqua servetur. Enimvero non parum laborat, mihi ad victum ministrans, eo quod ego, ut ipse scis, nihil proprium habeam, sed amicorum et propinquorum rebus sustenter. Itaque perinde ut meam, imo ut tuam habe hujus fratris domum, et pro collato in eum beneficio præbebit Deus et tibi, et domui, et toti tuo generi opem consuetam. Scias autem mihi prorsus curæ esse, ut ex peræquatione nulla huic viro injuria inferatur.

[1] Alias CCXXVIII. Scripta ante episcopatum.

EPISTOLA XXXVII [1].

Sine inscriptione, causa illius qui secum fuerat enutritus.

Commendatur idem presbyter, eademque de causa.

Suspectam jam habeo epistolarum multitudinem. Ac vehementer quidem, nec petentium importunitatem ferens, clamare cogor. Sed tamen scribo, cum aliam mei expediendi viam invenire non possim, quam si dem illis litteras flagitantibus subinde a nobis. Vereor itaque ne quia multi litteras perferunt, unus e multis existimetur et frater ille. Ego enim multos mihi in patria amicos ac cognatos esse fateor, meque parentis loco constitutum esse propter dignitatem illam, in qua sum a Domino collocatus. Hunc autem collactaneum habeo nutricis meæ unum filium, et precor, ut domus, in qua fui enutritus, in eodem statu permaneat; ne benefica in omnes dignitatis tuæ præsentia, huic viro causa sit et origo molestiæ. Sed quia etiamnum ex eadem domo alor, nihil habens meorum, sed charorum sustentatus facultatibus; precor ut huic domo, in qua nutritus sum, ita parcas, ut mihi alimenti copiam conservaturus. Pro his te Deus æterna requie remuneret. Atque illud etiam, quod omnium verissimum est, dignitati tuæ notum esse volo, servitiorum partem maximam illum a nobis habuisse, hanc mercedem alimentorum meorum parentibus meis suppeditantibus. Merces autem illa non est omnino donum, sed usus per vitam. Quare si quid grave illis acciderit, licet ei illa ad me remittere, et ego via alia tributis ac exactoribus ero obnoxius.

[1] Alias CCXLVIII. Scripta ante episcopatum.

EPISTOLA XXXVIII [1].

GREGORIO fratri de discrimine essentiæ et hypostasis.

Cum metueret Basilius, ne Gregorius frater, ut multi alii, essentiam ab hypostasi non satis secerneret; exponit ei, quid intersit inter utrumque : ac tres hypostases, unam essentiam in Trinitate defendit, idque illustrat exemplo ex Iride petito. Explicat quo sensu Paulus splendorem gloriæ et figuram hypostasis dixerit.

I. Quoniam multi essentiam, quæ communis est, in mysticis dogmatibus non secernentes ab hypostaseωn ratione, in easdem recidunt notiones, nihilque existimant interesse, utrum essentia an hypostasis dicatur (unde etiam placuit nonnullis sine examine res ejusmodi admittentibus, ut unam essentiam, ita et hypostasim unam dicere : et vice versa, qui hypostases tres profitentur, etiam essentiarum divisionem secundum eumdem numerum ex hac confessione statuendam esse putant); propterea ne tu quoque similia patiaris, brevem ea de re sermonem tibi commentarii loco confeci. Harum igitur vocum, ut paucis rem declarem, notio hæc est.

II. Ex omnibus nominibus, alia de rebus pluribus et numero differentibus dicta, notionem quamdam magis generalem habent, velut « Homo. » Qui enim hoc dixit, communi natura per id nomen indicata, non circumscripsit hac voce certum quemdam hominem, proprie isto nomine designatum. Non enim magis Petrus homo est, quam et Andreas, et Joannes, et Jacobus. Itaque communitas rei

[1] Alias XLIII. Scripta videtur anno 369 aut 370.

significatæ similiter omnes, qui sub eodem nomine recensentur, comprehendens, subdivisionem postulat, per quam non hominem generatim, sed Petrum aut Joannem cognoscamus. Alia vero nomina magis peculiarem habent notionem, qua non communitas naturæ consideratur in re significata, sed cujusdam rei circumscriptio nullam habens cum eo quod similis est naturæ, in eo quod proprium est, communionem; exempli causa, Paulus, aut Timotheus. Non enim jam ejusmodi vox in naturam communem fertur, sed a generali significatione separans, rerum quarumdam circumscriptarum notionem nominibus declarat. Itaque cum duobus aut etiam pluribus simul conjunctis, puta, Paulo, et Silvano, et Timotheo, inquiritur essentiæ humanæ definitio, non aliam quis in Paulo reddet essentiæ rationem, aliam in Silvano, et aliam in Timotheo : sed quibus verbis Pauli essentia ostensa fuerit, eadem etiam aliis convenient; ac consubstantiales inter se sunt, qui eadem essentiæ ratione designantur. Ubi vero quis eo, quod commune est, intellecto, ad proprietatum se converterit considerationem, per quas alterum ab altero separatur; non jam amplius ratio, per quam unumquodque cognoscitur, cum ea ratione, quæ de alio profertur, per omnia consentiet, quamvis in aliquibus communitatem habere comperiatur.

III. Hoc igitur dicimus, quod proprie dicitur, id hypostasis nomine indicari. Qui enim hominem dixit, confusam quamdam ideam per indefinitam significationem auribus intulit, sic ut natura quidem eo nomine ostendatur, subsistens autem res, et proprie nomine designata, minime significatur. Qui autem Paulum dixit, ostendit in re hoc nomine significata subsistentem naturam. Hoc igitur hypostasis est, non indefinita essentiæ notio, quæ ob communitatem rei significatæ nullam sedem reperit, sed quæ quod commune in aliqua re et incircumscriptum est, per

conspicuas proprietates restringit ac circumscribit; quemadmodum et Scriptura ipsa solet simile quidpiam facere, cum in multis aliis locis, tum in historia Jobi. Nam quæ ad ipsum attinent narratura, postquam primo id quod commune est commemoravit, et dixit: « Homo; » statim dirimit per id quod proprium est, addendo « Quidam. » Sed essentiæ quidem descriptionem, ut sermonis proposito nihil conducentem reticuit: illud autem « Quidam » propriis notis indicat, et locum referens et morum indicia, et quæcumque extrinsecus collecta distinctura illum erant, et a communi significatu separatura; adeo ut perspicua in omnibus esset illius, cujus res gestæ narrantur, descriptio, ex nomine, ex loco, ex animi proprietatibus, ex iis, quæ extrinsecus in eo conspiciebantur. Quod si essentiæ dedisset rationem, nulla sane fuisset eorum, quæ dicta sunt, in naturæ explicatione mentio. Eadem enim ratio fuisset ac de Baldad Sauchita, deque Sophar Minnæo, et de singulis, quorum ibi mentio fit, hominibus. Quam igitur in nostris rebus agnovisti discriminis rationem inter essentiam et hypostasim, eam et ad divina dogmate transferens, non errabis. De Patris essentia quidquid tibi suggeret cogitatio (fas enim non est ad certam ullam ac definitam cogitationem animum sistere, eo quod persuasum sit hanc essentiam supra omnem esse cogitationem) id et de Filio intelliges, similiter et de Spiritu sancto. Nam ratio increati et incomprehensibilis una et eadem in Patre et in Filio et in Spiritu sancto est. Neque enim aliud magis est incomprehensibile, aut increatum, aliud minus. Quoniam autem oportet per proprias notiones inconfusam Trinitatis distinctionem habere; quod communiter consideratur, quale est, quod increatum dico, quod est supra omnem cogitationem, aut si quid ejusmodi; id nequaquam una assumemus ad proprietatem dijudicandam: sed requiremus tantum per quæ uniuscujusque notio

dilucide et citra admixtionem ab ea, quæ simul consideratur, sejuncta sit.

IV. Itaque non abs re esse mihi videtur hoc pacto rationem investigare. Quodcumque ad nos ex divina potestate bonum venerit, omnia in omnibus efficientis gratiæ opus esse dicimus, quemadmodum ait Apostolus : « Hæc » autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, divi» dens sigillatim unicuique prout vult [1]. » Inquirentes autem, an a solo sancto Spiritu bonorum largitio originem habens, ita ad dignos perveniat, rursus a Scriptura huc deducimur, ut largitionis bonorum, quæ Spiritus sanctus in nobis efficit, auctorem et causam unigenitum Deum esse credamus. Omnia enim per ipsum facta esse [2], et in ipso consistere a sancta Scriptura didicimus. Cum igitur ad hanc intelligentiam fuerimus evecti, rursus a divinitus inspirato adminiculo ceu manu ducti docemur, omnia ab illa quidem virtute ex nihilo produci, non tamen ab illa sine principio; sed quamdam esse virtutem ingenite et sine principio subsistentem, quæ causa est rerum omnium causæ. Nam ex Patre Filius, per quem omnia, quocum semper Spiritus sanctus inseparabiliter intelligitur. Non enim potest quisquam de Filio cogitare, qui non sit prius a Spiritu illustratus. Quoniam igitur Spiritus sanctus, a quo omnis in rem creatam bonorum largitio scaturit, Filio quidem cohæret ac conjunctus est, quocum simul sine ullo intervallo concipitur; habet vero esse ex ea causa, quæ Pater est, connexum, unde et procedit; illius secundum hypostasim proprietas hoc signo declaratur, quod post Filium et cum Filio cognoscitur, et quod ex Patre subsistit. Filius vero, qui ex Patre procedentem Spiritum per sese ac secum notum facit, ac solus unigenite ex ingenita luce effulsit, nullam, quod ad signorum, quibus

[1] 1 Cor. XII, 11. — [2] Joan. 1, 3.

dignoscitur, proprietatem attinet, cum Patre aut Spiritu sancto communitatem habet : sed iis, quæ dixi, signis solus agnoscitur. Qui autem est super omnia Deus, præcipuam quamdam suæ hypostasis notam, quod Pater est, et quod nulla subsistit ex causa, solus habet, hocque rursus indicio et ipse proprie cognoscitur. Quapropter in essentiæ communitate dicimus nec cohærere, nec communicari posse quæ considerantur in Trinitate indicia, per quæ proprietas constituitur traditarum in fide personarum, unaquaque propriis indiciis discrete intellecta ; ita ut ex dictis indiciis differentia hypostaseωn deprehendatur; at vero, quantum attinet ad id quod immensum est, quod comprehendi non potest, quod creatum non est, quod loco nullo circumscribitur et reliqua ejusmodi omnia, discrimen nullum sit in vivifica natura : in Patre, inquam, et Filio, et Spiritu sancto, sed continua quædam et indivisa societas in ipsis perspiciatur. Atque per quas quis cogitationes majestatem unius earum, quæ in Trinitate creduntur, personarum intellexerit, per easdem sine ullo prorsus discrimine procedet, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto gloriam atque majestatem cernens : nullo spatio inter Patrem et Filium, et Spiritum sanctum intercedente, in quo mens velut vacuo obambulet. Nihil enim est, quod inter ipsos medium inseratur : neque præter divinam naturam ulla alia res est subsistens, quæ ipsam a seipsa rei alienæ interpositu dividere queat; neque spatii cujuspiam non subsistentis vacuitas intercedit, quæ divinæ essentiæ harmoniam hiulcam efficiat, continuum interjectu vacui dirimens. Sed qui Patrem intellexit, et eum in seipso intellexit, et Filium animi perceptione simul est complexus : qui autem percepit Filium, a Filio Spiritum non separavit, sed consequenter quidem secundum ordinem, conjuncte vero secundum naturam, trium simul permixtam in seipso

fidem expressit. Et qui Spiritum tantum dixit, comprehendit simul hac confessione et eum cujus Spiritus est. Et quia Christi est Spiritus, et ex Deo, quemadmodum dicit Paulus [1] : ut ex catena extremum unum qui apprehendit, alterum etiam extremum simul attraxit : ita qui Spiritum attraxit, ut ait Propheta, et Filium et Patrem per ipsum simul traxit. Quinetiam Filium si quis vere apprehenderit, habebit eum utrinque, hinc quidem Patrem suum, illinc vero Spiritum proprium una secum adducentem. Neque enim a Patre qui semper est in Patre abscindi poterit, neque a proprio Spiritu unquam sejungetur qui in ipso efficit omnia. Similiter autem et qui Patrem recepit, simul quoque et Filium, et Spiritum potestate recepit. Non enim potest ullo modo sectio aut divisio excogitari, ita ut aut Filius absque Patre intelligatur, aut Spiritus sejungatur a Filio : sed in his ineffabilis quædam et incomprehensibilis deprehenditur tum societas, tum distinctio, neque hypostaseωn differentia naturæ conjunctionem divellente, neque essentiæ communitate indiciorum proprietatem confundente. Ne mireris autem si idem et conjunctum, et discretum esse dicimus, et quamdam cogitamus, velut in ænigmate, novam et admirabilem, discretionem conjunctam, et conjunctionem discretam. Etenim si quis non ex contendendi et calumniandi studio sermonem audit, potest etiam in rebus, quæ sensu percipiuntur, quiddam simile inveniri.

V. Ac verba quidem mea accipite, ut exemplum et umbram veritatis, non ut ipsam rerum veritatem. Non enim fieri potest, ut omnino quadret id quod in exemplis speculamur, cum iis, ad quæ usus exemplorum adhibetur. Unde igitur dicimus discretum simul et conjunctum ex iis, quæ nostris sensibus conspicua sunt, spectari? Jam olim

[1] Rom. VIII, 9.

arcus in nube splendorem verno tempore vidisti; arcum illum dico, quem communis loquendi usus iridem vocare consuevit : quem quidem harum rerum periti dicunt conflari, tum cum admiscetur humor aliquis aëri; vi ventorum id quod in vaporibus humidum ac crassum est, effectum jam nebulosum, in pluviam exprimente ac resolvente. Ferunt autem fieri hoc modo. Ubi solis radius oblique id quod in nebula densum et opacum est, penetravit, deinde recta orbem suum in aliqua nube impressit; quidam luminis quasi repercussus ac reditus ad seipsum fit, splendore ab eo quod humidum et nitens est contrariam in partem reflexo. Quoniam enim ea inest flammeis fulgoribus natura, ut si in rem quampiam lævem inciderint, rursus reflectantur ad semetipsos; rotunda est autem solis figura, quæ per radium in humido lævique aëre imprimitur; propterea necessario secundum solaris orbis figuram, aër etiam qui nubi proximus est; per splendescentem fulgorem circumscribitur. Itaque is fulgor et in se continuus et divisus est. Multicolor enim ac multiformis cum sit, secum variis tincturæ floribus latenter commiscetur, colorum inter se diversorum commissuram atque permixtionem oculis nostris, nemine sentiente, surripiens; adeo ut non agnoscatur medius intercedens cæruleum inter et rutilum locus, ac miscens per se et separans diversitatem colorum, aut rutilum inter et purpureum, aut istum inter et electrinum. Nam omnium splendores simul conspecti, et micant, et dum signa mutuæ conjunctionis occultant, judicium effugiunt, ita ut deprehendi non possit quo usque pertineat id quod rutilum est, aut smaragdinum in fulgore, et unde incipiat non jam tale esse, quale in fulgore apparet. Quemadmodum igitur in hoc exemplo et colorum discrimina clare dignoscimus, et alterius ab altero intervallum sensu deprehendere non possumus; sic mihi, quæso, exis-

tima et de divinis dogmatibus rationem iniri posse; ita ut hypostaseωn quidem proprietates, ceu flos quidam eorum quæ in iride apparent, in singulis personis, quæ in sancta Trinitate creduntur, effulgeant : nullum vero, quod ad naturæ proprietatem attinet, intelligatur alterius ab altera discrimen, sed in essentiæ communitate proprietates, per quas unaquæque persona dignoscitur, in unaquaque resplendeant. Nam et illic in exemplo essentia, quæ multicolorem illum splendorem emittebat, et per solarem radium refringebatur, una erat : flos vero rei conspectæ erat multiformis : nimirum ratione ipsa etiam per rem creatam nos docente, ut in dogmatis rationibus non conturbemur, si quando in quæstionem ad investigandum difficilem incidentes, in iis, quæ dicuntur, admittendis, quasi vertigine laboremus. Quemadmodum enim in iis, quæ oculis apparent, potior visa est causæ ratione experientia; ita et in dogmatibus captum nostrum longe transcendentibus, perceptione, quæ ratiocinando comparatur, potior est fides, et separationem in hypostasi, et conjunctionem in essentia docens. Quoniam igitur aliud commune, aliud peculiare in sancta Trinitate consideravit nostra disputatio; communionis quidem ratio refertur ad essentiam, hypostasis vero proprium cujusque signum est.

VI. Sed fortasse putat aliquis non congruere expositam de hypostasi doctrinam cum sententia Apostoli Scripturæ, ubi de Domino dicit, eum splendorem gloriæ ipsius, et figuram hypostasis esse [1]. Si enim hypostasim tradidimus esse proprietatem uniuscujusque concursum, illud autem confessum et exploratum est, quemadmodum in Patre aliquid proprie consideratur per quod solus agnoscitur, ita idem eodem modo de Unigenito quoque credi; qui fit ut hoc loco Scriptura hypostasis nomen Patri soli ascribat,

[1] Hebr. 1, 3.

Filium vero formam dicat hypostasis, non suis, sed Patris insignibus et notis designatum? Etenim si hypostasis proprium existentiæ uniuscujusque signum est; Patris autem proprium illud esse, ut ingenitus sit, explorata res est, ac Patris tamen proprietatibus Filius figuratur ac designatur; igitur non jam proprium illud Patri manet, ut solus dicatur ingenitus; siquidem Patris proprietate ipsa etiam Unigeniti existentia designatur.

VII. Sed nos hoc dicimus, ad aliud hoc loco propositum spectare Apostoli orationem, ad quod respiciens his usus est vocibus, « Gloriæ splendorem dicens, et hypostasis figuram : » quod propositum si quis diligenter consideraverit, nihil reperiet his, quæ diximus, contrarium, sed sermonem ad singularem quamdam notionem revocatum. Non enim ut hypostases inter se ex signis conspicuis secernantur, apostolica instituitur oratio, sed ut genuina indivisaque et consociata Filii ad Patrem relatio intelligatur. Quemadmodum enim non dixit : « Qui est gloria Patris » (quanquam veritas ita se habet) sed hoc prætermisso, ut explorato, non aliam quamdam gloriæ speciem in Patre, et aliam in Filio cogitandam esse docens, ipsius Patris gloriæ splendorem esse Unigeniti gloriam decernit; ex lucis exemplo perficiens, ut Filius cum Patre indivise intelligatur. Quemadmodum enim ex flamma quidem splendor, neque tamen flamma posterior, sed simul ut effulsit flamma, etiam lux simul resplenduit : sic vult etiam ex Patre quidem Filium intelligi, neque tamen ulla intervalli distantia a Patris existentia Unigenitum dirimi, sed semper una cum causa id quod ex causa est concipi. Eumdem igitur ad modum, veluti sententiam prius expositam interpretans, etiam hypostasis figuram dicit corporalibus nos exemplis ad invisibilium manu ducens intelligentiam. Quemadmodum enim etsi corpus omnino in figura est,

alia figuræ, alia corporis ratio, ac si quis utriusvis horum tradat definitionem, neutiquam in eam quæ alterius est incidat; sed tamen etiamsi ratione figuram a corpore discreveris, natura non admittit discretionem, sed alterum cum altero conjunctim intelligitur : ita rem explicari oportere censet Apostolus : quamvis fidei doctrina inconfusam ac discretam doceat hypostaseωn differentiam, nihilominus tamen Unigeniti etiam cum Patre cohærentiam ac veluti concretionem his verbis declarat; non quod in hypostasi quoque non sit Unigenitus, sed quod in sua cum Patre conjunctione nihil medium admittat, adeo ut quisquis animi oculis Unigeniti charaterem intente respexerit, veniat etiam in hypostasis Patris intelligentiam; non tamen mutata aut permixta proprietate, quæ in ipsis consideratur, quasi vel Patrem genitum, vel Filium ingenitum animo fingamus, sed quod fieri non potest, ut si alter ab altero disjungatur, jam id quod reliquum fuerit, per se solum intelligamus. Nam fieri non potest, ut quis, Filio nominato, etiam non cogitet de Patre, cum appellatio hæc per relationem Patrem quoque simul indicet.

VIII. Quoniam igitur qui Filium videt, videt et Patrem, ut ait in Evangelio Dominus [1]; propterea Unigenitum hypostasis Patris characterem esse pronuntiat. Et quod magis perspecta fiat hæc sententia, et alias Apostoli voces adjiciemus, in quibus Filium imaginem Dei invisibilis, et eumdem rursus bonitatis ipsius imaginem esse dicit, non quod differat imago ab exemplari, si invisibilitatis bonitatisque habeatur ratio, sed ut perspicuum sit idem esse quod exemplar, etiamsi aliud sit. Non enim possit imaginis ratio servari, nisi per omnia conspicuam ac cujuscumque differentiæ expertem habeat similitudinem. Proinde imaginis pulchritudinem qui perspexit, exemplar mente complec-

[1] Joan. XIV, 9.

titur. Et qui Filii velut formam mente concepit, hypostasis paternæ expressit effigiem, illum per hunc videns, non ingeniti rationem quæ Patris est, in effigie cernens, (alioquin idem prorsus esset, et non aliud) sed pulchritudinem ingenitam in genita intuens. Quemadmodum enim qui in puro speculo impressam formæ speciem perspexit, claram expressi vultus cognitionem adeptus est : sic qui Filium cognoverit, effigiem paternæ hypostasis per Filii notitiam animo suscepit. Omnia enim quæ Patris sunt, conspiciuntur in Filio, et omnia quæ Filii sunt, Patris sunt : quandoquidem et totus Filius in Patre manet, et totum rursus habet in semetipso Patrem[1]. Quare Filii hypostasis quasi forma ac facies est, qua Pater cognoscitur : et Patris hypostasis in forma Filii agnoscitur, manente quæ in illis consideratur proprietate ad claram hypostaseωn distinctionem.

EPISTOLA XXXIX [2].


JULIANUS BASILIO.

Basilium invitat Julianus ut ad se veniat.

« Non bellum denuntias, » ait proverbium : at ego addam etiam illud comœdiæ veteris : « O nuntium verborum » aureorum ! » Age igitur, reipsa ostende, et ad nos quamprimum advola. Certe amicus ad amicum venies. Publica ac assidua circa negotia occupatio videtur quidem quodam modo molesta esse iis, qui perfunctorie id agunt : qui vero diligentiam adhibent, modesti sunt, ut mihi persuadeo, ac prudentes, et prorsus ad omnia idonei. Quare sumo mihi relaxationem, ita ut liceat nihil negligenti etiam requies-

[1] Joan. XIV, 11. — [2] Alias CCVI.

cere. Vivimus enim inter nos non cum sola aulica simulatione, quam te credo hactenus expertum esse; ex qua qui laudant, majori odio prosequuntur, quam inimicissimos; sed cum decenti invicem libertate arguentes, cum opus est, et reprehendentes, non minus diligimus inter nos, quam qui maxime amici sunt. Ex eo accidit (quod sine invidia dicere liceat) ut dum relaxamur, seria agamus: et dum seria agimus, minime fatigemur, et secure dormiamus: siquidem et vigilans, non pro me magis quam pro cæteris omnibus, ut par est, vigilo. Hæc apud te fortasse nugatus sum, et effutivi levitate quadam animi: (me ipsum namque, sicut Astydamas, collaudavi.) Verumtamen ut tibi persuadeam conspectum tuum, sapientis videlicet hominis, magis nobis profuturum, quam impedimenti quidquam allaturum, hæc scripsi. Propera igitur, ut dixi, publico usurus cursu: cumque apud nos, quantum tibi videbitur, fueris; tum quo voles a nobis, ut decet, dimissus proficisceris.



EPISTOLA XL [1].

JULIANUS BASILIO.

Jactat Julianus lenitatem suam, potentiam ac dominatum, spem saporis sub leges mittendi cum Indis, et Saracenis, originem denique ex Constantio; et Basilium impudentiæ accusat, quod talem se spernat. Leniter edicit, ut sibi Cæsarea transeunti mille auri libræ præsto sint. Minatur Basilio, nisi id fecerit. Addit se intellexisse quæ legit et condemnasse.

Insitam mihi a puero lenitatem et humanitatem hacte-

[1] Alias CCVII.

nus præ me ferens, omnes qui sub sole degunt in meam potestatem redegi. Ecce enim barbaræ omnes nationes, quæ ad Oceani usque limites incolunt, ad meos pedes munera perferunt. Similiter autem et Sagadares, qui ad Danubium habitant, pulchrivaripuriformes, quorum aspectus speciei humanæ similis non est, sed forma prorsus efferata, ii nunc meis pedibus advolvuntur; et quæ meo imperio conveniunt, facturos pollicentur. Neque huc duntaxat feror : sed oportet me quam celerrime in Persidem venire, et Saporem illum Darii nepotem profligare, donec mihi vectigalis ac tributarius fiat : ac simul etiam vicina Indorum ac Saracenorum regio devastanda, donec hi omnes mihi primas concedentes, vectigalia et tributa pendant. Tu vero supra horum potentiam sapis, pietate indutum te esse dictitans, sed præ te ferens impudentiam, et ubique me Romanorum imperio indignum esse divulgans. Nonne ipse nosti me Constantii illius potentissimi nepotem esse? Quamvis autem hæc de te sic cognoverim; non tamen discedo a priore illa animi affectione, quam ego et tu adhuc ætate juvenes communem inter nos habuimus. Sed placido ac sereno animo tibi edico, ut auri libras mille mihi abs te mittantur cum Cæsarea transibo, et adhuc publicum iter tenebo, quam citissime ad Persicum bellum contendens; ac profecto, nisi tu hoc feceris, paratus sum Cæsaream totam destruere, et antiqua illius ornamenta evertere; ac ibi et templa et statuas erigere; adeo ut omnibus persuadeam, ut morem gerant Romanorum imperatori, nec efferantur. Itaque memoratum aurum numero campano ponderans et admetiens, tuto, per unum aliquem ex fidelibus tuis familiaribus ad me mittas, illudque tuo annulo obsignes; ut cognoscente te tandem aliquando, licet sero, nullum veniæ locum esse, ego delictis tuis placer. Quæ autem legi, intellexi et condemnavi.

EPISTOLA XLI [1].

BASILIUS AD HÆC JULIANO.

Juliani impietatem liberrime arguit Basilius, ridet auri summam homini herbis viventi imperatam. Negat ei impie in Deum se gerenti profuturam legem in veneficos latam. Denique pronuntiat eum non intellexisse quæ legit; si enim intellexisset, condemnaturum non fuisse.

I. Exigua sunt tua præsentis fortunæ præclare facta : improba vero quæ contra nos egregie gessisti, vel potius non contra nos, sed contra temetipsum. Ego enim contremisco, cum in mentem venit te purpura indutum, ac tuum infame caput corona redimitum esse, quæ sine pietate non ornat imperium tuum, sed ignominia aspergit. Tu porro excelsus, et supra modum magnus effectus, posteaquam scelesti ac omnis virtutis et honestatis hostes dæmones te in hoc pertraxerunt, non solum supra omnem humanam naturam sentire cœpisti, sed etiam in Deum verticem tollere, ac Ecclesiam omnium matrem ac nutricem injuria afficere, significans mihi, homini vilissimo, ut auri libras mille ad te mittam. Et auri quidem pondus animum meum non perculit, quamvis valde magnum sit ; sed amaras mihi lacrymas excussit, ob hanc tuam celerrimam perniciem. Nam mecum ipse considero me et tuam strenuitatem sacras ac optimas litteras simul didicisse. Nimirum evolvimus uterque sanctas ac a Deo inspiratas Scripturas, atque tunc nihil te latuit. Nunc vero indecorus factus es, ejus-

[1] Alias CCVIII et CCIX.

modi elatione animi veluti castris circumclusus. Noveras nos nudiustertius, serenissime, pecuniarum copiæ cupidos non esse; et tamen nunc mille auri libras a me petivisti. Velis nobis, serenissime, parcere; qui tantum possidemus, quantum, si hodie comedere voluerimus, nobis non sufficiet. Cessat apud nos, ut par est, coquorum ars: nec eorum culter sanguinem attingit. Ciborum nostrorum optimi, quibus affluimus, herbarum folia sunt cum pane asperrimo, et vino acescente: ne scilicet stupentes sensus nostri ob ventris ingluviem in vesania versentur.

II. Nuntiavit et illud mihi Lausus spectabilis tuus tribunus, ac sincerus mandatorum tuorum minister, accessisse mulierem quamdam ad tuam serenitatem ob filii veneno sublati interitum; atque a vobis judicatum veneficos nusquam esse; si sint, e medio tolli: aut illos solos conservari, qui contra bestias pugnant. Atque hoc quod a vobis recte judicatum est, mirum mihi visum est. Illud enim ridiculum est omnino, quomodo magnos vulnerum dolores parvis remediis sanare tentes. Dum enim Deum afficis injuria, frustra viduarum ac orphanorum curam suscipis: quorum alterum stultum est et periculosum: alterum vero humani et misericordis. Grave est nobis, qui privati sumus, apud imperatorem loqui: sed gravius tibi videbitur apud Deum causam dicere. Nullus enim Dei et hominum mediator apparebit. Quæ legisti non intellexisti; nam si intellexisses, non sane condemnasses.

EPISTOLA XLII [1].

AD CHILONEM DISCIPULUM SUUM.

Chiloni demonstrat auctor epistolæ non satis esse recte incipere, sed in perseverantia omnia esse posita : plura tradit solitariæ vitæ præcepta, in his ut non statim ad summum perfectionis se intendat, sed paulatim progrediatur. Cavendum imprimis monet, ne per speciosam causam recte in sæculo vivendi et spiritales conventus obeundi, solitudinis fastidium obrepat.

I. SALUTARIS rei auctor ero tibi, germane frater [2], si libenter a me consilium de rebus agendis acceperis : ac de iis maxime, de quibus ipse rogasti ut tibi consilium daremus. Nam solitariam quidem vitam incipere multi fortasse ausi sunt : sed rem, ut par est, absolvere pauci profecto elaboraverunt. Ac omnino non in proposito solum consistit exitus : sed in exitu laborum fructus. Nulla ergo utilitas, non properantibus ad propositi finem, sed initio solo monachorum vitam circumscribentibus : quinetiam et deridendum relinquunt suum ipsorum propositum, in ignaviæ et levitatis crimen apud exteros incurrentes. Nam et de talibus Dominus dicit : « Quis volens domum ædificare, » non prius sedens computat sumptum, an habeat quibus » opus sit ad absolvendum? ne posteaquam posuerit fun» damentum, et non potuerit perficere, incipiant illudere » ei prætereuntes, dicentes : Hic homo fundamentum po» suit, et non potuit consummare [3]. » Initium igitur alacrem ac promptum in virtute progressum habeat. Etenim gene-

[1] Alias 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 436-437. — [3] Luc. XIV, 28-30.

rosissimus athleta Paulus nolens nos de vita bene ante acta securos otiari, sed quotidie ultra progredi, ait : « Quæ retro » sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens » me ipsum, juxta scopum persequor ad bravium supernæ » vocationis [1]. » Nam talis est tota hominum vita non contenta iis quæ præcesserunt, sed nutrita non magis præteritis quam futuris. Quid enim prodest homini hesterna ventris satietas, hodie insita fame conveniens cibi solatium non inveniente? Sic igitur neque animæ lucrum ullum ex recte facto hesterno, quod ab hodierno opere justo deseritur. « Qualem enim, inquit, reperio te, talem te judico. »

II. Itaque vanus est justi labor, inculpati item sunt peccatoris mores, superveniente immutatione, alteri quidem a virtute ad vitium, alteri autem a vitio ad virtutem translato. Hæc et Ezechielem velut ex persona Domini docentem audire licet. « Si enim, inquit, justus declinans deli» querit, non recordabor eorum quæ juste fecit antea : sed » in peccato suo morietur [2]. » Dicit autem idipsum et de peccatore : « Si considerans fecerit justitiam, vivet in ip» sa [3]. » Quo enim tot ac tanti labores famuli Mosis, cum ipsum vel unius momenti contradictio terræ promissæ aditu arcuerit? Quo et Giezi cum Elisæo convictus, cum sibi lepram pecuniæ amore asciverit? Quid et sapientiæ multitudo Salomonem juvit, tantusque Dei amor præteritus, cum postmodum insano mulierum amore delapsus sit in idololatriam? Sed neque beatum Davidem mentis aberratio inculpatum dimisit, ob admissum in uxorem Uriæ peccatum. Satis autem esset et Judæ a virtute ad vitium lapsus, ad eum, qui vitam secundum Deum agit, communiendum : qui tandiu Christi Discipulus, postea magistro ob exiguum lucrum divendito, sibi ipse laqueum paravit. Illud itaque perspectum tibi sit, frater, non eum qui bene

[1] Philip. III, 13, 14. — [2] Ezech. XVIII, 26. — [3] Ibid. 27.

incipit, perfectum esse: sed qui bene desinit, eum esse Deo probatum. Ne igitur dederis, frater, somnum oculis, neque palpebris tuis dormitationem, ut salvus fias velut dama ex cassibus, et velut avis ex laqueis. Considera per medios te laqueos transire, et supra excelsum murum ambulare, ex quo periculosus cadenti lapsus. Quapropter ne statim ad vitæ asceticæ apicem temetipsum intendas: maxime vero ne tibi ipse confidas, ut ne ob imperitiam ex summo ascetici instituti labaris. Nam satius fuerit paulatim proficere. Itaque voluptates vitæ sensim subtrahe, tuam omnem consuetudinem delens, ne forte si subito omnes simul voluptates irritaris, tibi ipse turbam tentationum accersas. Cum autem unum voluptatis morbum vi superaveris, accinge te ad voluptatem aliam debellandam; et ita demum voluptates omnes tempestive domabis. Nam voluptatis quidem nomen unum, sed res diversæ. Sis itaque primum, frater, in tentatione omni patiens. Qualibus autem tentationibus fidelis probatur, damnis mundanis, criminationibus, mendaciis, contumacia, obtrectationibus, persecutionibus? His et similibus probatur fidelis. Deinde sis etiam quietus, non præceps verbis, non litigiosus, non in contentionem pronus, non cupidus gloriæ vanæ, non effutiens arcana, sed fide dignus, non in sermone multus, sed esto semper non ad docendum, sed ad discendum paratus. Ne curiose de vita mundana inquiras, unde nihil tibi accessurum sit emolumenti. Ait enim: « Ut ne loquatur os » meum opera hominum [1]. » Qui enim ea quæ peccatorum sunt lubens loquitur, cito in se exsuscitat voluptates. Imo potius curiosus sis in vita justorum exquirenda: ita enim tibi ipse comparabis utilitatem. Ne sis tui ostendendi cupidus, pagos aut domos circumcursans; sed hæc ut animarum laqueos fuge. Si quis autem te ob multam pietatem,

[1] Psal. XVI, 4.

in domum suam multis de causis invitet, discat qui talis est fidem Centurionis sequi, qui, cum Jesus curationis ergo ad ipsum properaret, deprecatus est his verbis : « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed » tantum dic verbum et sanabitur puer meus [1]. » Cum autem ei Jesus dixisset : « Vade, sicut credidisti, fiat tibi [2] : puer illa ipsa hora sanatus est. Hoc itaque tibi notum sit, frater, non Christi præsentia, sed petentis fide liberatum fuisse ægrotantem. Ita et nunc precante te in quo fueris loco, et ægroto credente se precibus tuis adjutum iri, evenient illi omnia ex sententia.

III. Plus autem quam Dominum propinquos tuos non diliges. « Qui enim, inquit, patrem, aut matrem, aut fra- » tres supra me diligit, non est me dignus [3]. » Quid vero sibi vult Domini mandatum ? « Si quis, inquit, non tollit crucem » suam, et sequitur me, non potest meus esse Discipulus [4]. » Quod si iis, qui sanguine tibi conjuncti sunt, una cum Christo mortuus es, quid rursus vis cum illis versari ? Sin autem quæ destruxisti propter Christum, rursus ædificas propter cognatos tuos, prævaricatorem te ipsum constituis. Ne igitur ob affinium tuorum usus a loco tuo recedas : recedens enim a loco tuo, fortasse a moribus tuis recedes. Non amator sis turbæ, non ruris, non civitatum, sed solitudinis : apud temetipsum manens semper citra ullam mentis aberrationem, precationem et psalmodiam opus tuum esse existimans. Neque etiam lectiones negligas, Testamenti Novi maxime, propterea quod sæpe ex Veteri Testamento oritur detrimentum : non quod scriptæ sint res noxiæ, sed quod eorum, qui læduntur, mens infirma. Omnis enim panis ad alendum idoneus ; sed nocet infirmis. Sic igitur omnis Scriptura divinitus inspirata est at-

[1] Matth. VIII, 8. — [2] Ibid. 13. — [3] Id. X, 37. — [4] Luc. XIV, 27.

que utilis [1], nec in ea quidquam inquinatum; nisi quod quis inquinatum esse putat, id ipsi inquinatum est. « Omnia » autem proba, quod bonum est tene: ab omni specie mala » abstine [2]. Omnia enim licent, sed non omnia expediunt [3]. » Itaque his, quibuscum versaris, nulla in re sis offendiculo, sis lætus, fratrum amans, blandus, humilis, non excidens hospitalitatis proposito per eduliorum lautitiam, sed præsentibus contentus, nihil a quoquam ultra quotidianum solitariæ vitæ usum accipias : ac præsertim fuge aurum velut animæ insidiatorem, et peccati patrem, ac diaboli ministrum. Te ipse avaritiæ obnoxium ne constitueris, obtentu ministerii erga pauperes. Si quis autem egenorum gratia afferat tibi pecunias, et aliquos noveris indigere, ei ipsi, cui sunt pecuniæ, consilium da, ut fratribus indigentibus distribuat, ne forte conscientiam tuam coinquinent acceptæ pecuniæ.

IV. Voluptates fuge : prosequere continentiam. Ac corpus quidem laboribus exerce : animam vero assuefacito tentationibus. Pro certo tenens corporis et animæ dissolutionem mali cujuscumque esse liberationem, bonorum æternorum expecta fruitionem, cujus omnes Sancti effecti sunt participes. Tu vero indesinenter expendens ac librans, diabolico suggestui oppone piam cogitationem, ei velut in trutina momento lancis præponderanti cedens. Et præsertim cum prava insurgens cogitatio dixerit : Quæ utilitas degendi in hoc loco? Quod lucrum secessus ab hominum societate? An ignoras constitutos a Deo episcopos Ecclesiarum Dei cum hominibus ex more vivere, et spiritales indesinenter celebrare conventus, quos qui obeunt plurimum percipiunt utilitatis? Illic enim Proverbiorum aperiuntur ænigmata : explicantur apostolica documenta : exponuntur evangelicæ sententiæ, theologia auditur; illic congressus

[1] 2 Tim. III, 16. — [2] 1 Thess. V, 21. — [3] 1 Cor. VI, 12.

fratrum spiritualium, magnam occurrentibus ex vultus aspectu utilitatem præbentium. Tu autem te ipse a tantis bonis effecisti alienum, atque hic desides belluarum in morem efferatus. Vides enim hic solitudinem magnam, inhumanitatem non modicam, penuriam doctrinæ, disjunctionem a fratribus, ac spiritum erga Dei mandatum valde inertem ac socordem. Cum igitur talibus ac tantis te speciosis rationibus prava insurgens cogitatio frangere voluerit; oppone ei per piam ratiocinationem ipsius rei experientiam, dicens : « Quandoquidem tu mihi dicis bona esse quæ in mundo sunt, propterea ego illuc transmigravi, indignum me ipsum judicans mundi bonis. Sunt enim mundi bonis mala admixta, ac longe exuperant mala. Nam cum aliquando accessissem ad spirituales conventus, in unum fratrem vix tandem incidi, qui Deum timere videbatur, sed is tenebatur sub diabolo; atque ex ipso audivi lepidos sermones, et confictas ad obvios quosque decipiendos fabulas. Multos post ipsum offendi fures, raptores, tyrannos. Vidi ebriorum speciem indecoram : vidi sanguinem oppressorum. Vidi quoque mulierum pulchritudinem, qua pudicitia mea torquebatur. Ac fornicationis quidem opus effugi : sed virginitatem meam cordis cogitatione inquinavi. Et multos quidem sermones animæ utiles audivi : sed tamen nullum apud magistrum reperi dignam sermonibus virtutem. Post hoc rursus audivi innumerabiles tragœdias, quæ effœminatis modis animum subibant. Rursus audivi citharam suaviter resonantem, plausum saltantium, scurrarum vocem, stoliditatem multam, facetias, turbæ immensæ clamorem. Vidi lacrymas spoliatorum, dolores eorum qui abducebantur a tyrannide, ejulatum eorum qui torquebantur. Et vidi, et ecce non erat conventus spiritualis, sed mare ventis agitatum ac turbatum, omnes simul fluctibus suis tentans obruere. » Dic mihi, o cogitatio mala,

et temporariæ voluptatis ac vanæ gloriæ dæmon, quid mihi est lucri, si hæc et spectem et audiam, cum nulli eorum quibus injuria fit, opem ferre queam : neque liceat mihi imbecilles defendere, aut errantes corrigere : imo etiam insuper me ipse forte perditurus sim. Quemadmodum enim paululum aquæ puræ magna venti procella ac pulvere dissipatur : sic quæ nobis videmur præclare in sæculo facere, malorum multitudine obruuntur. Nam tragœdiæ, velut pali, in cordibus eorum, qui in sæculo sunt, per lætitiam ac gaudium infiguntur, ut psalmodiæ puritati tenebras offundant. Porro ejulatus gemitusque hominum injuriam a tribulibus patientium proferuntur, ut pauperum offendatur patientia.

V. Quæ igitur mihi alia utilitas, nisi certe animæ damnum? Itaque eam ob causam ego velut passer transmigro in montes. Sum enim sicut passer ex laqueo venantium liberatus. Etenim in hac solitudine dego, o mala cogitatio : in qua Dominus versatus est. Hic quercus Mambre : hic scala ferens ad cœlum, et Angelorum castra a Jacob conspecta : hic solitudo, in qua populus purificatus legem accepit, et ita demum in terram promissionis ingressus Deum vidit. Hic mons Carmelus, in quo Elias commorans placuit Deo : hic campus, in quem cum Esdras secessisset, omnes libros divinitus inspiratos, Deo jubente, eructavit. Hic solitudo, in qua beatus Joannes locustas edens, hominibus pœnitentiam prædicavit. Hic mons Olivarum, in quem cum Christus ascendisset oravit, orare nos docens. Hic Christus solitudinis amator. Ait enim : « Ubi duo sunt » aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio » eorum [1]. » Hic angusta et arcta via, quæ ducit ad vitam. Hic doctores, et Prophetæ, in solitudinibus errantes ac montibus, speluncisque et foraminibus terræ. Hic Apostoli

[1] Matth. XVIII, 20.

et Evangelistæ, et monachorum semota ab urbibus vita. Hæc itaque ultro suscepi, ut consequar quæ Christi martyribus et omnibus aliis Sanctis promissa sunt; ut vere ac citra mendacium dicam : « Propter verba labiorum tuorum » ego custodivi vias duras [1]. » Novi enim charum Deo Abraham, qui voci Dei obsecutus est, et in solitudinem migravit; et Isaac potentia oppressum, et Jacob patriarcham peregrinantem : pudicum Joseph divenditum : pueros tres abstinentiæ inventores, qui adversus ignem pugnarunt : Danielem semel et iterum in fossam leonum conjectum : Jeremiam libere loquentem, cœni lacui addictum : Esaïam arcanorum spectatorem, serra sectum : adductum in captivitatem Israëlem : Joannem adulterii objurgatorem, capite truncatum : martyres Christi de medio sublatos. Et quid pluribus moror? ubi et ipse Salvator pro nobis crucifixus est, ut morte sua vivificaret nos, et unumquemque nostrum ad patientiam incitaret ac traheret. Ad hunc festino, et ad Patrem, et ad Spiritum sanctum. Legitimus inveniri conor, indignum memet judicans mundi bonis. Cæterum neque ego propter mundum, sed mundus propter me. Hæc igitur apud temetipsum reputans, eaque diligenter, ut tibi dictum est, exequens, decerta pro veritate usque ad mortem. Etenim Christus ad mortem usque factus est obediens. Sed et Apostolus dicit : « Videte ne quando » sit in ullo vestrum cor pravum, ut desciscat a Deo vivente : » sed exhortemini vos invicem, et ædificate singuli singulos, » quandiu dicitur dies hodiernus [2]. » Nam dies hodiernus significat totum vitæ nostræ tempus. Sic igitur vivens, frater, te ipse servabis, nosque exhilarabis, et Deum glorificabis in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. XVI, 14. — [2] Hebr. III, 12, 13.

EPISTOLA XLIII [1].

ADMONITIO AD JUNIORES.

Basilius, seu quivis alius epistolæ auctor, evangelica præcepta solitariis breviter exponit.

Disce tu, qui solitariam vitam degis, quique fidelis homo ac pietatis cultor es, et edocere evangelicum vivendi genus, corporis in servitutem redactionem, spiritum humilem, mentis puritatem, iræ extinctionem. Coactus insuper adde propter Dominum : damno affectus, ne litiges : odio habitus, dilige : persecutione appetitus, sustineto : male audiens, obsecra. Sis peccato mortuus : sis una cum Deo crucifixus : curam omnem transfer in Dominum, ut reperiaris ubi Angelorum sunt myriades, primogenitorum conventus, Apostolorum throni, Prophetarum præcellentes sedes, sceptra Patriarcharum, Martyrum coronæ, Justorum præconia. Inter hos justos ut tu ipse annumereris, concupisce, in Christo Jesu Domino nostro. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

EPISTOLA XLIV [2].

AD MONACHUM LAPSUM.

Lapso monacho auctor epistolæ primum peccati magnitudinem, deinde misericordiam divinam ante oculos ponit, et ut ad se veniat, benigne hortatur.

I. Salutem non dicimus, quia non est salus impiis [3]. Ad-

[1] Alias II. — [2] Alias III. — [3] Vide D. Guillon, tom. VII, p. 457.

huc enim incredulus sum, nec in pectus meum intrat tantum nefas ac magnum facinus, quod admisisti : siquidem res, uti jam omnibus manifesta est, ita sese habet. Admiror enim quomodo sapientia tanta absorpta sit, quomodo tam accurata vivendi ratio dissoluta : unde circumfusa fuerit cæcitas tanta : quomodo nihil prorsus considerans, talem ac tantam animarum perniciem induxeris. Id enim si verum est, tradidisti et tuam ipsius animam barathro, et omnium, qui impietatem hanc audiunt, robur exolvisti. Irritam fecisti fidem : aberrasti a certamine bono. Quapropter doleo tua causa. Quis enim sacerdos, ubi audierit, tua causa non lamentatibur? quis ecclesiasticus non plangit? quis laïcus tristitia non afficitur? quis monachus non mœret? Forte etiam sol ob tuum lapsum obscuratus est, et virtutes cœlorum commotæ sunt ob exitium tuum. Quin et lapides sensus expertes insaniam tuam defleverunt : ploravere quoque inimici ob iniquitatis tuæ magnitudinem. O magnam cæcitatem ! O miram crudelitatem ! Deum non timuisti : homines reveritus non es : non te amici moverunt : sed simul omnium naufragium fecisti : simul spoliatus es omnibus. Quocirca iterum causa tua, miser, doleo. Qui regni violentiam atque difficultatem omnibus annuntiabas, regno excidisti. Qui doctrinæ metum omnibus incutiebas, Dei non habuisti timorem ob oculos tuos. Qui sanctimoniam prædicabas, scelestus deprehenderis. Qui de paupertate gloriabare, pecuniarum inventus es raptor. Qui imminens a Deo supplicium disserendo ostendebas, tibi ipse accersivisti supplicium. Quomodo te lugebo? Quomodo tua causa dolebo? Quomodo excidit lucifer qui mane oriebatur, et contritus est in terra? Cuilibet audienti auris utraque tinniet. Quomodo Nazaræus auro splendidior, fuligine factus est obscurior? Venerandus filius Sion, quomodo factus est vas inutile? Cujus in sacris Scripturis le-

legendis prædicabatur memoria ab omnibus, ejus hodie memoria cum sonitu periit. Qui erat ingenio acri et veloci, velociter interiit : præditus prudentia multiplici, multiplex peccatum perpetravit. Quibus enim profuit doctrina tua, ii ex tuo exitio damnum accepere. Qui aures colloquiis tuis adhibuerunt, obturavere pernicie tua audita. Ego vero lamentans tristemque vultum præ me ferens, et undelibet exolutus, et cinerem velut panem comedens, sacco in plagam meam injecto, tibi ejusmodi præconia recenseo : imo potius orationem funebrem componens, consolationem nullam, nullamque medelam admitto; quippe abscondita est ab oculis meis consolatio, nec est fomentum apponere, neque oleum, neque ligamenta. Est enim plaga mea doloris plena : unde sanabor?

II. Si qua igitur adhuc spes tibi superest salutis : si qua exigua Dei recordatio, si quod desiderium futurorum bonorum, si quis metus suppliciorum, quæ servata sunt non pœnitentibus, resipisce velociter : attolle oculos tuos in cœlum, intellige, desiste a tua nequitia, excute circumfusam tibi ebrietatem; insurge in eum, qui te prostravit. Fortiter conare e terra resurgere. Recordare boni Pastoris, qui persequens eruet te. Etiamsi supersint crura duo, aut auriculæ summitas, resili ab eo, qui te vulneravit. Memor esto miserationum Dei, qui curat oleo et vino. Ne desperes salutem. Revoca in memoriam, quæ scripta sunt, nempe lapsum resurgere [1], aversum converti, percussum curari, a bestiis captum liberari, confitentem non rejici. Non enim vult Deus mortem peccatoris, quemadmodum vult converti ipsum, et vivere [2]. Ne contempseris, velut in malorum profundum collapsus [3]. Tempus patientiæ est, tempus lenitatis, tempus curationis, tempus emendationis. Lapsus es? exurge. Peccasti? desine. Ne stes in via peccatorum [4], sed resili.

[1] Jer. VIII, 4.— [2] Ezech. XVIII, 32.— [3] Prov. XVIII, 3.— [4] Psal. I, 1.

Nam cum conversus ingemueris, tunc servabere. Est enim ex laboribus sanitas, et salus ex sudoribus. Vide igitur ne forte, dum servare vis, quæ cum nonnullis pactus es; inita cum Deo pacta, quæ coram multis testibus professus es, transgrediare. Ne igitur ob humanas quasdam ratiocinationes cuncteris ad me venire. Ego enim receptum mortuum meum lugebo, ego curabo, ego amare flebo super contritione filiæ generis mei. Excipient te omnes, omnes se tibi laborum socios adjungent. Ne despondeas animum: memor sis dierum antiquorum. Est salus: est emendatio. Confide; ne desperes. Non est lex citra misericordiam morte condemnans, sed gratia differens pœnam, expectans emendationem. Nondum occlusæ sunt fores: audit sponsus: non dominatur peccatum. Redintegra denuo luctam: ne moreris, sed tui ipsius et omnium nostrum miserere in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XLV [1].

AD MONACHUM LAPSUM.

Cum quidam, relictis magnis opibus, monasticam vitam amplexus esset, ac postea ex summo pietatis fervore in adulterium et alia scelera incidisset, auctor epistolæ, qui cum eo Hierosolymis commoratus fuerat, peccati et scandali magnitudinem ei exponit, simulque spe misericordiæ divinæ, et exemplo Judæorum ac gentilium, qui tunc ad Dei cultum compellebantur, ad certamen revocat.

I. Duplex timor subiit mentis meæ sinus tua causa.

[1] Alias IV.

Aut enim præoccupans me immisericors quidam animi motus in crimen inhumanitatis conjicit : aut rursus misereri volentem, etiam ut ad vitia remollescam, male convertit. Quare et hanc meam epistolam exaraturus, manum quidem torpescentem ratiocinationibus corroboravi, sed vultum ex concepta propter te tristitia anxium mutare non potui : tanto mihi, tua causa, incusso pudore, ut oris etiam flexus, labiis meis in luctum conversis, statim concideret. Hei mihi! quid scribam, aut quid cogitem in trivio constitutus ? Si mihi prioris tuæ vanæ vivendi rationis veniat in mentem, cum circumfluerent te divitiæ, ac humi repens gloriola, horreo : cum adulatorum te sequeretur multitudo, frueterisque brevi ac temporaria voluptate, non sine manifesto periculo et iniquo quæstu : et partim quidem magistratuum timor te de salute cogitantem exagitaret : partim vero publicorum negotiorum tumultus tuam interturbarent domum, atque malorum frequentia mentem tuam ad eum, qui opitulari tibi poterat, retorqueret : cum paulatim Servatorem circumspicere meditareris, timores quidem tibi ad tuam utilitatem inferentem, liberantem vero ac protegentem te, qui ei, dum in tuto esses, illuseras: cum te ad innovandos acquirendosque honestos mores exerceres, periculosissimam tuam opulentiam nihili faciens, reique familiaris curam et uxoris consuetudinem refugiens. Quinetiam totus sublimis, velut peregrinus et erro, agris et civitatibus peragratis, petisti Jerosolyma, ubi et ipse tecum commoratus ob athleticos te labores beatum prædicabam, cum per septenarios circulos jejunus perseverans Deo philosophareris, simulque congressus humanos veluti in fugam conversus devitares, atque tranquillo ac solitario vivendi genere tibi parato, civiles tumultus declinares. Præterea corpus tuum cilicio aspero lancinans, et zona dura astringens lumbos tuos, patienter

ossa tua atterebas. Quin et ilia inedia concavans, ea usque ad dorsi partes laxa effecisti, atque fasciæ mollis rejecto usu, abdomen intrinsecus cucurbitæ in morem contractum, renibus adhærescere cogebas. Ad hæc, evacuato carnis toto adipe, exsiccasti strenue meatus sub ventre sitos, et ipso ventre inedia coarctato, faciebas ut costatæ partes, tecti quasi quædam eminentia umbram inducerent partibus umbilici. Atque contracto toto organo, nocturnis horis confitens Deo, lacrymarum rivis barbæ pilos madefactos complanabas. Quid autem opus est recensere me singula? Memineris quot Sanctorum ora exceperis osculo, quot sacra corpora amplexus sis, quot viri manus tuas velut intaminatas foverint, quot servi Dei velut venerantes confugerint ad genua tua complectentes.

II. At horum quis tandem finis? Adulterii fama nuntiati crimen, sagitta velocius pervolans, aures nostras sauciat, acutiore stimulo viscera nostra compungens. Quæ tam artificiosa præstigiatoris versutia in tam perniciosum casum te conjecit? Quænam diaboli sinuosa retia te constringentia virtutis nervos immobiles reddiderunt? Quo abiere laborum tuorum narrationes? Sed fortasse æquum non est his fidem adhibere? Et quomodo non ex manifestis ea etiam credemus quæ hactenus abscondita fuerunt; siquidem animas, quæ ad Deum confugiebant, juramentis horrendis obstrinxisti, cum tamen nominatim quidquid his voculis «Est,» et «Non» amplius est [1], diabolo attribuatur. Itaque simul quoque exitiosi perjurii fuisti sponsor, atque instituti ascetici charactere in contemptum adducto, ad Apostolos usque, ipsumque Dominum dedecus ac infamiam transmisisti. Dedecorasti castitatis gloriationem: labe aspersisti continentiæ votum, captivorum facti sumus tragœdia, a Judæis et gentilibus res nostræ in scenam et

[1] Matth. v, 17.

actus deducuntur. Discidisti monachorum studia : diligentiores cautioresque in metum formidinemque conjecisti, adhuc diaboli potestatem admirantes : negligentiores vero ad sequendum incontinentiæ exemplum traduxisti. Dissolvisti, quantum in te fuit, gloriationem Christi, qui dixit : « Confidite, ego vici mundum, ejusque principem [1]. » Craterem dedecoris miscuisti patriæ. Vere implevisti proverbium : « Velut cervus sagitta ictus in jecore. » Sed quid jam? Non cecidit fortitudinis turris, o frater ! non obsorduerunt correctionis ac conversionis remedia : non occlusa est civitas perfugii. Ne in profundo malorum permaneas, nec te tradas homicidæ. Novit Dominus elisos erigere. Ne procul fugias, sed ad nos recurre. Resume iterum labores juveniles, secundis recte factis humi repentem sordidamque voluptatem delens. Respice ad finis diem, ita vitæ nostræ vicinum ac propinquum ; et nosce quomodo jam Judæorum et gentilium filii ad Dei cultum compelluntur, nec omnino abneges mundi Servatorem : ne te maxime horribilis illa comprehendat sententia : « Non » novi vos, quinam sitis [2]. »

[1] Joan. XVI, 33. — [2] Matth. VII, 23.

EPISTOLA XLVI [1].

AD VIRGINEM LAPSAM.

Virginem lapsam vehementer arguit auctor epistolæ, eamque virginitatis voto, quod negabat, vere obstrictam fuisse demonstrat; ac dolorem suum significat, quod, Christo sponso derelicto, impium corruptorem elegerit. Postremo mortis, judicii et æterni supplicii metu, ac spe misericordiæ divinæ ad pœnitentiam adducere conatur.

I. Nunc tempus exclamandi propheticum illud, ac dicendi[2]: «Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et deplorabo vulneratos filiæ populi mei [3]?» Quamvis enim illos altum silentium teneat, jaceantque semel malo obruti, ac letale vulnus ipsum etiam mali sensum abstulerit, nos tamen sine lacrymis tantum casum prætermittere non oportet. Etenim si quorum corpora in bello percussa erant, eos Jeremias innumeris lacrymis dignos judicavit; quidnam quis dixerit in tanta animarum calamitate? «Vulnerati tui, inquit, non sunt vulnerati gladii, et mortui tui non sunt mortui belli [4].» Sed veræ mortis aculeum defleo, peccatum grave, et ignita maligni jacula, quæ animas una cum corporibus crudeliter combussere. Certe scelere tanto in terra conspecto valde ingemuerint Dei leges, quæ interdicunt semper, ac clamant, olim quidem, «Non concupisces uxorem proximi tui [5]:» per sacra vero Evangelia: «Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam

[1] Alias v. — [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 457-460. — [3] Jer. IX, 1. — [4] Isaï. XXII, 2. — [5] Deut. V, 21.

» in corde suo [1]. » Nunc autem vident adulterium impudenter committere ipsam Domini sponsam, cujus caput Christus. Profecto et ipsi ingemiscant Sanctorum spiritus : Phinees quidem zelotes, quod non etiam nunc ei liceat, hasta in manu sumpta, corporaliter scelus ulcisci : Joannes vero Baptista, quod non possit, relictis supernis sedibus, ut olim solitudine, ad redarguendam iniquitatem accurrere; ac si quid pati oporteat, caput potius amittere quam loquendi libertatem. Quin potius, siquidem et nobis beati Abelis exemplo, licet mortuus, adhuc loquitur, etiam nunc clamat et vociferatur altius Joannes, quam olim de Herodiade : « Non licet tibi habere eam [2]. » Etsi enim Joannis corpus, prout naturæ necessarium est, divinam sententiam excepit, siletque lingua, « Tamen verbum Dei non est alli» gatum [3]. » Qui enim nuptii conservi violatis loquendi libertatem ad mortem usque perduxit, quonam esset animo futurus, si tantam contumeliam sancto Domini thalamo illatam conspiceret ?

II. At tu, postquam divinæ illius conjunctionis abjecisti jugum, atque intaminatum veri regis thalamum fugiens ; in turpem illam impiamque corruptelam fœde lapsa es, cum jam non habeas quomodo amaram hanc accusationem effugias, nec ullo modo aut arte malum illud abscondere queas, præceps in audaciam prorumpis. Et quoniam impius in profundum malorum lapsus, deinceps contemnit, ipsa etiam pacta cum vero sponso inita abnegas, neque esse te virginem, nec unquam promisisse clamitans, quamvis multa acceperis, multa demonstraveris virginitatis pignora. Revoca tibi in memoriam præclaram professionem, quam professa es coram Deo, Angelisque et hominibus. Revoca tibi in memoriam societatem venerandam et sacrum virginum chorum, ac cœtum Domini, et Ecclesiam

[1] Matth. v, 28. — [2] Id. xiv, 4. — [3] 2 Tim. ii, 9.

Sanctorum. Memineris quoque aniculæ in Christo aviæ, quæ virtute juvenescit etiamnum, et floret: matris itidem, quæ in Domino cum illa decertat, et novis quibusdam ac insuetis laboribus consuetudinem dissolvere conatur: similiter et sororis partim illas pro viribus imitantis, partim etiam vincere contendentis, et avita præclare facta virginitatis ornamento superantis, et te sororem, uti putabat, ad simile certamen tum sermone, tum vita haud ignave provocantis. Horum recordare, et angelicæ una cum eis circa Deum choreæ, et spiritualis in carne vitæ, et cœlestis in terra instituti. Recordare dierum tranquillorum, et noctium illuminatarum, et cantilenarum spiritualium, et psalmodiæ sonoræ, precum sanctarum, thori casti atque intaminati, virginei progressus, mensæ sobriæ, ac præclare precantis ut incorrupta tibi virginitas servaretur. Ubi tua illa gravis species et honesti mores, vestis vilis virginem decens, pulcher ex pudore rubor, et decorus ex abstinentia ac vigiliis efflorescens pallor, atque omni pulchro colore decentius elucescens? Quoties in precibus pro virginitate citra maculam servanda, forte lacrymas effudisti? Quot litteras ad Sanctos exarasti, per quas tibi eorum efflagitabas preces, non ut humanas nuptias, imo ignominiosam illam corruptionem assequereris, sed ut a Domino Jesu non excideres? Quoties Sponsi accepisti dona? Quid opus est honores etiam illius causa ab iis, qui ejus sunt, delatos memorare? convictum cum virginibus: factos cum eisdem progressus: salutationes a virginibus exhibitas: laudes ob virginitatem: virgineas eulogias, litteras ut ad virginem scriptas? At spiritus aërii, qui nunc in filiis contumaciæ operatur[1], exigua aura modo suscepta, abnegasti hæc omnia, et pretiosam illam et dimicatione omni retinendam possessionem brevi voluptate commutasti: quæ

[1] Ephes. II, 2.

ad tempus quidem guttur tuum illinit et exhilarat, sed postea felle amarior comperietur.

III. Ad hæc quis non ingemiscens dicat: « Quomodo » facta est meretrix civitas fidelis Sion[1]? » Quomodo autem non ipse Dominus ad eorum, qui nunc in Jeremiæ spiritu ambulant, aliquos dicat? « Vidisti quæ fecit mihi virgo Is» raël[2]? Ego despondi ipsam mihi ipsi in fide et integritate, » in justitia, et in judicio, et in misericordia atque misera» tionibus[3], » quemadmodum et per Oseam prophetam ei promisi. Ipsa vero dilexit alienos, et vivente me viro adultera audit, nec veretur viri alterius esse. Quid vero sponsæ dux divinus ac beatus Paulus, vetus ille et novus hic, quo sequestro ac doctore, relicta paterna domo, Domino conjuncta es? Annon dicat tanto malo dolens uterque? « Ti» mor enim quem timebam, venit mihi; et quem metue» ram, occurrit mihi[4]. Desponsavi enim te uni viro, virgi» nem castam exhibere Christo[5]: » sed metuebam semper, ne quodam modo, ut serpens Evam decepit versutia sua, ita aliquando corrumperentur sensus tui. Quapropter innumeris incantamentis semper conatus sum affectuum tumultum comprimere, et innumeris excubiis Domini sponsam custodire, et vitam innuptæ semper exponebam, quod « Innupta sola curat quæ Domini sunt, ut sit sancta cor» pore et spiritu[6]; » et virginitatis dignitatem enarrabam, et templum Dei te appellans, velut alas addebam, alacritate erigens ad Jesum; et per mali timorem ad cavendum casum suppetias ferebam, cum dicerem: « Si quis templum » Dei profanat, hunc perdet Deus[7]. » Sed et præsidium ex precibus meis addebam, si qua ratione integrum tibi corpus et anima et spiritus posset citra reprehensionem in adventu Domini nostri Jesu Christi servari. At frustra hæc

[1] Isaï. I, 21. — [2] Jer. XVIII, 13. — [3] Osee II, 19, 20. — [4] Job. III, 25. — [5] 2 Cor. XI, 2 — [6] 1 Cor. VII, 34. — [7] Id. III, 17.

omnia in te laboravi, mihique amarus extitit dulcium illorum laborum exitus, rursusque ingemendi necessitas ob eam, de qua gaudere me oportebat. Ecce enim decepta es a serpente amarulentius quam Eva. Corrupta est non mens tua solum, sed etiam una cum mente corpus tuum. Et horrendum illud, quod et dicere pudet, nec tamen silere queo, (est enim velut quidam ignis in ossibus meis accensus et ardens, resolvorque undique et non possum ferre) tollens utique membra Christi, membra fecisti meretricis. Hoc unum ex omnibus malum nequit cum alio comparari : hoc novum est in vita facinus. « Pertransite, » inquit, insulas Chettiim et videte, et in Cedar mittite, et » considerate vehementer, an facta sint talia? an permu» tarint gentes deos suos? et isti non sunt dii[1]. » Virgo autem mutavit gloriam suam, ejusque gloria est in turpitudine sua. Obstupuit cœlum ob hoc, et inhorruit terra vehementius. Dicit etiam nunc Dominus : « Duo mala perpetravit virgo : me dereliquit verum animarum sanctarum sanctum Sponsum, et confugit ad impium et iniquum animæ simul ac corporis corruptorem. Defecit a Deo servatore suo, et præbuit membra sua serva immunditiæ et iniquitati[2] ad iniquitatem. Oblita est autem mei, dicit Dominus, et post amatorem suum ibat[3], a quo non juvabitur.

IV. Expediret ei ut mola asinaria circa collum ipsius posita fuisset, et in mare projectus esset[4], potius quam offendiculo fuisset virgini Domini. Quis servus contumax ita insaniit, ut in herilem thorum se ipse injiceret; aut quis prædo eo amentiæ devenit, ut ipsa Dei donaria contingeret, non vasa inanimata, sed corpora viventia, et animam inhabitantem habentia factam ad imaginem Dei? Quis unquam auditus est in media civitate et serena meridie

[1] Jer. II, 10, 11. — [2] Rom. VI, 19. — [3] Osee II, 13. — [4] Luc. XVII, 2.

imagini regiæ formas immundorum porcorum inscribere ausus esse? Nuptias humanas si quis violaverit, immisericorditer coram duobus aut tribus testibus moritur. Quanto graviore supplicio, putatis, dignus censebitur, qui Filium Dei viventis conculcavit, eique promissis obstrictam sponsam adulterio contaminavit, ac spiritum virginitatis contumelia affecit? At illa, inquit, volebat, nec invitæ vim intuli. Sed et libidinosa illa Ægyptia domina pulchri Josephi amore insaniebat[1]; verum non vicit virtutem pudici furor impudicæ, neque illa manibus vim inferente, ad iniquitatem ille adactus. At illa hoc decreverat, inquit, nec amplius erat virgo, et si ego non voluissem, fuisset ab altero corrupta. Oportebat quidem et Filium hominis tradi: sed væ illi per quem traditus est. Atque scandala venire necesse est : sed væ illi per quem veniunt.

V. Ad hæc autem, « Numquid qui cadit, non resurgit: » aut qui se avertit, non convertitur[2]? » Cur avertit se virgo aversione impudenti, tametsi audivit Christum sponsum per Jeremiam dicentem : « Et dixi postquam scortata fuit » hæc omnia, ad me revertere, et reversa non est[3]. Num» quid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? » Quare non ascendit sanatio filiæ populi mei[4]?» Ac multa quidem reperias in divina Scriptura mali remedia, multa ex interitu ad salutem medicamenta, de morte atque resurrectione mysteria, de horrendo judicio deque æterno supplicio testimonia, de pœnitentia et venia peccatorum dogmata; innumera illa conversionis exempla, drachmam, oviculam, filium qui consumpserat res suas cum scortis, perditum et repertum, mortuum et rursus viventem. Utamur his mali remediis : per hæc animæ nostræ medeamur. Cogita autem diem extremam (siquidem non tu sola sæ-

[1] Gen. XXXIX, 12. — [2] Jer. VIII, 4. — [3] Id. III, 7. — [4] Id. VIII, 22.

culum æternum vives) anxietatem, suffocationem, mortis horam, urgentem Dei sententiam, festinantes Angelos, animum interea graviter perturbatum, et conscientia peccatrice amare excruciatum, seque miserabiliter ad ea, quæ hic sunt convertentem, ac ineluctabilem longæ illius peregrinationis necessitatem. Describe mihi in mente tua extremum communis vitæ finem, cum veniet Filius Dei in gloria sua cum Angelis suis : « Veniet enim et non sile- » bit [1] : » nimirum quando veniet judicaturus vivos ac mortuos, atque unicuique secundum opus suum redditurus, quando tuba illa magnum quiddam ac horrendum sonans excitabit eos, qui ab orbe condito dormierint, et procedent qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui vero mala, in resurrectionem judicii. Revoca tibi in memoriam Danieli oblatam Dei visionem, quomodo nobis ob oculos judicium ponat. « Aspiciebam, inquit, donec throni positi » sunt, et Antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candi- » dum, quasi nix : et capillus capitis ejus, quasi lana mun- » da : rotæ ejus ignis ardens. Flumen ignis trahebat in » conspectu ejus. Mille millia deserviebant ei, et dena » millia denum millium assistebant ei. Judiciique locum » constituit, et libri aperti sunt [2], » bona, mala, manifesta, occulta, actiones, verba, cogitationes, omnia acervatim, ut ab omnibus et Angelis et hominibus exaudiri possint, clare et aperte revelantes. Ad hæc quomodo affectos necesse est esse eos qui male vixerint? Ubi itaque anima illa abscondetur, quæ in oculi tot spectatorum subito visa fuerit dedecoris plena? Quali vero corpore infinita illa et intolerabilia perferet supplicia ? Ubi ignis inextinctus, et vermis indesinenter puniens, et imum inferi tenebricosum et horrendum et ululatus amari, et ejulatus ingens, et ploratus, et stridor dentium, et ubi mala finem non habent.

[1] Psal. XLIX, 3. — [2] Dan. VII, 9, 10.

Ab his post mortem liberari non datur, neque est industria ulla, neque ars effugiendi amara supplicia.

VI. Hæc nunc vitare licet. Dum autem licet, erigamus nosmetipsos ex casu, neque de nobis ipsi desperemus, si a malis discesserimus. Jesus Christus venit in mundum peccatores salvos facturus. « Venite, adoremus et procidamus » ante illum, et ploremus coram ipso [1]. » Verbum vocans nos ad pœnitentiam, clamat ac vociferatur : « Venite ad » me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam » vos [2]. » Est igitur via salutis, si modo velimus. Deglutivit mors prævalens : sed probe scito Deum rursum abstulisse lacrymam omnem ab omni facie pœnitentium [3]. « Fidelis » Dominus in omnibus verbis suis [4]. » Non mentitur cum dicit : « Si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut » nive dealbabo : si vero fuerint ut coccinum, sicut lanam » dealbabo [5]. » Paratus est magnus ille animarum Medicus morbum tuum sanare ; qui non tui solius, sed eorum omnium, qui peccato in servitutem addicti sunt, promptus est liberator. Verba illius sunt : dulce illud ac salutare os dixit : « Non opus habent valentes medico, sed male haben» tes. Non veni ad vocandum justos, sed peccatores ad » pœnitentiam [6]. » Quænam ergo tua excusatio est, aut alterius cujusvis, cum hæc ipse clamet? Vult Dominus purgare te a doloris plaga, ac post tenebras tibi lumen ostendere. Quærit te Pastor bonus, ovibus, quæ non erravere, derelictis. Te ipsa si dederis, non cunctabitur, neque dedignabitur te suis ipsius humeris portare, lætus quod ovem suam perditam invenerit. Stat pater ac expectat tuum ab errore reditum. Revertere tantummodo, teque longe adhuc stante, accurrens cadet in collum tuum, et amicis amplexibus jam pœnitentia expurgatam complecte-

[1] Psal. XCIV, 6. — [2] Matth. XI, 28. — [3] Isaï. XXV, 8. — [4] Psal. CXLIV, 13. — [5] Isaï. I, 18. — [6] Matth. IX, 12, 13.

tur, Quinetiam stola prima animam induet, homine vetere cum operibus suis exutam, annulumque manibus mortis sanguine ablutis circumponet, et calceos dabit pedibus a via mala ad cursum Evangelii pacis conversis. Atque lætitiæ ac gaudii diem annuntiabit suis tum Angelis, tum hominibus, ac omnibus modis salutem tuam celebrabit. Ait enim : « Amen dico vobis, quod gaudium est in cœlo » coram Deo, super uno peccatore pœnitente [1]. » Quod si quispiam ex iis, qui stare sibi videntur, vitio verterit, quod cito assumpta es; ipse ille bonus Pater pro te respondebit, dicens : « Lætandum est et gaudendum, quia hæc filia mea mortua erat, et revixit, et deperdita erat, et inventa est. »

[1] Luc. xv, 7.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI.

EPISTOLÆ.

CLASSIS II.

EPISTOLÆ QUAS S. BASILIUS EPISCOPUS SCRIPSIT AB ANNO 370 AD ANNUM 378.

EPISTOLA XLVII [1].

GREGORIO SODALI.

Gregorius theologi pater Eusebium Samosatensem, misso Eustathio diacono, invitat ad electionem episcopi Cæsariensis, ut, eo adjuvante, Basilius eligi possit.

« Quis dabit mihi alas sicut columbæ [2], » aut quomodo senium meum renovetur, ut ad dilectionem vestram transire, et meum vestri desiderium exsatiare possim, et molestias animi narrare, et a vobis aliquod afflictationum levamen consequi? Nam mortuo beato episcopo Eusebio, metus nos cepit haud parvus, ne forte qui aliquando Ecclesiæ metropolis nostræ insidiati sunt, eamque hæreticis zizaniis complere voluerunt, nunc occasionem nacti, satam multo

[1] Alias IV. Anno 370. — [2] Psal. LIV, 7.

labore in hominum animis pietatem pravis suis doctrinis eradicent, ejusque scindant unitatem : quod et in multis Ecclesiis factitarunt. Postquam autem et cleri litteræ ad nos venerunt, exhortantes ut ne ejusmodi tempore despiciamus; circumspiciens quoquoversum, recordatus sum vestræ charitatis rectæque fidei, et studii quod semper in Ecclesias Dei adhibetis. Atque ea de causa misi dilectum Eustathium condiaconum, qui vestram gravitatem adhortetur, exoretque ut exantlatis omnibus pro Ecclesiis laboribus hunc quoque addatis, simulque senium meum vestro recreetis congressu, ac percelebrem sanæ Ecclesiæ pietatem instauretis, præficientes ei una nobiscum (si modo digni habeamur, qui vobiscum opus bonum adjuvemus) pastorem secundum Domini voluntatem, qui possit ipsius populum gubernare. Habemus enim ob oculos virum, nec vobis ignotum : quem si obtinere possumus, scio acquisituros nos magnam apud Deum fiduciam, atque in populum, qui nos advocavit, beneficium maximum collaturos. Sed iterum atque sæpius rogo, ut omni deposita segnitie occurratis et hyemis difficultates antevertatis.

EPISTOLA XLVIII [1].

EUSEBIO EPISCOPO SAMOSATORUM.

Hyemem excusat Basilius cur non scripserit. Mittit epistolas Antiochia allatas. Narrat de Demophilo simulacrum pietatis et rectæ fidei præ se ferente, et de episcoporum, post egressum Eusebii, adventu et schismatico animo. Rogat ut se revisat vere ineunte.

Vix nacti sumus qui litteras ad tuam pietatem deferret,

[1] Alias CCLIV. Initio episcopatus.

siquidem nostri homines ita hyemem exhorrescunt, ut ne paulum quidem ex ædibus prospicere velint. Nam tanta nivium copia abluti sumus, ut cum ipsis ædibus cooperti jam duos menses in speluncis latitemus. Prorsus itaque nobis ignosces, cum et Cappadocum animi timiditatem, et corporum torporem noveris, si citius non scripsimus, neque fecimus præstantiam tuam eorum, quæ Antiochia allata sunt, certiorem : quæ quidem omnino tibi nota facere rancidum est et frigidum, ut qui dudum didiceris, ut verisimile est ; sed tamen nihil incommodi esse existimantes, etiam cognita significare ; misimus allatas per lectorem epistolas. Ac de his quidem hactenus. Constantinopolis autem jamdudum habet Demophilum, ut et illi ipsi narrabunt, atque ut procul dubio jam prius sanctitati tuæ nuntiatum est. Ac de illo quidem simulacrum quoddam rectæ fidei et pietatis ab omnibus advenientibus, summo consensu jactatur ; adeo ut etiam dissidentes civitatis partes coaluerint in unum, atque ex vicinis episcopis nonnulli conjunctionem amplexi sint. Nostri autem spe et expectatione non extitere meliores. Nam cum statim post egressum tuum advenissent, multa quidem tristia dixere, multa etiam fecere, ac tandem discesserunt firmato nobis schismate. Utrum autem melius aliquid futurum sit, atque utrum ab improbitate discessuri sint, nemini nisi Deo compertum est. Itaque res præsentes sunt ejusmodi. Ecclesia autem reliqua per Dei gratiam præclare stat, teque exoptat, simul ac ver prodierit, iterum apud nos videre, et per bonam tuam doctrinam renovari. Mihi autem corpus solito melius non se habet.

EPISTOLA XLIX [1].

ARCADIO EPISCOPO.

Basilius gratias agit Arcadio, qui conceptam a se de eo spem significaverat. Promittit ei Basilius Martyrum reliquias, ad Ecclesiam ab ipso constructam, si quas reperire possit.

Gratias egi Deo sancto, lectis pietatis tuæ litteris; precorque ut et ego ea spe, quam de me concepisti, dignus sim, et tu honoris, quem mihi habes in nomine Domini Jesu Christi, mercedem perfectam referas. Valde autem lætatus sum, quod curam Christiano dignam suscipiens, domum ad gloriam nominis Christi construxeris, ac vere dilexeris, sicut scriptum est, decorem domus Domini [2]: tibi ipsi præparans cœlestem mansionem, destinatam in requie diligentibus nomen Christi. Quod si reliquias Martyrum investigare possim; cupio et ipse studii tui adjutor esse. Nam si in memoria æterna erit justus, profecto bonæ illius memoriæ, quam tibi sanctus impertiet, erimus participes.

[1] Alias CCCCVIII. Initio episcopatus. — [2] Psal. XXV, 8.

EPISTOLA L [1].

INNOCENTIO EPISCOPO.

Basilius gratias agit episcopo cuidam ætate et virtute venerando, qui prior ad eum scripserat adhortandi causa.

Eccui alii conveniebat, et timidis fiduciam addere, et dormientes excitare, nisi tuæ Domini mei pietati : qui tuam in omnibus rebus perfectionem in hoc quoque declarasti, quod te etiam ad nos humiles demittere volueris, ut germanus Discipulus illius qui dixit : « Illic sum in medio vestri, non tanquam recumbens, sed tanquam ministrans [2]. » Nam et ipse dignatus es nobis ministrare spiritualem tuam lætitiam, atque venerandis tuis litteris animos nostros recreare, et velut puerorum infantiam ulnis tuæ magnitudinis amplecti. Precare igitur (bonum tuum animum rogamus) ut digni simus qui a vobis magnis viris adjuvemur, et os ac sapientiam accipiamus, ut vobis audeamus Spiritum sanctum ducem habentibus succinere : cujus te amicum ac glorificatorem esse audientes, magnas ob illam tuam firmam ac stabilem in Deum dilectionem gratias agimus, orantes ut pars nostra cum veris adoratoribus inveniatur, inter quos et tuam perfectionem reperiri persuasum habemus, et magnum illum et verum Episcopum, qui totum orbem suis miraculis complevit, Dominum rogamus.

[1] Alias CCCCIX. Initio episcopatus. — [2] Luc. XXII, 27.

EPISTOLA LI [1].

BOSPORIO EPISCOPO.

Refellit Basilius afflictam sibi calumniam, quod Dianium Cæsariensem anathematizasset. Fatetur se doluisse, quod is formulæ Constantinopoli a Georgio allatæ subscripsisset; sed tamen ad ejus communionem accessisse, postquam ab illo ægrotante accersitus, nihil eum contra Nicænam fidem sibi proposuise cognovit.

I. Quomodo putas animum meum vulneratum fuisse auditione illius calumniæ, qua me asperserunt nonnulli ex hominibus non metuentibus Judicem perditurum omnes, qui loquuntur mendacium [2]; ita ut noctem totam ob dilectionis tuæ verba pene insomnem transegerim : adeo medium cor meum tetigerat mœror. Revera enim secundum Salomonem, calumnia virum humiliat : nec quisquam ita obduruit et percalluit, ut animo non moveatur, et humi non sternatur, si in ora incidat ad mendacium proclivia. At enim necesse est omnia perferre, omnia sustinere, nostram ipsorum ultionem permittentes Domino, qui nos non despiciet. « Nam qui calumniatur pauperem, irritat ipsius » Conditorem [3]. » Cæterum qui novam illam blasphemiæ fabulam adversum nos concinnarunt, videntur omnino non credere Domino, qui rationem nos in die judicii vel de otioso verbo reddituros pronuntiavit [4]. Dic autem, quæso, ego-ne beatissimum Dianium anathematizavi? Hoc enim de nobis dictitarunt. Ubi? vel quando? coram quibus? quo

[1] Alias LXXXVI. Initio episcopatus. — [2] Psal. V, 7. — [3] Prov. XIV, 31. — [4] Matth. XII, 36.

prætextu? nudis verbis, an scripto? alios duces sequens, an ipse incœptor et auctor facinoris? O impudentiam hominum omnia facile loquentium? O contemptum judiciorum Dei! Nisi forte commento suo hanc etiam tragœdiam adjicient, factum me esse aliquando ita dementem, ut mea ipsius verba non noscerem. Nihil enim ejusmodi, dum rationis compos fui, aut fecisse me sio, aut omnino facere voluisse. Sed potius mihi hujus rei conscius sum, me ab ineunte ætate educatum fuisse in illius amore; et intuendo considerasse quam esset ille vir aspectu venerabilis, quanta majestate præditus, quantum dignitatis sacerdotalis ore præferens. Postquam autem mihi deinceps et ratio affuit, tum vero et ex animæ bonis eum noveram ipsiusque delectabar consuetudine, simplicitatem et ingenuitatem ac liberalitatem morum perspiciens, et quæcumque alia propria erant viri ornamenta, animi mansuetudo, magnanimitas simul et lenitas, decori studium, animus iræ expers, hilaritas et affabilitas gravitate permixta. Quare ipsum inter homines virtute spectatissimos numerabam.

II. Sed tamen circa extremum vitæ tempus (non enim celabo veritatem) dolui de illo inconsolabiliter cum pluribus in patria Dominum timentibus, quod subscripsisset fidei a Georgio Constantinopoli allatæ. Deinde, ut ille pro sua morum lenitate et mansuetudine non gravabatur omnibus paterno pectore satisfacere, cum jam in morbum, ex quo etiam e vita discessit, incidisset; nobis accersitis, dixit, Domino teste, se scripto Constantinopoli allato in simplicitate cordis assensisse, sed nihil ad fidei Nicææ a sanctis Patribus expositæ eversionem sibi proposuisse, neque aliud in corde habere, quam quod ab initio traditum acceperat : imo etiam precari se, ut ne separetur a sorte beatorum trecentorum decem et octo episcoporum, qui piam illam doctrinam orbi annuntiarunt. Quare omni cor-

dis dubitatione ob hanc asseverationem soluta, ad ejus communionem, ut tumet etiam nosti, accessimus, et mœrere desiimus. Igitur quæ nobis cum hoc viro intercessere, ejusmodi sunt. Quod si quis dicat se nefariæ alicujus in illum contumeliæ conscium nobis esse, is non in angulo susurret serviliter, sed in apertam lucem prodiens, libere arguat.

EPISTOLA LII [1].

AD CANONICAS.

Cum rumores iniqui de canonicis ad Basilium, de Basilio ad canonicas perlati fuissent, utrosque dedocuit Bosporius. Multa de consubstantiali disserit Basilius, quod a nonnullis rejici, a patribus Antiochenis vituperatum fatetur : aptissimum tamen esse contendit adversus hæreses Arii et Sabellii. Refellit eos, qui Spiritum sanctum Filio aut Patri præponebant.

I. Quantum nobis antea doloris attulit molestus rumor, quo aures nostræ circumsonuerunt; tanta affecit lætitia religiosissimus episcopus frater noster Bosporius, meliora de vestra pietate narrans. Dixit enim, Dei gratia, omnes illos rumores hominum esse commenta, non accurate veritatem rerum vestrarum cognitam habentium. Addebat autem se et calumnias invenisse apud vos de nobis nefandas, qualesque protulerint, qui non expectant se vel otiosi verbi rationem reddituros Judici in die justo retributionis illius. Quare gratias egi Domino, cum ipse sanatus ex noxia de vobis opinione, quam, ut verisimile est, ex hominum calumnia susceperam; tum etiam vos audiens deposuisse

[1] Alias ccc. Initio episcopatus.

falsas de me suspiciones, ubi audistis quæ frater noster asseveravit. Qui quidem vobis suam ipsius sententiam dum exposuit, omnino et nostram simul declaravit. Una enim in utroque nostrum de fide sententia : siquidem et eorumdem patrum hæredes sumus, qui quondam Nicææ magnum pietatis præconium promulgarunt : cujus reliquæ quidem partes calumniæ nulli obnoxiæ sunt; sed vocem consubstantialis male a nonnullis acceptam, sunt qui nondum receperint : quos quis et jure reprehenderit, ac rursus venia dignos judicarit. Nam Patrum vestigiis non insistere, nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est reprehensione digna, ut plena arrogantiæ. Rursus autem vituperatam ab aliis vocem, suspectam habere, videtur id quodam modo mediocrem illis excusationis veniam conciliare. Nam revera qui in Pauli Samosatensis causa convenerant, vocem hanc quasi male sonantem culparunt. Dixerunt enim consubstantialis voce exhiberi notionem substantiæ et eorum quæ ex substantia; adeo ut divisa substantia appellationem consubstantialis conciliet iis, in quæ divisa est. Quæ quidem cogitatio locum aliquem habet in ære et in conflatis ex eo numismatibus : at in Deo Patre et in Deo Filio substantia non est antiquior, neque utrique superposita intelligitur : hoc enim cogitare, aut dicere, omnem impietatis modum excedit. Quid enim Ingenito antiquius sit? Tollitur etiam hac blasphemia fides in Patrem et Filium : nam inter se fratrum rationem habent quæ ex uno subsistunt.


II. Et quia Filium ex nihilo productum, adhuc tunc erant qui dicerent; ut hanc quoque præciderent impietatem, consubstantiale usurparunt. Nam sine tempore est et sine intervallo Filii cum Patre conjunctio. Demonstrant autem et superiora verba hanc illorum esse mentem. Postquam enim dixerunt lumen de lumine, atque Filium ex

Patris substantia genitum esse, non vero factum; his consubstantiale subjunxerunt : indicantes, quam quis luminis rationem in Patre reddiderit, eam et Filio aptam et congruentem futuram : siquidem lumen verum cum vero lumine, secundum ipsam luminis notionem, dissimilitudinem nullam habebit. Cum igitur Pater lumen sit principii expers, Filius vero lumen genitum, ac uterque lumen et lumen, jure consubstantialem dixerunt, ut naturæ æqualem dignitatem demonstrarent. Non enim quæ fratrum inter se rationem habent, dicuntur consubstantialia, id quod quidam existimant; sed cum et causa et id quod ex causa existentiam habet, ejusdem sunt naturæ, consubstantialia dicuntur.

III. Cæterum vox eadem Sabellii quoque pravitatem corrigit : tollit enim hypostasis identitatem, et perfectam personarum notionem inducit. Neque enim quidquam sibi ipsi consubstantiale est : sed alterum alteri. Quare præclare ac pie se habet illa vox, et hypostaseωn proprietatem definiens, et naturæ sine ullo discrimine similitudinem demonstrans. Cum autem ex Patris substantia Filium esse discimus, cumque genitum, non autem factum; ne prolabamur in corporales perpessionum cogitationes. Non enim divisa est substantia a Patre in Filium : neque fluendo dilapsa generavit, neque proferens, quemadmodum arbores fructus proferunt : sed inenarrabilis et indeprehensus cogitationibus hominum divinæ generationis modus. Humilis enim revera et carnalis est mentis, caducis ac temporalibus assimilare æterna, ac existimare, quemadmodum corporalia, ita et Deum pari modo generare; cum oporteat sumptis ex contrario argumentis ad pietatem concludere, quia mortalia sic, immortalem non sic. Neque igitur neganda generatio divina, nec corporeis cogitationibus contaminanda mens.

IV. Sanctus autem Spiritus cum Patre quidem et Filio numeratur, quia et supra rem creatam est; sed eo ordine numeratur, quem in Evangelio didicimus a Domino dicente : « Euntes baptizate in nomine Patris et Filii et Spi-» ritus sancti [1]. » Qui autem præponit Filio, aut Patre dicit antiquiorem, resistit Dei ordinationi et a sana fide alienus est; acceptum glorificationis modum non servans, sed sibi ipsi vocum novitatem, ut placeat hominibus, excogitans. Si enim Deo est superior, ex Deo non est. Scriptum est enim : « Spiritus autem ex Deo est [2]. » Si autem ex Deo; quî fieri potest, ut eo ex quo est, antiquior sit? Jam vero quæ insania, cum unus sit Ingenitus, aliquid aliud dicere ingenito superius? Sed neque prior est Unigenito; quippe cum inter Filium et Patrem nihil medium sit. Si autem non est ex Deo, est vero per Christum; omnino non est. Quare illa circa ordinem novitas ipsius existentiæ habet eversionem, et fidei totius negatio est. Æque igitur impium est, et eum ad rem creatam deducere, et aut supra Filium aut supra Patrem ponere, sive secundum tempus, sive secundum ordinem. Atque hæc quidem sunt, quæ a vestra pietate audivimus requiri : quod si Dominus dederit, ut in unum veniamus, fortassis de his fusius disceptabimus, ac nobis, quibus de rebus certiores fieri cupimus, aliquid quod satisfaciat et persuadeat a vobis exhibebitur.

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] I Cor. II, 12.




EPISTOLA LIII [1].

CHOREPISCOPIS.

Demonstrat Basilius chorepiscopis, sive episcopis sibi subditis, quorum nonnulli pretio manus imponere ferebantur, quanta sit hujus facti turpitudo; ac declarat ab altaribus recessurum, si quis post hanc acceptam epistolam tale quidpiam designaverit.

I. Rei turpitudo, de qua scribo, hoc ipso quod in suspicionem omnino venit ac sermonem, dolore animum meum implevit. Hactenus sane visa est mihi incredibilis. Quod ergo de illa scribo, qui sibi ipse conscius est, accipiat ut medelam; qui autem non conscius, ut præmunitionem; indifferens vero, quod quidem deprecor ne in vobis reperiatur, ut obtestationem. Quid autem est, quod dico? Dicuntur nonnulli ex vobis ab iis qui ordinantur, pecunias accipere, idque pietatis nomine inumbrare. Hoc autem pejus est. Etenim si quis malum sub specie boni perficit, pœna duplici dignus est : quandoquidem et quod non bonum est, facit, et utitur ad peccatum committendum bono, ut ita dicam, adjutore. Hæc si ita se habent, deinceps non fiant, sed emendentur : siquidem necesse est dicere argentum accipienti, quod ab Apostolis dictum est ei, qui dare volebat, ut Spiritus sancti participationem emeret : « Pecunia tua tecum sit in perditionem [2]. » Nam levius delinquit qui præ inscitia emere vult, quam qui Dei donum vendit. Venditio enim facta est; et quod tu gratis accepisti, id si vendideris, tanquam Satanæ venditus gratia privabere. Nam cauponariam introducis in res spirituales, et

[1] Alias LXXVI. Initio episcopatus. — [2] Act. II, 20.



in ipsam Ecclesiam, ubi corpus et sanguis Christi concredita nobis sunt. Hæc ita fieri non oportet. Quale autem sit artificium, dicam. Putant se ideo non peccare, quod non ante accipiant, sed post ordinationem accipiant. Accipere autem, est quandocumque accipere.

II. Rogo itaque, reditum illum, imo potius viam in gehennam ducentem relinquite, nec manus ejusmodi muneribus contaminantes, indignos vos efficiatis, qui mysteria sancta celebretis. Ignoscite autem mihi. Primum quidem tanquam non credens, deinde tanquam fidem adhibens, interminor. Si quis post hanc meam epistolam tale aliquid admiserit, ab his quidem quæ hic sunt altaribus secedet : quæret autem ubi Dei donum emens denuo divendere queat. Nos enim ac Dei Ecclesiæ consuetudinem talem non habemus. Cæterum uno addito desinam. Propter avaritiam ista fiunt. Avaritia autem et radix malorum omnium est, et vocatur idololatria. Nolite igitur Christo præferre simulacra ob modicum argentum; nec rursus Judam imitari, quæstus causa iterum tradentes eum, qui semel pro nobis crucifixus est. Alioquin et agri et manus eorum, qui hos fructus percipiunt, Haceldama vocabuntur.

EPISTOLA LIV.[1]

CHOREPISCOPIS.

Renovat Basilius antiquas Ecclesiæ leges de clericorum in pagis electione, et pravas novitates, quæ obrepserunt, abrogat.

PERMOLESTUM mihi est, quod jam canones Patrum defe-

[1] Alias CLXXXI. Initio episcopatus.

cerint, ac disciplina omnis Ecclesiis abacta sit; et timeo, ne paulatim, hac indifferentia progrediente, res ecclesiasticæ in summam confusionem delabantur. Observata olim in Dei Ecclesiis consuetudo, Ecclesiæ ministros omni diligentia probatos admittebat; ac in omnem eorum vitam sedulo inquirebatur, annon essent maledici; annon ebriosi, annon prompti ad pugnas, an juventutem suam frenarent, ita ut sanctimoniam, sine qua Deum nemo videbit, exercere possent. Atque hoc examinabant quidem presbyteri et diaconi, qui una cum ipsis habitabant: referebant autem ad chorepiscopos, qui cum suffragia testium veracium accepissent, ac episcopum admonuissent, sic sacratorum numero ministrum ascribebant. Nunc autem primum quidem nos excludentes, ac ne referre quidem ad nos dignati, omnem in vosmetipsos auctoritatem transtulistis: deinde rem negligentes, presbyteris et diaconis permisistis, ut quos vellent, vita non examinata, secundum animi affectionem, aut ex consanguinitate ortam, aut ex alia aliqua amicitia, in Ecclesiam indignos introducerent. Quapropter multi quidem ministri in unoquoque pago numerantur: sed dignus ministerio altarium ne unus quidem, ut vos ipsi testificamini, hominum penuria laborantes in electionibus. Quoniam igitur video rem in malum jam insanabile progredi, nunc præsertim, cum plurimi militiæ metu, seipsos in ministerium conjiciant; necessario accessi ad Patrum canones renovandos; ac vobis scribo, ut mittatis mihi catalogum ministrorum cujusque pagi, et a quo quisque introductus sit, et quæ ejus sit vivendi ratio. Habete autem et ipsi apud vos catalogum, ut cum scriptis apud nos repositis vestra conferantur, nec cuiquam liceat seipsum, cum voluerit, inscribere. Ita sane, si qui post primam indictionem a presbyteris introducti; inter laïcos rejiciantur. Eorum autem examen de integro repetite, et

si digni fuerint, suffragio vestro suscipiantur. Expurgate Ecclesiam, indignos ex ea ejicientes. Atque in posterum examinate quidem, qui digni sint, et eos admittite : sed prius non ascribite, quam ad nos retuleritis ; aut scitote laïcum futurum esse, qui sine nostro judicio in ministerium fuerit admissus.

EPISTOLA LV [1].

PAREGORIO PRESBYTERO.

Decretum Basilii adversus extraneas mulieres cum Paregorius presbyter minus observaret, hortatur eum Basilius ut parendo potius quam excusando sese defendat: secus, depositionem minatur, atque ipsam etiam excommunicationem tum ipsi, tum eum recipientibus, si sacerdotium citra emendationem sibi arroget.

Legi tuas litteras cum omni patientia ; sumque admiratus, cur cum possis apud nos breviter et facile factis tuis causam agere, in rebus reprehensis persistere velis, ac longis sermonibus curare tentes insanabilia. Nec primi, nec soli, Paregori, sancivimus, ut ne una cum viris habitarent mulieres. Sed lege canonem a sanctis nostris Patribus editum in synodo Nicæna, qui manifeste sancivit extraneas mulieres non esse. Vita autem cœlebs in eo honestatem habet, ut quis a convictu mulieris separetur. Quare si quis verbo professus, reipsa quæ conjugatorum sunt facit, palam est eum virginitatis quidem honestatem in nomine persequi, sed nequaquam ab indecora voluptate abstinere. Tanto ergo magis oportebat te postulationi nostræ facile

[1] Alias xcviii. Initio episcopatus. — [2] Vide D. Guillon, tom. vii, pag. 460-461.

cedere, quanto te ais esse liberiorem ab omni corporea libidine. Neque enim virum septuaginta annos natum existimo libidinose habitare cum muliere : nec quod turpe aliquod facinus fuisset admissum, idcirco constitui quæ constitui; sed quod ab Apostolo didicimus offendiculum fratri non ponere ad scandalum. Scimus autem quod a nonnullis recte geritur, aliis occasionem esse peccandi. Quare præcepimus, sanctorum Patrum decretum sequentes, ut a muliercula separeris. Quid igitur chorepiscopum incusas, et veteris inimicitiæ facis mentionem? Quid de nobis quereris, quod faciles calumniis aures præbeamus : ac non potius de te ipse, qui adduci non potes, ut a mulieris consuetudine recedas? Ejice igitur illam ex tuis ædibus, et in monasterio constitue. Sit illa cum virginibus, et apud te servant viri, ut ne Dei nomen propter vos blasphemetur. Hæc donec feceris, innumerabilia quæ per epistolas scribis nihil te juvabunt; sed morieris otiosus, ac reddes Domino rationem otii tui. Quod si ausus fueris citra emendationem sacerdotium tibi vindicare, anathema eris omni populo; et qui te receperint, excommunicati per omnem Ecclesiam erunt.

EPISTOLA LVI [1].

PERGAMIO.

Basilius querentem Pergamium, quod litteris suis non respondisset, placare conatur, seque non arrogantia ex potestate orta, sed sollicitudine, qua nunc distringitur, adductum esse declarat, ut Pergamii oblivisceretur.

Sum equidem natura proclivis ad oblivionem, sed acces-

[1] Alias CCCLIV. Initio episcopatus.

sit mihi et negotiorum multitudo, quæ innatam infirmitatem adauget. Quamobrem etsi non memini me litteras accipere nobilitatis tuæ, tamen te ad me scripsisse persuasum habeo; non enim mentiturum te prorsus fuisse. Quod autem non respondi, culpa non fuit mea, sed illius qui responsa non poposcit. Nunc autem ad te veniunt hæ litteræ, quæ et præterita excusent et salutationis alterius initium præbeant. Quare cum ad me scribes, ne alterum scribendi ordinem a te incipi opineris, sed hisce litteris debitum persolvi. Quamvis enim mea epistola prioris tuæ sit remuneratio; quia tamen plus duplo modum excedit, utrumque ordinem explebit. Vides qualia nos cavillari cogat otium? Tu vero desine, o vir optime, paucis verbis magna crimina, quæque nequitia superari non possint, inferre. Nam amicorum oblivio, et contemptus ex potestate ortus, omnia simul mala complectuntur. Sive enim secundum Domini præceptum non diligimus; neque etiam impositam nobis notam et characterem retinemus. Sive fastu inani et arrogantia replemur inflati: incidimus in diaboli judicium ineluctabile. Quare si de nobis ita sentiens, his verbis usus es, precare ut improbitatem, quam in nostris moribus deprehendisti, fugiamus: sin autem consuetudine quadam inconsiderata ad has voces devenit lingua, non ipsi consolabimur; tuamque benignitatem, ut ex factis testimonia proferat, rogamus. Illud enim probe scias, hanc sollicitudinem, qua nunc distringimur, occasionem nobis factam esse humilitatis. Quapropter tui tunc obliviscemur, cum et nosmetipsos ignorabimus. Cave igitur, nequando negotia indolis ac morum malorum indicium esse ducas.

EPISTOLA LVII [1].

MELETIO EPISCOPO ANTIOCHIÆ.

Meletium hortatur Basilius ut sæpius scribat, et in magnis molestiis versantem consoletur. Optat ut sibi illum aliquando videre contingat; jamque huic cupiditati obsequeretur, nisi fratres retinuissent certis de causis, quas Theophrastus narrabit.

Si quo modo nota fieret pietati tuæ magnitudo lætitiæ, quam mihi affers, quotiescumque scribis, scio te nunquam oblatam scribendi occasionem prætermissurum fuisse; sed et consulto multas nobis subinde epistolas facturum, cum non ignores mercedem consolationi afflictorum a benigno Deo repositam. Omnia enim hic dolore plena sunt, ac una nobis est avocatio malorum, sanctitatis tuæ cogitatio, quam manifestiorem nobis efficit tuum per litteras omni sapientia ac gratia refertas colloquium. Quare cum epistolam tuam in manus sumimus, primum quidem modum ipsius intuemur, eamque tantum diligimus, quanto uberior fuerit ac copiosior : deinde legentes, semper quidem occurrente oratione delectamur : fini vero appropinquantes, afficimur molestia, adeo quidquid dixeris in litteris, bonum est. Nam bonum est quod a bono corde redundat. Quod si nobis contingeret tuis precibus, dum in terra versamur, etiam coram congredi, et ab ipsa viva voce utilia documenta recipere, aut aliqua tum ad præsens tum ad futurum sæculum viatica; id certe judicaremus bonorum maximum, ac benevolentiæ divinæ procemium reputaremus. Jamque huic obsequeremur cupiditati, nisi germa-

[1] Alias LVI, Anno 371.

nissimi ac in omnibus amantissimi fratres cohibuissent : quorum propositum ne litteris evulgem, id fratri Theophrasto exposui, ut præstantiæ tuæ singula declaret.

EPISTOLA LVIII [1].

GREGORIO FRATRI.

Carpit Basilius simplicitatem fratris, qui falsam nomine avunculi epistolam attulerat, et aliam pariter falsam postea misit. Cum tertia venisset, merito dubitavit Basilius, qui bis deceptus fuerat, sed tamen respondit episcopis, ut par erat. Hortatur fratrem ut sibi difficilem vitam ingresso adsit, seque venturum promittit, si ab episcopis congruenti modo vocetur.

Quomodo tecum litteris pugnem? Quomodo te digne tangam ob tuam in omnibus simplicitatem? Quis tertio, dic mihi, in eosdem incidit casses? Quis tertio in eumdem incidit laqueum? Ne bellua quidem id facile committat Fictam mihi epistolam unam attulisti, velut a perquam venerando episcopo et communi nostro patruo conscriptam, decipiens me nescio qua gratia. Hanc accepi ut ab episcopo per te allatam. Quidni enim? Ostendi amicis multis præ gaudio, gratias egi Deo. Deprehensum est commentum, ipso episcopo propria voce negante. Propterea pudore affecti sumus : optavimus terram nobis dehiscere, fallaciæ et mendacii ac fraudis probris aspersi. Aliam rursus mihi reddiderunt, ut per famulum tuum Asterium ab ipso episcopo mihi missam. Ne hanc quidem vere episcopus ipse misit, quemadmodum reverendissimus frater Anthimus

[1] Alias XLIV. Anno 371.

nobis renuntiavit. Rursus tertiam nobis attulit Adamantius. Quomodo per te tuosque missam suscipi a me decebat? Cupivi lapideum mihi cor esse, ut neque recordarer præteritorum, neque animadverterem præsentia, ut plagam omnem, demissis in terram oculis more pecudum, ferrem. Sed quid faciam meo ipsius animo, qui post unum et alterum experimentum nihil inexploratum admittere potest? Hæc scripsi, simplicitatem tuam perstringens, quam alioqui Christianis non congruentem, huic tempori haud convenire video; ut saltem deinceps tum ipse tibi caveas, tum mihi parcas : siquidem, libere enim me ad te loqui oportet, talium minister es fide haud dignus. Verumtamen quicumque fuerint, qui scripserint, eis, ut par erat, jam respondimus. Sive igitur tentamentum mihi injiciens, epistolam misisti, sive revera accepisti ab episcopis; habes responsa. Te vero decebat alia in præsenti tempore curare, frater cum sis, necdum naturæ oblitus, neque me inimici loco habeas : quandoquidem vitam ingressi sumus, quæ corpus nostrum conterit, ac animam quoque conficit, propterea quod vires nostras superat. Cæterum quoniam sic mihi bellum indicere statuisti, idcirco adesse te nunc oportebat, atque negotiorum esse participem. « Fratres » enim, inquit, in necessitatibus utiles sint [1]. » Quod si revera nostrum congressum admittunt episcopi omni reverentia dignissimi; et locum nobis definitum et tempus indicent, meque per suos homines accersant. Ut enim patruo meo occurrere non recuso : ita nisi modo congruenti vocatus fuero, non feram.

[1] Eccli. XL, 24.

EPISTOLA LIX [1].

GREGORIO PATRUO.

Rumpit silentium Basilius, ac dissensionis causis in sua peccata rejectis avunculum obtestatur, ut tandem aliquando simultatem deponat, ex qua totæ civitates et populi læduntur. Facturum se promittit quidquid ei pacis conciliandæ causa visum fuerit esse faciendum.

I. « Silui. Num et semper silebo [2], » ac amplius committam ut molestissimum silentii damnum contra me ipsum obfirmem, nec ipse scribens, nec alloquentem audiens? Ego enim cum hactenus in hac tristi sententia permanserim, videor mihi non immerito Prophetæ verba et ipse posse proferre : « Toleravi sicut parturiens [3] : » semper quidem concupiscens aut congressum, aut sermonem, semper autem proposito excidens ob mea peccata. Non enim ullam aliam eorum, quæ fiunt, causam excogitare queo, nisi quod persuasum mihi est veterum me peccatorum in dilectionis tuæ separatione pœnas luere; si tamen de te separationem vel nominare fas est a quolibet homine, nedum a nobis, quibus ab initio patris loco fuisti. Sed peccatum meum nunc, velut densa quædam obducta nubes, horum omnium ignorationem induxit. Cum enim considero, præter dolorem, qui mihi ea ex re creatus est, aliud nihil inde consecutum me esse, quomodo non merito nequitiæ meæ ascribam præsentia? Cæterum sive peccata sunt eorum quæ acciderunt causa, hic mihi molestiarum finis esto : sive aliquid consilii intendebatur, adimpletum omnino est quod expetebatur. Non enim modicum est

[1] Alias XLVI Anno 371. — [2] Isai, XLII, 14. — [3] Ibid.

damni tempus. Quapropter continere me amplius cum non possem, prior rupi vocem, obsecrans ut et nostri memor sis, et tui ipsius, qui per omnem vitam, majorem quam consanguinitas exigebat, nostri curam ostendisti, nuncque civitatem diligas nostra causa, non autem propter nos te ipse abalienes a civitate.

II. Si qua igitur consolatio in Christo, si qua communio Spiritus, si qua viscera et miserationes, exple votum meum : siste hic tristia : initium aliquod affer rerum deinceps hilariorum, ducem te aliis præbens ad optima ; minime autem alium ad illicita sequens. Neque enim corporeus character ita proprius cujusquam deputatus est, ut animi tui pax et mansuetudo. Par igitur fuerit, cum talis sis, alios ad te trahere, ac omnibus ad te accedentibus præstare, ut veluti cujusdam unguenti fragrantia, morum tuorum lenitate impleantur. Nam etiamsi quid nunc obsistat, tamen paulo post ipsum etiam pacis bonum cognoscetur. Quandiu autem ob dissensionem calumniæ locum habebunt, necesse est suspiciones semper in pejus adaugeri. Sane ne illis quidem decorum est nos negligere, sed maxime omnium, præstantiæ tuæ. Si quid enim peccamus, meliores erimus admoniti : hoc autem fieri non potest citra congressum. Sin autem nihil facimus mali, cur odio habemur? Atque hæc quidem ad meam ipsius defensionem profero.

III. Quid autem Ecclesiæ, quæ nostri dissidii non ad suam utilitatem participes sunt, pro seipsis dixerint, melius quidem tacere. Non enim ut molestiam exhibeam, verba facio; sed ut molestis rebus finem imponam. Tuam autem prudentiam omnino nihil fugit : sed multo majora ac perfectiora quam quæ nos cogitamus, ipse tua mente poteris excogitare, aliisque dicere : qui certe etiam ante nos Ecclesiarum vidisti detrimenta, magisque quam nos

doles, jam olim edoctus a Domino, neminem ex minimis contemnere. Nunc autem damnum non uno aut altero circumscribitur, sed totæ civitates ac populi calamitatum nostrarum participes sunt. Famam enim in remotis provinciis quid vel dicere attinet, qualis futura sit de nobis? Decet igitur ut tua magnanimitas contentionis studium aliis relinquat, imo ex illorum etiam animis extrahat, si fieri potest : ipse autem patientia molestias superes. Nam ulcisci se, cujusvis irati est : sed ipsa etiam ira superiorem esse, hoc certe tuum est solius, et si quis tibi virtute consimilis. Illud autem non dicam, eum, qui nobis succenset, in insontes iram immittere. Itaque sive adveniendo ad nos, sive scribendo, sive ad te accersendo, sive quocumque volueris modo, consolare animum nostrum. Nobis enim in optatis est, ut in Ecclesia appareat pietas tua, et nos simul et populum tum ipso conspectu, tum gratiæ tuæ sermonibus cures. Quod si istud fieri potest, erit optimum : si vero aliud quid videbitur, et illud amplectemur. Hoc tantum a te certo impetrem, ut quod prudentiæ tuæ visum fuerit, id nobis significes.

EPISTOLA LX [1].

GREGORIO PATRUO.

Significat Basilius se fratris adventu et litteris avunculi spem pacis afferentibus recreatum fuisse. Probaturum se promittit quidquid avunculo de congressus tempore et loco placuerit. Fratri se diffidere testatur, ob ea quæ prius gesta fuerant.

Et antea libenter videbam fratrem meum. Quidni

[1] Alias XLV. Anno 371.

enim? cum et frater meus sit, et talis : et nunc eodem affectu suscepi advenientem, nihil meo amore imminuto. Absit enim sic afficiar animo, ut et naturæ obliviscar, et cum propinquis inimicitias geram. Sed et corporis infirmitatum, et aliorum animi dolorum consolationem duxi esse viri præsentiam, et a præstantia tua per ipsum allatis litteris valde sum delectatus; quas quidem jamdudum mihi cupiebam venire, non aliam ob causam, nisi ut ne et nos vitæ humanæ adderemus tristem historiam mutuæ inter propinquissimos dissensionis, voluptatem quidem inimicis afferentis, amicis vero mœrorem, ac Deo displicentis, qui in perfecta dilectione characterem ac notam suorum Discipulorum posuit. Quocirca et necessario rescribo, pro nobis ut ores obsecrans, et in reliquis rebus curam nobis ut propinquis impendas. Quid autem sibi velint quæ acta sunt, quoniam præ inscitia intelligere non possumus, id statuimus verum judicare, quod ipse nobis exponere dignatus fueris. Necesse est autem reliqua etiam a tua prudentia definiri, mutuum inter nos congressum, tempus accommodum, et idoneum locum. Si igitur omnino gravitas tua ad nostram humilitatem descendere non recusat, nosque aliquo sermone impertire; sive cum aliis, sive privatim fieri congressum volueris, morem geremus; cum semel apud nos statuerimus servire tibi in charitate, ac omnino exequi quæ ad Dei gloriam a tua pietate nobis præcipientur. Cæterum fratrem perquam reverendum non coëgimus quidquam nobis viva voce dicere, quia neque antea ipsius sermo operum testimonio confirmabatur.

EPISTOLA LXI[1].

ATHANASIO ALEXANDRIÆ EPISCOPO.

Basilius respondet litteris, quibus Athanasius excommunicatum a se fuisse Libyæ ducem nuntiaverat. Declarat ducem ex litteris Athanasii sic Ecclesiæ innotuisse, ut nemo cum eo ignem aut aquam aut tectum commune velit habere.

Legi sanctitatis tuæ litteras, in quibus adversus Libyæ ducem, hominem nefandum, ingemuisti. Ac deflevimus quidem patriam nostram, quod talium malorum mater sit et nutrix. Deflevimus quoque Libyam regioni vestræ vicinam, malorum nostrorum participem, ac moribus ferinis traditam hominis crudeliter simul et flagitiose viventis. Hoc igitur erat, quod sapienter dixerat Ecclesiastes : « Væ » tibi civitas, cujus rex junior est. (Est autem hic quiddam etiam molestius.) « Et cujus principes non a nocte come- » dunt, sed in ipso meridie lasciviunt, pecoribus ipsis effe- » ratius in alienas nuptias furentes[2]. » Illum quidem flagella manent a justo Judice, æquali mensura ipsi rependenda, quæ prior ipse illius Sanctis inflixit. Innotuit autem et Ecclesiæ nostræ ex litteris pietatis tuæ, et abominandum ipsum existimabunt omnes, sic ut non ignem, non aquam, non tectum cum ipso commune habeant, si quid prosit hominibus ita animi impotentibus communis atque unanimis condemnatio. Satis autem magna illi infamiæ nota, vel ipsæ litteræ, dum ubique leguntur. Non enim intermittemus eas omnibus ejus, et propinquis, et amicis, et hospitibus ostendere. Omnino autem, etiamsi non eum protinus

[1] Alias XLVII. Circa annum 371. — [2] Eccl. x, 16, 17.

tangant inflictæ pœnæ, quemadmodum Pharaonem; certe aliquando gravem et acerbam ei remunerationem in posterum ferent.

EPISTOLA LXII [1].

ECCLESIÆ PARNASSI CONSOLATORIA.

Parnassenam Ecclesiam, cujus episcopus obierat, ex antiquo more consolatur Basilius; dentque operam hortatur, ut a Deo pastorem secundum ejus voluntatem impetrent.

Et morem sequentes antiquum ex longa temporum serie vigentem, et fructum Spiritus, dilectionem secundum Deum, vobis exhibentes, per litteras pietatem vestram invisimus, ac dolorem vobiscum in hoc eventu, et rerum, quæ in manibus sunt sollicitudinem partimur. Ac de molestis quidem rebus hoc tantum dicimus, tempus esse ut respiciamus ad præcepta Apostoli, nec mœreamus « Ut et cæteri, » qui spem non habent [2]; » nec tamen hunc casum citra ullum doloris sensum feramus, sed damnum quidem sentiamus : at dolori minime succumbamus, pastorem ob illius obitum beatum existimantes, ut qui in senectute pingui decesserit, et in maximis a Domino honoribus requieverit. De cæteris autem rebus, hæc habemus quæ adhortemur, mœrore omni deposito, ad sese redeundum esse, et ad necessariam Ecclesiæ curam assurgendum, ut Deus sanctus suum ovile curet, vobisque donet pastorem secundum suam voluntatem, qui vos cum scientia pascat.

[1] Alias CLXXXV. Circa annum 371. — [2] 1 Thess. IV, 12.

EPISTOLA LXIII [1].

PRINCIPALI NEOCÆSAREÆ.

Basilius perhonorifice salutat principalem Neocæsareæ, quem ex fama tantum et ex colloquiis Elpidii communis amici noverat; petitque ab eo ut se numero amicorum ascribat.

Virum sapientem, etiamsi longe terrarum degat, etiamsi nunquam oculis viderim, amicum judico; sententia tragici Euripidis est. Quapropter etsi nobis ex congressu, qui coram fit, nondum magnanimitatem tuam cognoscere contigit, me tamen tibi amicum esse et familiarem dico. Ne putes assentationem esse hunc sermonem. Famam enim amicitiæ conciliatricem habeo, magno sonitu res tuas omnibus hominibus prædicantem. At postquam et cum digno omni reverentia Elpidio congressi sumus, ita nobis innotuisti et tantopere nos cepisti, ac si diu tecum fuissemus versati, ac longa experientia quæ tibi insunt bona cognovissemus. Non enim desiit ille tua nobis ornamenta sigillatim narrare : animi magnitudinem, altam et excelsam mentem, morum facilitatem : rerum experientiam, mentis prudentiam, vitæ gravitatem hilaritate permixtam; vim dicendi, et quæcumque alia ipse quidem longo nobiscum colloquio recensuit, nobis autem scribere non est integrum, ne ultra modum epistolam producamus. Quomodo igitur virum talem non amarem? quomodo continere me possem, quominus exclamans animi mei affectum declarem? Salutationem itaque suscipe, vir eximie, quæ tibi ex vera ac sincera amicitia adhibetur : longe enim absunt a servili ac

[1] Alias CCCLXXI. Circa annum 371.

illiberali adulatione mores mei : meque scribe in amicorum tuorum numero, litteris te frequentibus ostendens et absentiam deliniens.

EPISTOLA LXIV [1].

HESYCHIO.

Perhonorifice salutat Hesychium, quem et olim cognoverat, et ex sermone Elpidii plurimi faciebat.

Multa quidem me etiam ab initio cum tua dignitate conjungebant, communis litterarum amor, ubique ab his qui experti sunt pervulgatus, et antiqua nostra cum viro admirabili Terentio amicitia. At postquam vir optimus, quique mecum omnis necessitudinis nomen adimplet, omni honore dignus frater Elpidius mecum sermonem habuit, ac singula virtutum tuarum ornamenta narravit (est autem, si quis alius, maxime idoneus, qui et virtutem hominis spectet, eamque sermone prædicet) in me tantum tui accendit desiderium, ut te nostris aliquando antiquis laribus adesse precer : quo non auditione sola, sed experientia etiam ornamentis tuis fruamur.

[1] Alias CCCL. Circa annum 371.

EPISTOLA LXV [1].

ATARBIO.

Prior scribit Atarbio Basilius, eique cedit quamvis natu major; ac rogat ut et ipse deinceps charitatem præ se ferat, et cogitet quanti intersit mutua concordia ab bellum repellendum, quod in orbem circuibat, ac tandem ad eos perventurum erat.

Ecquis erit silentii finis, si ego ætatis reposcens jura, expectem a te fieri initium salutandi, tua autem dilectio diutius velit in malo quiescendi consilio perseverare? Sed cum ego in amicitia vinci idem valere existimem, ac vincere, profiteor me tibi concedere hoc laudis et gloriæ in propria sententia retinenda studium. Ipse autem prior ad scribendum accessi, non ignorans charitatem omnia sufferre, omnia sustinere, nusquam quod suum, est quærere; quapropter nunquam excidit [2]. Nam dejici non potest, qui se per charitatem proximo submittit. Fac igitur et ipse saltem deinceps primum et maximum spiritus fructum, charitatem, præ te ferens, projicias irascentium tristitiam, quam nobis per silentium declarasti, et concipias corde lætitiam, pacem cum fratribus idem sentientibus, studium et sollicitudinem pro Ecclesiarum Domini perpetuitate. Noveris enim, nisi parem nos laborem pro Ecclesiis suscipiamus, ac sanæ doctrinæ adversarii ad earum eversionem et cumulatam ruinam; nihil impedire quominus veritas ab inimicis eversa pereat, ac condemnationis et ipsi participes simus, quod non omni studio atque alacritate in mutua

[1] Alias CCCLXIII. Circa annum 371. — [2] 1 Cor. XIII, 7, 8.

concordia ac in his, quæ ad Deum spectant conspiratione, sollicitudinem pro virili ad Ecclesiarum conjunctionem ostenderimus. Hortor igitur hanc opinionem ex animo tuo ejicias, te nemine alio ad communionem indigere. Non enim est viri secundum charitatem ambulantis, aut Christi legem adimplentis, sese a fratrum conjunctione abscindere. Simul autem velim et illud cogitet bonus tuus animus, belli malum quod in orbem circumagitur, tandem aliquando ad nos etiam perventurum; ac si nos quoque una cum aliis injuriæ participes simus, non inventuros, qui commiserescant, eo quod lætitiæ tempore iis, qui injuria afficiebantur, commiserationis symbolam non erogaverimus.

EPISTOLA LXVI [1].

ATHANASIO EPISCOPO ALEXANDRIÆ.

Rogat Athanasium Basilius, ut Occidentales ad succurrendum Orienti excitet; et cum dissidium Antiochenum solus sedare possit, hanc provinciam suscipiat.

I. Nemini arbitror tantum doloris afferre præsentem Ecclesiarum statum, seu potius, ut verius loquar, confusionem, quantum præstantiæ tuæ, qui comparas cum priscis præsentia, quantumque hæc ab illis distent, intelligis, ac illud etiam consideras, si res eodem impetu in pejus dilabantur, nihil prohibiturum, quominus Ecclesiæ brevi in aliam quamdam formam penitus transmutentur. Hæc sæpe mecum ipse cogitavi, si nobis adeo miserabilis Ecclesiarum depravatio videtur, quali eum animo his in rebus esse par

[1] Alias XLVIII. — [2] Anno 371.

sit, qui priscam tranquillitatem et in fide concordiam Ecclesiarum Domini expertus est? At quemadmodum plurima pars doloris ad præstantiam tuam pervenit : ita decere arbitramur, ut et sollicitudinis pro Ecclesiis plurima ad tuam prudentiam pertineat. Dudum novi et ipse pro mediocri mea rerum notitia, unam esse Ecclesiis nostris auxilii viam, si nobiscum conspirent occidentales episcopi. Nam si voluerint, quod adhibuerunt studium in uno aut altero, perverse in Occidente sentire deprehensis, illud etiam pro nostrarum partium parœcia ostendere ; fortasse rebus communibus nonnihil accesserit utilitatis, imperatore multitudinis auctoritatem reverente et populis ubique ipsos sine dubio sequentibus. Quis autem ad hæc perficienda potentior est prudentia tua? Quis ad videndum quid deceat acutior? quis ad perficienda, quæ prosunt, efficacior? Quis ad dolendum ex fratrum afflictione propensior? Quis perquam reverenda canitie tua Occidenti toti venerabilior? Relinque aliquod monumentum mortalibus, tua vivendi ratione dignum, pater imprimis venerande. Innumeros illos pro pietate exantlatos labores hoc uno facto exorna : mitte aliquos ex sancta tua Ecclesia viros in sana doctrina potentes ad occidentales episcopos : expone illis calamitates, quibus premimur : suggere modum opis ferendæ ; fias Samuël Ecclesiis : affligere una cum populis bello oppugnatis ; offer pacificas preces : pete gratiam a Domino, ut aliquod pacis monumentum Ecclesiis immittat. Scio epistolas infirmas esse, ut res tanti momenti suadeatur. Sed neque tu aliorum exhortatione indiges, non sane magis quam generosissimi pugiles puerorum acclamatione : neque nos docemus ignorantem, sed festinanti impetum intendimus.

II. Ad reliquas quidem res Orientis fortasse tibi plurium etiam adjumento opus est, atque Occidentales necesse est expectare. Sed præclarus Antiochenæ Ecclesiæ status

aperte ex tua pietate pendet; ita ut in alios quidem temperamento utaris, alios vero compescas, atque Ecclesiæ robur per concordiam restituas. Tibi enim, sapientissimorum medicorum more, curandi initium a præcipuis partibus esse faciendum, melius ipse quam quisquam alius perspicis. Quid autem habeant orbis terrarum Ecclesiæ, quod præferendum sit Antiochiæ? quam si contingeret ad concordiam redire, nihil impediret, quominus velut caput corroboratum universo corpori sanitatem suppeditet. Revera autem tua indigent sapientia et evangelica commiseratione urbis illius ægritudines, quæ non ab hæreticis modo scissa est, sed ab iis etiam, qui idem inter se sentire se dicunt, discerpitur. Hæc vero conciliare, et ad unius corporis harmoniam redigere, illius est solius, qui et siccis ossibus, ut ad nervos et carnem denuo redeant, non enarrabili sua potestate largitur. Dominus autem omnino magna per eos, qui se digni sunt, efficit. Rursus igitur et hic magnanimitatem tuam decere tantarum rerum administrationem speramus, adeo ut populi quidem tumultum compescas, præfecturas autem particulares abroges, et omnes sibi invicem subjicias in dilectione, ac robur priscum Ecclesiæ restituas.

EPISTOLA LXVII [1].

ATHANASIO EPISCOPO ALEXANDRIÆ.

Rogatu Dorothei apertius explicat Basilius, quod prioribus indicaverat litteris, sic Antiochiæ res componendas, ut Meletius Ecclesiæ corpori præsit, in alios autem œconomia adhibeatur : ita enim et ipsis Occidentalibus placuisse, ut litteræ per beatum Sylvanum allatæ testantur.

Mihi quidem satis esse videbatur in prioribus litteris, præstantiæ tuæ tantum indicare, quidquid ex sanctæ Ecclesiæ Antiochenæ populo in fide firmum est, in unam concordiam et unitatem adducendum esse ; id, inquam, satis esse videbatur, ut demonstrarem religiosissimo episcopo Meletio oportere, quæ in plures partes nunc divisa sunt, adjungere. Sed quia idem ille dilectus condiaconus noster Dorotheus clariorem de his mentionem postulavit, necessario testamur et universo Orienti in votis esse, et a nobis Meletio omnimodo conjunctis expeti, ut eum videamus Ecclesiam Domini gubernantem ; virum et fide inculpatum, et tum vita nullum cum aliis comparationi locum relinquentem ; tum quod ipse universo, ut ita dicam, corpori Ecclesiæ præsit, reliqua vero sint, velut partium segmenta. Quare undique necessarium simul et utile huic viro conjungi alios, velut fluminibus magnis minora : circa alios autem aliquod temperamentum adhiberi, quod et illis conveniat, et pacificet populum, et prudentiæ tuæ ac perquam celebri solertiæ studioque competat. Cæterum eximiam

[1] Alias L. Scripta anno 371.

tuam prudentiam nullo modo latet, eadem jam et unanimibus tuis Occidentalibus placuisse; ut ostendunt litteræ per beatum Sylvanum nobis allatæ.

EPISTOLA LXVIII [1].

MELETIO EPISCOPO ANTIOCHIÆ.

Cum Meletio agit Basilius de Dorotheo Romam mittendo. Nuntiat de Euippii adventu, et aliorum Arianorum expectatione.

HACTENUS quidem voluimus retinere apud nos religiosissimum fratrem Dorotheum condiaconum, ut eum sub finem negotiorum dimittentes, singulas res gestas præstantiæ tuæ per ipsum significaremus. Sed tamen quoniam dum diem ex die differimus, in longum tempus protracti sumus, statim atque nobis, ut in rebus difficillimis, consilium aliquod de rebus agendis in mentem venit, misimus prædictum virum, qui sanctitatem vestram conveniat, referatque per se ipse singula, et commentarium nostrum ostendat, ut si utilia videantur quæ a nobis excogitata sunt, ea in rem conferri curet vestra præstantia. Hæc autem, ut in summa dicam, vicit sententia, ut idem ille frater noster Dorotheus Romam proficiscatur, excitetque aliquos ex Italia, qui nos invisant, mari utentes, ut interpellatores devitent. Animadverti enim eos, qui apud imperatorem potentes sunt, neque velle, neque posse illum de exulibus submonere: sed quod nihil pejus in Ecclesiis fieri videant, id pro lucro ducere. Igitur si et prudentiæ tuæ utile consilium esse visum fuerit, dignabere et episto-

[1] Alias LVII. Scripta anno 371.

las exarare, et commentarium dictare, de quibus, et ad quos ipsum verba facere oporteat. Atque ut auctoritatem aliquam habeant litteræ, adjunges omnino eos, qui idem sentiunt, etiamsi non adsint. Hic autem res incertæ adhuc et dubiæ; cum Euippius advenerit quidem, sed nondum quidquam declaraverit. Minantur quidem et concursum quemdam eorum, qui idem ac illi sentiunt, ex Armenia Tetrapoli et ex Cilicia.

EPISTOLA LXIX [1].

ATHANASIO EPISCOPO ALEXANDRIÆ.

Laudat Basilius Athanasii studium et curam omnium ecclesiarum: gratias agit ob missum ad se Petrum presbyterum. Iterum ad eum mittit Dorotheum, ut ejus consiliis munitus Romam proficiscatur. Narrat visum esse Romam scribere, ut inde idonei legati mittantur, ac placere nonnullis, ut Romani Marcellum damnent, sibique idem videri. Rogat denique ut Dorotheum ad primam navigationem dimittat, et legatos ex Occidente advenientes moneat, quomodo pax concilianda sit ac imprimis ecclesia Antiochena curanda.

1. Quam dudum de tua præstantia opinionem habemus, eam tempus progrediens semper confirmat: vel potius simul crescit ex eorum quæ singulatim fiunt accessionibus. Nam plerisque aliis satis est sua cujusque propria circumspicere: tibi vero id satis non est, sed tanta inest tibi omnium Ecclesiarum cura, quanta illius, quæ privatim tibi a communi nostro Domino concredita est: quippe qui nul-

[1] Alias LII. Scripta anno 371.

lum tempus intermittas disserendi, admonendi, scribendi, ac subinde mittendi, qui optima commoneant. Atque nunc etiam dignum omni honore fratrem Petrum e sacro cleri tui cœtu missum multo cum gaudio excepimus, et bonum peregrinationis ipsius consilium laudavimus, quod quidem præ se fert secundum præstantiæ tuæ mandata, concilians contraria ac divulsa conjungens. Unde et nos cum aliquid in hujus rei studium conferre vellemus, convenientissimum initium rebus daturos duximus, si velut ad universorum apicem, ad tuam confugeremus perfectionem, ac te et consiliario, et duce eorum quæ agenda sunt uteremur. Hac de causa et fratrem Dorotheum diaconum Ecclesiæ, cui reverendissimus episcopus Meletius præest, bono rectæ fidei studio utentem, et pacis Ecclesiarum videndæ cupidum, ad pietatem tuam remisi, ut consiliis tuis obsequens (quæ et tempore et rerum experientia, et quod præ cæteris habeas a Spiritu consilium, tutiora ac securiora efficere potes) ita demum expetita ac desiderata aggrediatur. Hunc et suscipies videlicet, et intueberis pacificis oculis, eumque precum subsidio firmatum, ac litterarum viatico munttum, imo etiam bonorum qui apud te sunt nonnullis adjunctum, ad proposita deduces. Nobis autem operæ-pretium esse visum est ad episcopum Romæ scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur, eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores; idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos; apte et attemperate utentes sermone, secumque habentes quæcumque post Ariminense concilium gesta sunt, ad eorum, quæ per vim illic acta fuerant, dissolutionem; iique, nemine sciente, citra strepitum per mare huc adveniant, ut opinionem inimicorum pacis prævertant.

II. Requiritur autem et illud a nonnullis, qui hic sunt, ac necessario quidem, ut etiam nobis ipsis videtur, ut ipsi Marcelli hæresim velut perniciosam, et noxiam, et a sana fide alienam exterminent. Nam hactenus in omnibus, quas scribunt, litteris, Arium quidem infausti nominis virum susquedeque anathemate ferire, et ab Ecclesiis relegare non cessant: Marcello vero, qui impietatem ei ex diametro oppositam protulit, et in ipsam divinitatis Unigeniti existentiam impius fuit, et Verbi appellationem prave accepit, nullum videntur intulisse vituperium. Qui Verbum quidem dictum fuisse Unigenitum concedit, ad usum et ad tempus progrediens, sed rursus ad eum unde prodiit revertens, neque ante exitum esse, neque post reditum subsistere. Atque hujus rei argumenta sunt servati apud nos nefariæ illius scriptionis libri. Sed tamen nusquam eum reprobare visi sunt; idque eo nomine vituperati, quod eum ab initio ex veritatis ignoratione in ecclesiasticam etiam communionem receperint. Igitur et illius, ut par est, fieri mentionem, res præsentes postulant, ut qui occasionem quærunt, occasionem non habeant, dum sani ad tuam se sanctitatem adjungunt, et qui circa veram fidem claudicant, manifesti omnibus fiunt (3); ita ut deinceps eos qui idem ac nos sentiunt, agnoscamus, nec jam velut in nocturna pugna nullum sit amicorum et inimicorum discrimen. Hortamur solum, ut statim ad primam navigationem prædictus diaconus mittatur, ut possit saltem anno sequenti aliquid eorum, quæ precamur, perfici. Illud autem ante etiam quam dicamus, ipse et intelligis, et curabis videlicet, ut ubi, Deo volente, advenerint, non immittant Ecclesiis schismata: sed eos, qui eadem sentiunt, omni ratione ad conjunctionem compellant, etiamsi nonnullos reperiant, qui privatas quasdam discordiarum inter se causas habeant; ne populus orthodoxus multas in partes scindatur, una cum præpositis

abscedens. Studium enim in eo ponendum est, ut paci posthabeantur omnia, ac præ omnibus ecclesiæ Antiochenæ cura suscipiatur, ne sana illius pars circa personas scissa debilitetur. Sed magis hæc omnia et ipse deinceps curabis, posteaquam, quod optamus, adjuvante te Deo, omnes habueris tibi, quæ ad constituendam pacem Ecclesiarum pertinent, committentes.

EPISTOLA LXX[1].

SINE INSCRIPTIONE DE SYNODO.

Orientis mala eximiis coloribus depingit Basilius, et Damasum rogat, ut ex more et instituto decessorum suorum auxilium ferat, imprimis Dionysii, qui olim in Cappadociam miserat, qui captivos redimerent.

Dilectionis antiquæ leges renovare, et Patrum pacem, cœleste illud Christi donum ac salutare quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocare, necessarium quidem nobis ac utile[2]; jucundum autem, sat scio, et tuo Christi amanti animo videbitur. Quid enim fiat jucundius, quam homines tanto locorum intervallo sejunctos, charitatis vinculo videre in unam membrorum harmoniam in corpore Christi colligari? Omnis propemodum Oriens, pater colendissime, (dico autem Orientem quidquid ab Illyrico ad Ægyptum usque protenditur) ingenti tempestate ac æstu exagitatur : cum dudum quidem sparsa hæresis ab inimico veritatis Ario, nunc vero impudenter emergens, ac veluti radix amara fructum exitiosum proferens, jam dominetur;

[1] Alias ccxx. Scripta anno 372. — [2] Vide D. Guillon, tom. vii, pag. 467-468.

proptereaquod sanæ doctrinæ in unaquaque parœcia signiferi per calumniam ac injuriam exciderunt Ecclesiis, tradita autem his, qui simpliciorum animas captivas ducunt, rerum potestas. Horum unicam solutionem expectavimus, miserationis vestræ visitationem : ac nos semper consolata est mirabilis vestra charitas prætèrito tempore, et læto rumore allato, fore ut a vobis inviseremur, animis ad breve tempus corroborati sumus. Postquam autem spe excidimus, non jam amplius ferentes, eo devenimus, ut vos per litteras obsecremus, ut ad opem nobis ferendam excitemini, et ex his qui idem ac nos sentiunt, mittatis aliquos, qui vel dissidentes concilient, vel Dei Ecclesias ad amicitiam reducant, vel saltem perturbationis auctores vobis clarius indicent; ita ut deinceps vobis manifestum sit, quibuscum communionem deceat habere. Omnino autem nihil exposcimus novi, sed quod et cæteris olim beatis ac Deo dilectis viris usitatum et præcipue vobis. Novimus enim ex serie memoriæ, a Patribus nostris interrogatis et litteris etiamnum apud nos asservatis edocti Dionysium beatissimum illum episcopum, qui apud vos et recta fide et reliquis virtutibus enituit, invisisse Ecclesiam nostram Cæsariensem, et patres nostros per litteras consolatum esse, ac misisse, qui fratres captivos redimerent. Nunc autem difficilior ac tristior est rerum nostrarum status, et cura majore indiget. Neque enim terrenarum ædium lugemus demolitionem, sed excidium Ecclesiarum : neque corporum servitutem, sed animarum captivitatem quotidie ab hæresis propugnatoribus perfici videmus. Quare nisi jam ad suppetias ferendas excitemini, paulo post nec quibus manum porrigatis inventuri estis, omnibus sub hæresis potestatem redactis.

EPISTOLA LXXI [1].

GREGORIO BASILIUS.

Gregorio dolorem suum significat Basilius, quod amicissimi sibi homines cuidam calumniatori aures præbeant. Negat defensione opus esse: culpam rejicit in Gregorium, quod secum magnam anni partem non traducat: rogat ut secum adversus imminentem hostem certaturus veniat. Quo ex certamine sperat se saltem exilii laudem reportaturum.

I. Accepi pietatis tuæ litteras per fratrem sane quam reverendum Hellenium [2]: et quæcumque nobis significaveras, ipse aperte narravit. Audientes autem quomodo affecti fuerimus, nihil omnino dubitas. Sed quia decrevimus dolore omni potiorem facere nostrum in te amorem, accepimus etiam hæc, ut par erat; ac precamur Deum sanctum, ut reliquos dies vel horas sic in animi erga te affectione conservemur, quemadmodum et præterito hactenus tempore, in quo nullius nobis ipsis neque parvi neque majoris delicti sumus conscii. Quod si ille, qui nunc primum sese ad vitam Christianorum emergere profitetur, ac sibi honori alicui futurum putat, nobiscum conflictari, ea effingit quæ non audivit, et narrat quæ non intellexit; nihil mirum. Sed illud mirandum et ab opinione abhorrens, quod ejusmodi rerum auditores habet germanissimos mihi apud vos fratres: nec auditores modo, sed et Discipulos, ut videtur. Quod si alioqui mirum esset talem esse eum qui docet, meque eum esse cui maledicitur; certe temporum

[1] Alias xxxiii Scripta anno 371.

infelix status nihil nos ægre ferre docuit. Nam jamdudum majores his contumeliæ familiares nobis factæ sunt ob nostra peccata. Ego igitur, si necdum istius fratribus meæ de Deo sententiæ experimentum dedi, ne nunc quidem habeo quod respondeam. Quibus enim longum tempus non persuasit, quomodo brevis epistola persuadeat? Sin illa satis sunt, nugæ existimentur quæ proficissuntur a calumniatoribus. Sed tamen si permiserimus effrenatis linguis et expertibus disciplinæ cordibus, de quibus voluerint loqui, auresque ad suscipiendum paratas habuerimus; non nos solum res aliorum secus accipiemus, sed nostras etiam alii.

II. His autem illud in causa est, quod pridem hortabar ne fieret, nunc autem defessus sileo, quod non una conveniamus. Nam si ex veteri pacto et pro debita nunc Ecclesiis a nobis cura, magnam anni partem simul traduceremus, aditum non dedissemus calumniantibus. Tu autem, si videtur, his quidem vale dicito: ipse vero exorari te sine, ut nobiscum ad propositum certamen allabores, ac nobiscum occurras ei qui bellum nobis infert. Si enim tantum appareas, supprimes ipsius impetum; eosque qui ad patriæ rei evertendas conspirant, dissipabis, ubi ipsis notum feceris te, Dei gratia, cœtus nostri ducem esse; ac omne os loquentium contra Deum iniquitatem obturabis. Hæc si fiant, res ipsa declarabit quis tui ad præclara facinora sectator, et quis claudicans ac veritatis doctrinæ ignavus proditor. Quod si res Ecclesiæ proditæ sunt, parum mihi curæ fuerit eos verbis convincere, qui tanti me faciunt, quanti facere possint qui nondum suo se modulo metiri didicerunt. Enimvero brevi, Deo largiente, ipsis operum testimoniis calumniæ arguentur; siquidem expectamus pro veritatis doctrina forte etiam nos majus aliquid passuros: sin minus, saltem omnino ex Ecclesiis et patria ejectum iri. Sed si nihil evenerit eorum quæ speramus;

non procul abest Christi judicium. Quare si congressum ob Ecclesias exposcis, paratus sum, quocumque advocaveris, accurrere : sin autem, ut calumnias diluam ; de his respondere nunc mihi non vacat.

EPISTOLA LXXII[1].

HESYCHIO.

Hesychium rogat Basilius, ut sibi in placando Callisthene operam navet.

Novi et amorem in me tuum, et rerum optimarum studium. Quare cum mihi placandus sit desideratissimus filius Callisthenes; existimavi, si te socium caperem sollicitudinis, facilius me perfecturum quod cupio. Succenset ille vir disertissimo Eustochio, nec immerito succenset. Servorum ipsius in se audaciam ac furorem incusat. Hunc rogamus exorari se sinat, ut eo timore contentus, quem et temerariis illis et eorum heris incussit, contentionem, venia data, dissolvat. Nam hoc pacto utrumque consequetur, et honestam speciem apud homines, et laudem apud Deum; si modo terrori velit patientiam admiscere. Tu igitur, si qua tibi cum illo viro intercedit amicitia ac familiaritas, ab eo id beneficii postula : et quos noris in civitate idoneos ad eum flectendum, socios adhibe sollicitudinis, dicens eis rem mihi gratissimam fore. Quin et diaconum sic dimitte, ut quarum rerum causa missus est, his perfectis redeat. Nam pudet me homines qui ad me confugiunt, nihil juvare posse.

[1] Alias CCCLI. Scripta circa annum 371.

EPISTOLA LXXIII [1].

CALLISTHENI.

Laudat Callisthenem Basilius, quod Eustochii servis iratus rei arbitrium sibi permiserit. Petenti ut in locum, ubi injuriam fecerant, abducantur, demonstrat multa inde consequi incommoda. Concedit ut Sasima usque sistantur; vel potius rogat ut sibi vindicta permittatur; ac si juravit Callisthenes traditurum se eos ad pœnam secundum leges, contentus sit pœna, quam Ecclesiæ leges imponunt, et militem, quem miserat, cito revocet.

I. Gratias egi Deo, lectis tuæ gravitatis litteris: primum, quod hominis honorem libenter mihi habentis veniret ad me salutatio: siquidem virorum præstantissimorum colloquium plurimi facio. Alterum voluptati fuit, recordationem bonam consequi. Signum autem recordationis litteræ, quas ubi accepi, ac earum sensum intellexi; miratus sum quomodo vere, ut omnium erat opinio, paternam mihi reverentiam exhibuerint. Quod enim æstuans et iratus et ad ulciscendos molestiæ auctores paratus, multum remisisti de impetu, nosque rei dominos fecisti; id mihi locum dedit in te tanquam in filio spirituali lætandi. Pro his igitur qui aliud superest, nisi ut tibi bona precemur? ut amicis quidem sis gratissimus, inimicis vero formidandus, et omnibus pariter reverendus, ut et qui aliqua in re officio suo defuerint, cognita tua lenitate culpent se ipsi, quod in te virum talem deliquerint.

[1] Alias CCCLXXXVIII. Scripta circa annum 371.

II. Sed quia jussisti famulos in locum, ubi turbam ac tumultum excitarunt, abduci; scire velim quid tuæ bonitati id requirenti propositum sit. Si enim aderis ipse, et facinoris pœnas ipse repetes, aderunt pueri : quid enim aliud faciendum, si id tibi statutum est? Sed nescio ego quid jam beneficii accepero, si pueros ex supplicio eruere non valeam. Quod si te negotium per viam detinuerint, quis homines illic suscipiet? Quis pro te illos ulciscetur? Quod si videtur ut tibi in conspectum prodeant, idque omnino statutum; jube Sasimos usque sistantur, ac ibi ostende lenitatem morum tuorum et magnanimitatem. Postquam enim in potestatem acceperis eos, qui offenderunt, et hoc pacto demonstraveris non contemptui habendam esse tuam dignitatem; illæsos dimitte, quemadmodum prioribus litteris rogavimus, gratiam a nobis iniens, et a Deo facti mercedem expectans.

III. Hæc autem dico, non quod res ita perfici debeat, sed cedens commotioni tuæ, ac metuens, ne quid iracundiæ minus coctum resideat; et quemadmodum oculis inflammatis vel mollissima medicamenta dolorem ferunt, ita et nunc oratio mea accendat te magis quam compescat. Illud enim maxime decorum foret, ac tibi maximum ornamentum afferre posset, mihique non parvam apud amicos et æquales meos gloriæ materiam, si vindicta mihi permitteretur. Omnino autem etiam si juraveris traditurum te eos ad supplicium secundum leges; neque animadversio nostra minor est ad vindictam, neque divina lex ignobilior observatis in sæculo legibus. Sed fieri poterat, ut hic ex legibus nostris, in quibus et ipse spem salutis positam habes, puniti, et te jurisjurandi necessitate solverent, et ipsi parem peccatis pœnam explerent. Sed rursus epistolam longius produco. Nam dum hæc tibi persuadere vehementer studeo, nihil eorum quæ in mentem

veniunt, prætermiserim possum; veritus scilicet ne ideo irrita sit mea precatio, quod aliquid in docendo prætermiserim. At enim, colendissime ac germane Ecclesiæ fili, confirma spes meas, quas in te nunc positas habeo, et consentientia omnium de tua animi moderatione et lenitate testimonia; ac militi scribe ut a nobis cito discedat. Is enim hactenus nihil odii aut contumeliæ omisit : quippe cum malit te molestia non afficere, quam omnes nos familiares ac amicos habere.

EPISTOLA LXXIV [1].

MARTINIANO.

Basilius malorum patriæ descriptione Martinianum adducere conatur, ut imperatorem adeat, et quanta ex divisione Cappadociæ consequantur incommoda demonstret, vel saltem scribendo opem ferat in tanta calamitate.

I. Quanti me arbitraris, quanti æstimaturum, ut in unum aliquando inter nos veniamus [2], tecumque diutius verser, adeo ut omnibus bonis, quibus ornatus es, perfruar? Si enim plurimum valet ad eruditionis testimonium, multorum hominum vidisse urbes, et mores nosse ; id existimo brevi tempore tuum congressum præstare. Quid enim refert utrum multos sigillatim videas, an unum qui omnium simul experientiam adeptus sit? Imo vero maxime præstare dixerim, quæcumque rerum optimarum cognitionem sine labore conciliant, et puram ab omni vitii per-

[1] Alias CCCLXXIX. Scripta anno 371.— [2] Vide D. Guillon, tom. VII, pag. 461-466.

mixtione scientiam virtutis colligunt. Enimvero sive facinus præclarissimum, sive sententia memoratu digna, sive virorum alios superantium instituta, omnia in animi tui thesauro reconduntur. Quare non annum tantum, sicut Alcinoüs Ulyssem, sed totam vitam meam audire te exoptarim, eamque longam hac de causa fieri, quamvis mihi gravis sit et molesta. Sed quid ego nunc scribo, cum adesse oporteret? Quia me afflictata patria festinanter ad se vocat. Qualia autem patiatur, non ignoras, vir optime. Eam enim, veluti Pentheum, vere Mænades quidam, dæmones, discerpsere : siquidem eam secant atque resecant, vulnera, imperitorum medicorum more, per inscientiam suam reddentes graviora. Itaque cum laboret dissecta, reliquum est ut ei tanquam ægrotanti medeamur. Scripserunt igitur ac nos urgent cives, atque accedere necesse est; non quod rebus aliquid allaturi simus auxilii, sed ut derelictionis exprobrationem effugiamus. Nosti enim proclives esse ad sperandum qui in angustiis sunt, proclives et ad conquerendum, semper in id quod prætermissum est, culpam conferentes.

II. Equidem et ejus rei gratia convenire te debebam, ac consilium dare; vel potius obsecrare ut strenuum quiddam ac prudentia tua dignum excogites, nec patriam nostram in genua prolapsam despicias : sed in aulam proficiscens ac libertate tua utens denuncies eis, ne sibi videantur duas ex una possidere provincias : neque enim ex alia quadam terra alteram harum induxere : sed idem fere egerunt, ac si quis equum aut bovem possidens, deinde duas in partes dividens, duos pro uno habere sibi videantur; non enim effecit duos, sed unum e medio sustulit; ac demonstres etiam iis, qui plurimum possunt, imperium non hoc pacto adaugeri, neque enim robur in numero, sed in ipsis rebus positum esse : siquidem nunc arbitramur alios

quidem fortasse veritatis ignoratione, alios vero eo quod nolint verbis molesti esse, alios parvi pendentes, ea quæ fiunt negligere. Si igitur imperatorem ipsum adire posses, id et rebus commodissimum foret et præclaro vitæ tuæ instituto decorum. Sin autem hoc alioqui grave est tum ob anni tempestatem, tum ob ætatem quæ, uti tu ipse dicis, comitem habet pigritiam; at saltem scribendi nullus labor. Quamobrem si litterarum præsidium patriæ impertias; primum quidem conscius tibimetipsi eris, nihil quod in tua potestate situm esset, a te fuisse omissum : deinde afflictis etiam, ipsa commiserationis specie satis magnum afferes solatium. Sed utinam fieri posset, ut interesses ipsis rebus, ac oculis tuis mœstitiam videres. Sic enim forte ex rerum conspectarum evidentia commotus, vocem aliquam et animi tui magnitudine et civitatis afflictione dignam emitteres. Sed tamen narrantibus nobis fidem ne deroges. Revera Simonide, aut aliquo simili poëta indigeremus, evidenter scienti calamitates lugere. Sed quid dico Simonidem? Æschylum dicere oportuit, aut si quis alius ei similis, calamitatis magnitudinem clare exponens, voce alta lamentatus est.

III. Nam cœtus illi, sermonesque et eruditorum virorum in foro colloquia, ac quæcumque civitati nostræ antea nomen et famam pepererant, nos deseruere. Quare eruditorum et eloquentium hominum rarius nunc quisquam ad forum accedere deprehendatur, quam olim Athenis infamiæ notis inusti, aut manibus non puri. Introducta est autem horum loco Scytharum quorumdam aut Massagetarum inscitia. Una autem vox est exactorum, et eorum a quibus exigitur, quique flagellis cæduntur. Porticus utrinque lugubre quiddam personantes, velut propriam videntur vocem edere, de his quæ fiunt ingementes. Occlusa autem gymnasia et noctes non illustratas non sinit aliquo

nos in numero habere ipsa de vita sollicitudo. Non enim leve periculum est, ne amotis optimatibus, velut fulcris corruentibus, simul evertantur omnia. Ecquis autem sermo exprimendis nostris malis par fuerit? Alii abierunt fugientes, pars senatus nostri non ignorabilior, perpetuum exilium Podando præferentes. Cum autem Podandum dico, Ceadem me Laconicum dicere puta; aut sicubi naturale barathrum vidisti; quæ loca nonnulli Charonia, nomine sua sponte occurrenti, appellarunt, exitiosam auram exhalantia. Ejusmodi loco persimile existima Podandi malum. Ex tribus igitur partibus, alii cum uxoribus ac focis fugiunt, alii abducuntur ut captivi, maxima pars optimatum civitatis, miserandum amicis spectaculum, inimicorum vota explentes; si quis tamen omnino extitit, qui nobis tantum mali imprecaretur. Tertia jam relicta pars est. Hi autem amicorum ac familiarium non ferentes secessum, simulque infirmiores quam ut rebus necessariis provideant, vitam ipsam oderunt. Hæc hortamur ut nota omnibus facias, tua ipsius voce ac justa dicendi libertate, quam tibi vita conciliat; clare illud prædicens, nisi cito consilium mutent, non habituros in quibus humanitatem ostendant. Vel enim aliquid auxilii laturus es communibus rebus, vel saltem idem facturus, quod Solon, qui cum cives derelictos defendere non posset, arce jam occupata, armatus ante fores sedebat, hoc ipso habitu declarans se his quæ fiebant non assentiri. Hoc autem pro certo scio, etiam si quis nunc sententiam tuam non probet, paulo post benevolentiæ simul et prudentiæ maximam laudem tibi daturum, cum res viderit ita, ut prædictæ fuerant, evenire.

EPISTOLA LXXV [1].

ABURGIO.

Aburgium monet Basilius quid patriæ debeat, cumque illius malorum pictura permovere conatur, ut auctoritate sua utatur ad opem civibus ferendam.

Cum multa sint, quibus indoles tua super alios eminet, nihil tamen tibi tam proprium est, quam patriæ amor, rependente te justas illi vices, ex qua ortus talis evasisti, ut claritas tua per totum orbem terrarum celebretur. Itaque illa ipsa patria, quæ te progenuit ac enutrivit, in veterum historiarum incredibilem statum devenit; nec quisquam in urbem nostram adveniens, etiamsi sit ex iis, quibus maxime nota est, illam agnoscat. Adeo in omnem solitudinem subito trasmutata est; pluribus quidem jam antea magistratibus ei ablatis, nunc autem fere omnibus Podandum translatis. Ab his avulsi qui residui sunt, in omnem et ipsi desperationem inciderunt, ac omnium animos ita infregerunt, ut jam rari sint etiam incolæ in civitate, atque hic ingens facta sit solitudo, miserandum quidem amicis spectaculum, valde autem jucundum et gratum insidiantibus dudum nostro casui. Cujus est igitur manum nobis porrigere? Aut cujus lacrymas commiserationis nostra causa profundere? nisi clementiæ tuæ, quem etiam alienæ civitatis similiter afflictæ mala tangerent, non modo illius, quæ te in lucem edidit. Itaque si qua polles potentia, eam in præsens tempus nobis ostende. Magna profecto habes a Deo adjumenta, qui te nullo tempore dereliquit, tibique

[1] Alias CCCLXI. Scripta anno 371.

multa dedit benevolentiæ suæ argumenta: tantum velis omnino ad curam nostri suscipiendam exurgere, atque auctoritatem, qua vales, ad opem civibus ferendam adhibere.

EPISTOLA LXXVI [1].

SOPHRONIO MAGISTRO.

Corporis infirma valetudine et Ecclesiarum cura detinetur Basilius, quominus in aulam proficiscatur. Sed interim per litteras confugit ad Sophronium in summo patriæ communis exitio.

Magnitudo quidem calamitatum, quæ patriæ nostræ acciderunt, memetipsum in aulam proficisci cogeret, et magnanimitati tuæ mœrorem, quo civitas nostra afficitur, exponere, cæterisque quicumque plurimum in rebus potestis. Sed quia et corporis infirma valetudo, et Ecclesiarum me cura detinet, interim per epistolam lamentari apud tuam magnitudinem festinavi; declarans nec naviculam in mari vehementibus ventis immersam ita velociter ex oculis unquam evanuisse, neque urbem ullam terræ motibus excussam aut aquis submersam ita subito periisse, ut civitas nostra hac nova rerum administratione absorpta in exitium funditus incidit. Atque adeo nostra in fabulam cessere. Actum est enim de civitatis ordine. Omnis autem civilis cœtus ob ea, quæ magistratibus acciderunt, animo concidens, urbanis ædibus desertis, per agros et rura divagatur. Jam defecit rerum necessarium administratio: ac omnino spectaculum fœdissimum facta est, quæ prius tum

[1] Alias CCCXXXI. Scripta anno 371.

de litteratis viris, tum de reliquis bonis, quibus opulentæ urbes abundant, gloriabatur. Unum autem duximus, ut in malis, solatium, calamitates nostras apud tuam clementiam deflere, ac obsecrare, si quid potes, ut civitati in genua provolutæ porrigas manum. Modum vero, quo rebus opportune subvenias, equidem ipse indicare non possum. Sed tibi omnino et invenire ob prudentiam facile; et uti inventis ob datam tibi a Deo potestatem non difficile.

EPISTOLA LXXVII [1].

Sine inscriptione de Therasio.

Videtur hanc epistolam Basilius ad Elpidium præsidis Therasii assessorem scripsisse. Hortatur ut a præside non discedat, sed tantas curas, quæ ex divisione Cappadociæ supervenerant, cum eo partiatur.

Illud etiam ex bona præfectura magni percepimus Therasii, quod facundia tua crebro apud nos venerit. Verum hoc ipsum amisimus præside privati. Sed quia quæ nobis semel a Deo concessa sunt, firma manent, atque in nostris invicem animis per memoriam insident, etiamsi corpore disjungamur, saltem frequenter scribamus, et inter nos de necessariis rebus loquamur : maxime autem præsenti tempore, quo hyems hasce inducias brevissimas nobiscum fecit. Spero autem te non discessurum a viro imprimis admirando Therasio, decere existimantem cum eo tantas curas partiri, neque etiam frustra occasionem amplectentem, ex qua tibi et amicos videre et ab ipsis videri liceat. Multa

[1] Alias CCXXVI. Scripta anno 371.

autem cum habeam dicenda et de multis, in congressum distuli : non tutum esse existimans epistolis res ejusmodi committere.

EPISTOLA LXXVIII [1].

Sine inscriptione pro Elpidio.

Rogat Basilius ut Elpidius, vir maxime idoneus qui Cappadociæ afflictis rebus succurrat, remanere in hac provincia jubeatur.

Non me latet bonum illud studium, quo erga colendissimum sodalem nostrum Elpidium afficeris; quomodo pro tua consueta prudentia humanitatis ostendendæ occasionem præfecto subministraveris. Nunc igitur ut hoc beneficium absolvas, per epistolam te rogo ac præfectum moneas, ut peculiari mandato patriæ nostræ virum hunc præficiat, ex quo tota pene publicorum negotiorum cura dependet. Quamobrem multas poteris ac speciosas suggerere causas præfecto, quibus necessario adducetur, ut illum in nostra patria remanere jubeat. Cæterum quo in statu res nostræ sint, et quam vir sit rebus gerendis idoneus, profecto nihil opus est te a nobis edoceri : cum hoc ipse pro tua prudentia plane intelligas.

[1] Alias ccxv. Scripta anno 371.

EPISTOLA LXXIX[1].

EUSTATHIO EPISCOPO SEBASTIÆ.

Gratias agit Eustathio Basilius, quod ad se certamini expositum scripserit, et Eleusinium optimum commilitonem miserit. Narrat se cum præfecto et cubiculi præposito jam pugnasse.

Et antequam litteras tuas acciperem, haud ignorabam quantum pro quavis anima labores, maxime vero pro nostra humilitate, eo quod huic certamini expositus sim : et postquam reddidit litteras perquam colendus Eleusinius, ipsumque præsentem conspexi; Deum laudavi, qui nobis adjutorem talem ac commilitonem per spirituale auxilium in certaminibus pro pietate subeundis concessit. Noscat porro summa tua pietas nobis jam pugnas aliquas cum magnis potestatibus fuisse, easque vehementes; cum et præfectus, et cubiculi præpositus ex propria animi affectione pro adversariis nostris disputarent; sed nos hactenus animo inconcusso assultum omnem sustinuisse miseratione Dei, quæ nobis suppeditavit opem Spiritus, ac per ipsum imbecillitatem nostram corroboravit.

[1] Alias cccviii. Scripta anno 371.

EPISTOLA LXXX [1].

ATHANASIO ALEXANDRIÆ EPISCOPO.

Sperat Basilius ecclesias Athanasii precibus et consiliis ex tempestate horrenda servari posse. Hortatur ut nec precari cesset, nec scribere. Prætermissam ab eo scribendi occasionem dolet : magnum sibi solatium a Deo accepisse videretur, si Athanasium videre contingeret.

Quo magis Ecclesiarum morbi ingravescunt, eo magis omnes ad tuam convertimur præstantiam, unum nobis malorum solatium superesse credentes, tutelam tuam; qui et virtute precum, et rerum optimarum in negotiis suggerendarum scientia, servare non posse ex hac horrenda tempestate apud omnes pariter, qui vel tantillum aut auditu aut experientia præstantiam tuam noverunt, existimaris. Quare ne cesses et precari pro animabus nostris, et nos per litteras excitare : quarum si scires quanta sit utilitas, nunquam sane oblatam tibi ad nos scribendi occasionem prætermisisses. Quod si precum tuarum ope haberer dignus, qui viderem te, ac iis, quæ in te sunt, bonis perfruerer, atque ad meæ vitæ historiam congressum cum tuo vere magno et apostolico animo adjicerem; profecto mihi viderer ærumnis, quas in omni mea vita perpessus sum, parem a Dei benignitate consolationem accepisse.

[1] Alios XLIX. Scripta anno 371, aut 372 ineunte.

EPISTOLA LXXXI [1].

INNOCENTIO EPISCOPO.

Rogatus ab Innocentio Basilius ut, eo mortuo, ipsius Ecclesiæ curam suscipiat, tantum onus a se deprecatur. Sed alteri illius petitioni libenter annuens, offert ei presbyterum omni virtutum genere ornatum, ut eum successorem suum designet. Alium petierat Innocentius, bonum illum quidem, sed prædicto viro longe inferiorem.

Quantum gavisus sum acceptis dilectionis tuæ litteris, tantum dolui quod mihi sollicitudinis, quæ meas vires superat, onus imposueris. Quomodo enim possim ex tanto intervallo tantum munus sustinere? Quandiu enim vos quidem possidet Ecclesia, tanquam in propriis fulcris quiescit: si vero de vestra vita Dominus quidpiam statuerit, quosnam hinc vobis pares ad fratres curandos mittere valeam? Quod spectat ad petitionem tuam, quam per litteras significasti (recte quidem et prudenter faciens, ut vivus videre velis eum, qui electum Domini gregem post te gubernaturus est, id quod et beatus Moses et exoptavit et vidit) cum igitur et locus amplus sit, et celebris; tuumque opus apud multos clarum, ac tempora difficilia, magno indigentia gubernatore ob continuas procellas, et insurgentes in Ecclesiam fluctus; tutum animæ meæ esse non putavi rem perfunctorie tractare; maxime cum habeam in memoria quod scripsisti, te mihi coram Domino adversaturum, lites ob Ecclesiarum incuriam intendentem. Ne igitur tecum in

[1] Alias cccxix. Scripta anno 372.

judicium veniam, sed potius socium te reperiam meæ apud Christum defensionis; circumspiciens in presbyterii urbis consessu, elegi pretiosissimum vas, alumnum beati Hermogenis, qui magnam illam atque insuperabilem fidem scripsit in magna synodo; presbyterum Ecclesiæ a multis jam annis, gravibus ac constantibus moribus præditum, peritum canonum, hominem accuratæ fidei, in continenti et ascetico instituto hactenus degentem, etsi illius jam carnem consumpsit austerioris vitæ rigor: pauperem ac nullos in hoc mundo reditus possidentem, adeo ut ne panis quidem copia ipsi suppetat, sed manuum labore una cum fratribus. qui cum eo sunt, victum sibi comparet. Hunc libet mittere. Si igitur viro tali indiges, non vero juniore aliquo, ad hoc tantum idoneo ut mittatur, ac negotia peragat exteriora; cito ad me prima occasione oblata scribere ne graveris, ut hunc tibi virum mittam, electum Dei, et huic rei aptum, reverendum adeuntibus, et in mansuetudine adversantes erudientem: quem statim etiam poteram mittere. Sed quia ipse prior efflagitasti hominem, cætera quidem probum ac nobis dilectum, sed nominato viro longe inferiorem; tibi meam ipsius sententiam notam esse ac perspectam volui: ut si indiges ejusmodi viro, aut unum aliquem ex fratribusmittas, qui ipsum circa jejunia assumat: aut mihi scribas, si neminem habes qui ad nos usque itineris laborem perferre possit.

EPISTOLA LXXXII [1].

ATHANASIO EPISCOPO ALEXANDRIÆ.

Confugit ad Athanasium in summis Ecclesiæ malis, et rogat ut communem epistolam scribat pluribus episcopis ejus communionem appetentibus, sed initium ab eo fieri volentibus : aut si suspecti sint episcopi, eam ad se mittat : non prius se illam traditurum, quam responsa ab episcopis acceperit.

Cum quidem ad res ipsas respicimus, intuemurque difficultates, quibus boni quælibet effectio quodam quasi vinculo impedita detinetur, tum vero in summam de nobis ipsis desperationem venimus. Sed cum rursus in tuam gravitatem conjicimus oculos, cogitamusque te medicum morborum, quibus Ecclesiæ laborant, a Domino nostro reservatum ; animos resumimus, et ex desperatione, in quam lapsi fueramus, ad spem erigimur meliorem. Dissoluta est Ecclesia omnis, quemadmodum neque prudentia tua ignorat. Ac vides prorsus ex mentis contemplatione, velut ex alta quadam specula, quæ ubique gerantur : quomodo velut in pelago, multis simul navigantibus, fluctus violentia omnes simul inter se collidantur ; fiatque naufragium, partim ob externam causam mare violenter exagitantem, partim ob navigantium sibi mutuo obstantium ac se impellentium perturbationem. Satis est in hac similitudine sermonem concludere, cum nec sapientia tua quidquam amplius requirat, nec rerum status det nobis dicendi libertatem. Ad hæc autem quis idoneus gubernator? Quis fide dignus, qui Dominum excitet, ut increpet ventos et mare?

[1] Alias II. Scripta anno 371 exeunte, aut 372 ineunte.

Quis alius quam qui a puero pro pietate in certaminibus dimicavit? Quoniam igitur vere nunc propendet quidquid inter nos circa fidem sanum est, ad eorum, qui idem sentiunt, communionem atque unitatem; fidenter patientiam tuam rogatum venimus, ut nobis omnibus scribas epistolam unam, quæ quid agendum sit admoneat. Sic enim volunt a te initium sibi fieri colloquiorum ad communionem pertinentium. Sed quia fortasse suspecti videntur tibi ob memoriam præteritorum, hoc velim, facias, pater religiosissime, epistolas ad episcopos mihi mitte, aut per aliquem eorum quibus istic fidem habes, aut etiam per fratrem Dorotheum condiaconum nostrum, quas cum accepero non prius dabo, quam ab eis responsa accepero; sin minus, peccator ero in te omnibus diebus vitæ meæ[1]. Hoc profecto majorem metum incutere non debuit ei, qui id primus dixit ad patrem, quam nunc mihi ad te patrem spiritualem dicenti. Quod si hoc omnino apud te desperatum est, saltem nos in hoc ministerio crimine libera, qui sine dolo et artificio, pacis studio et mutuæ inter nos, qui de Domino idem sentimus, conjunctionis, ad hoc legati et interpretis munus accessimus.

EPISTOLA LXXXIII [2].

CENSITORI.

Censitorem hortatur Basilius, ut miseræ Cappadociæ calamitates sublevet, eique commendat unius ex amicis suis possessionem quamdam, quæ circa Chamanenem sita erat, et tributis premebatur.

Mihi quidem consuetudo cum tua nobilitate et coram

[1] Gen. XLIII, 10. — [2] Alias CCCCXVII. Scripta anno 372.

congressus brevis admodum extitit: sed accepta ex auditu cognitio, qua multis viris insignibus conjungimur, nec exigua, nec contemnenda. An vero et apud te ex fama in aliquo numero simus, ipse melius noveris? Tua quidem existimatio talis apud nos est, qualem diximus. Quoniam autem vocavit te Deus ad munus humanitati demonstrandæ idoneum, per quod potes patriam nostram omnino solo æquatam instaurare: decere me arbitror tuam bonitatem admonere, ut spe divinæ remunerationis talem te exhibere velis, ut immortalem memoriam consequaris, et requiei æternæ hæres evadas ob allevatas calamitosis ærumnas. Cum autem et mihi quædam sit circa Chamanenem possessio, eam æque ac tuam tuearis rogo. Nec mireris, si mea dicam, quæ sunt amicorum: nam cum reliquis virtutibus et amicitiam didici, ac memini illius qui sapienter dixit: « Amicum esse alterum seipsum. » Hanc igitur possessionem, quæ ad illum pertinet, velut meam tuæ dignitati commendo; ac rogo, ut considerans domus molestias, des illis et præteritorum temporum consolationem et in futurum optabilem eis habitationem istam reddas, quæ ob tributorum ei impositorum multitudinem fugienda est et desperata. Sed et ipse operam dabo, ut cum tua urbanitate conveniens de singulis plenius disseram.

EPISTOLA LXXXIV [1].

PRÆSIDI.

Præsidem Cappadociæ, quem Eliam esse credimus, perhonorifice salutat Basilius; ejusque factum reprehendit, quod dum senis cujusdam nepotem annos quatuor natum curiæ addicit, ipsum senem in nepote rursus ad munera publica protraxerit. Pluribus probat mutandum esse quod decretum inique fuerat.

I. Fere incredibile est quod scripturus sum : scribetur tamen veritatis causa. Etsi cupiditate omni tenebar, quam possem sæpissime cum tua probitate colloquendi ; postquam tamen hanc litterarum occasionem nactus sum, non accurri ad lucrum, sed hæsitavi ac me retraxi. Illud itaque ea in re mirabile est, quod quæ contingere cupiebam, ea ubi contigere, non sum amplexus. Hoc autem fuit causæ, quod puderet me videri non puræ amicitiæ causa, sed aliquid utilitatis aucupantem subinde scribere. Sed illud mihi in mentem venit (quod et tu considerans velim existimes me non quæstus magis quam amicitiæ causa in colloquium venire) aliter præsides alloqui decere ac privatos. Non enim nobis eodem modo adeundus est medicus ac plebeius; neque etiam præsens eodem modo ac privatus : sed danda est opera, ut hujus arte, illius auctoritate ad nostros usus perfruamur. Quemadmodum enim ad solem ambulantes, velint nolint, umbra omnino sequitur : ita et cum magistratibus colloquia quæstus quidam comitatur, levamen afflictorum. Primam igitur epistolæ causam adimpleat ipsa

[1] Alias CCCLXXXIX. Scripta anno 372.

magnanimitatis tuæ salutatio; quod ipsum, etiamsi nullum aliud scribendi argumentum suppeteret, causam æquam esse putandum est. Saluteris igitur a nobis, vir optime, ac omni hominum generi custodiaris, præfecturas ex præfecturis gerens, et alios atque alios tua administratione adjuvans. Id enim et mihi facere mos est, et tibi debetur ab iis, qui vel tantillum tuam in administranda provincia virtutem experti sunt.

II. Post votum illud, meam quoque pro misero sene precationem excipe, quem diploma regium muneribus publicis exemit; vel potius cui et ipsa ante regem senectus immunitatem necessariam dederat. Confirmasti et ipse beneficium regis, naturam reveritus, et publicis rebus providens, ut mihi videtur, ne quod periculum, homine propter ætatem desipiente, in rem publicam invehetur. Quomodo autem illum, vir admirande, alia rursus via imprudens in media negotia protraxisti? Quod enim illius nepotem nondum annos quatuor natum curiæ addixisti, quid aliud est quam senem in nepote rursus de integro ad publica munera pertrahere? Nunc autem rogo ætatis utriusque miserearis, et utrumque liberes ob ea, quæ insunt utrique miseratione digna. Alter quidem parentes non vidit, nec cognovit, sed per alienas manus in hanc vitam ingressus est, statim a cunabulis parente utroque orbatus: alter vero tandiu in vita reservatus est, ut nullum calamitatis genus effugeret. Vidit enim filii mortem immaturam: vidit et domum successoribus destitutam: videbit autem nunc, nisi quid tua humanitate dignum cogites, solamen orbitatis, in occasionem sibi innumerabilium malorum converti. Non enim puerulus in curalium album ascribetur, aut tributa colliget, aut militibus annonam suppeditabit: sed rursus necesse miseri senis canitiem dedecorari. Concede igitur gratiam et legibus consentaneam, et naturæ

congruentem : jubens ut alteri quidem usque ad virilem ætatem concedatur, alter autem in lecto mortem expectet. Continua autem negotia et ineluctabilem necessitatem alii excusent. Neque enim tui moris est aut calamitosos spernere, aut leges parvi facere, aut amicis non cedere supplicantibus, etiamsi te ab hominibus circumsteterint negotia.

EPISTOLA LXXXV [1].

DE CAVENDO JUREJURANDO.

Quod sæpe et in conventibus et in privatis colloquiis rogaverat Basilius, ut rustici ob vectigalia jurare non cogerentur, idem nunc per litteras obtestatur.

Non desinimus in omni conventu contestari, et privatis in colloquiis idem inculcare, ut rustici ob publica vectigalia ad jusjurandum ab exactoribus non adigantur. Reliquum erat, ut etiam per litteras de iisdem coram Deo et hominibus contestaremur, consentaneum esse, ut mortem hominum animabus inferre desinatis, et aliquos alios exigendi modos excogitetis, ac per vos hominibus liceat animas a vulnere integras habere. Ad te hæc scribimus non quod indigeas, ut te verbis hortemur, (habes enim domestica Domini metuendi incitamenta) sed ut per te discant omnes, qui ex te pendent, Sanctum ad iracundiam non provocare, et rem vetitam mala consuetudine indifferentem non facere. Neque enim eis ullo pacto ad exactiones prosunt juramenta : et malum certissimum in animo suscipiunt. Ubi enim homines in perjuriis exercitati fuerint,

[1] Alias cccv. Scripta anno 372.

non amplius solvere properant, sed fraudis instrumentum ac dilationis ansam sibi inventum esse jusjurandum existimant. Sive igitur Dominus celeres pœnas inferat perjuris; non habebunt qui in jus vocati respondeant, consumptis supplicio debitoribus: sive patienti animo eos toleret Dominus; quoniam, ut prius dixi, qui patientiam Domini experti sunt, ipsius contemnunt bonitatem; ne frustra legem violent, neque in seipsos Dei iram accendant. Dixi quæ debui, videbunt immorigeri.

EPISTOLA LXXXVI [1].

PRÆPOSITO.

Petit Basilius ut per quos direptum Dorothei presbyteri frumentum, per eosdem restituatur.

Scio maximum et primum præstantiæ tuæ studium esse, ut omni ratione juri faveas. Alterum, ut et amicis benefacias, et eos qui ad tuæ magnanimitatis patrocinium confugiunt, tueare. Concurrunt itaque omnia in causa præsenti. Nam et justa res est, pro qua deprecamur; et nobis pergrata, quos inter tuos amicos numerare dignatus es; et eis debita, qui constantiæ tuæ auxilium ad injurias quas acceperunt propulsandas implorant. Frumentum enim quod duntaxat ad necessarium vitæ usum optatissimus frater Dorotheus habebat, quidam ex iis, quibus rerum publicarum administratio concredita est, in Berisis diripuerunt, sive sua sponte ad hanc violentiam, sive ab aliis inducti. Verum nulla ex parte res culpa caret. Quid enim minus lædit, quam qui ex se malus est, qui aliorum minis-

[1] Alias CLXXIX. Scripta anno 372.

trat improbitati? siquidem idem damnum his qui injuria afficiuntur. Petimus igitur, ut per quos hic spoliatus est, ab his frumentum ablatum recipiat, nec eis liceat facinoris culpam in alios rejicere. Quanti autem momenti est rei frumentariæ penuriam effugere, tanti faciemus tuæ magnanimitatis beneficentiam, si eam conferre dignatus fueris.

EPISTOLA LXXXVII [1].

Sine inscriptione de iisdem rebus.

Eadem de se scribit Basilius ad præsidem, quem Eliam esse credimus.

Miratus sum quomodo te sequestro tantum nefas perpetratum sit in compresbyterum; adeo ut quod unicum habebat sustentandæ vitæ præsidium, id ei ereptum sit. Quod autem gravissimum est, illud est, quod qui hoc ausi sunt, facinoris culpam in te transferunt : quem par erat non modo non permittere, sed etiam totis viribus impedire quominus hæc committantur, maxime quidem in quosvis homines; sin minus, saltem contra presbyteros, eosque quotquot idem ac nos sentiunt, ac eamdem pietatis viam ineunt. Itaque si qua tibi cura est ut me recrees, fac cito quæ acta sunt corrigantur. Potes enim, Dei dono, et hæc et his adhuc majora perficere, quibus consultum volueris. Scripsi autem et ad patriæ præpositum : ut si sua sponte æqua facere noluerint, judiciorum auctoritate facere cogantur.

[1] Alias cccxc. Scripta anno 372.


EPISTOLA LXXXVIII [1].

Sine inscriptione, causa exactoris pecuniarum.

Hortatus fuerat Basilius civitatem ad symbolam auri comparatitii, sed cum magistratus plerique essent in agris, postulat a præside, ut vel de auri summa aliquid interim remittat, vel tempus præstitutum proroget.

Quam difficile sit aurum comparatitium cogere, omnium maxime præstantia tua novit : neque ullum paupertatis nostræ testem tam locupletem habemus, quam temetipsum, qui summa humanitate et nostri misertus es, et hactenus, quantum in te fuit, indulgenter nobiscum egisti, nusquam a leni illo morum tuorum statu discedens ob metum eorum, quæ a sublimioribus potestatibus imminebant. Quoniam igitur reliquum est nobis de tota summa paululum auri, ac illud ex symbola, ad quam civitatem universam hortati sumus, necesse est colligi, clementiam tuam rogamus, nobis præstitutum tempus paulisper proroges, ut et qui ab urbe absunt, admoneantur. In agris enim sunt plerique magistratuum, ut ne ipse quidem ignoras. Quod si ita mitti potest, ut tot libræ desint, tantumdem enim nobis reliquum est, hoc ut fiat, te rogo, et reliquum postea mittetur : sin autem omnino necesse est illud simul transmitti in thesauros; id quod ab initio efflagitavi, ut tempus indictum nobis producas.

[1] Alias CCXLIII. Scripta anno 372.



EPISTOLA LXXXIX [1].

MELETIO EPISCOPO ANTIOCHIÆ.

Litteris solatur Basilius desiderium videndi Meletii, eumque per Dorotheum obtestatur ut pro se oret, et si ad Occidentales scribendum sit, litteras dictet : se enim jam scripsisse per Sabinum, sed tanquam a synodo mittendum qui litteras perferat. Negat se apud Athanasium quidquam promovere posse, nisi a Meletio ejusque sociis initium fiat communionis Athanasio offerendæ.

I. Bonus Deus occasiones nobis salutandæ dignitatis tuæ præbens, vehementiam desiderii demulcet. Nam testis ipse est desiderii nostri, quo flagramus, vultus tui videndi, ac bona tua et utili animabus doctrina perfruendi. Nunc autem per religiosissimum ac optimum fratrem Dorotheum condiaconum advenientem obtestor te, imprimis ut depreceris pro nobis, ne populo simus offendiculo, neque precibus vestris impedimento, quominus Dominum placetis. Deinde suggerimus etiam, ut omnia per prædictum fratrem digneris ordinare : ac si ad Occidentales scribendum est, propterea quod litteræ sunt necessario etiam ab uno e nostris perferendæ, has ipsas litteras dictes. Nos enim nacti diaconum Sabinum ab illis missum; scripsimus ad Illyricos, et ad Italiæ et Galliæ episcopos, et quosdam alios, qui privatim ad nos litteras dederant. Consentaneum autem, ut tanquam a communi synodi mittatur aliquis, qui litteras secundas deferat, quas ipse jubeto exarari.

[1] Alias CCLXXIII. Scripta anno 372.

II. Quod jam ad reverendissimum episcopum Athanasium attinet, probe scientem eximiam tuam prudentiam monebo, fieri non posse, ut meis litteris aliquid promoveatur, aut quidquam eorum quæ oportet perficiatur, nisi et a vobis, qui tunc ipsius communionem procrastinastis, hanc ipsam aliquo pacto accipiat. Aiunt enim ipsum omnino propendere ut nobiscum conjungatur, et quidquid poterit, collaturum; sed dolere, quod et tunc dimissus sit sine communione, et etiamnum promissa maneant irrita. Res autem Orientalium quomodo se habeant nequaquam profecto latet aures pietatis tuæ: ac per se ipse accuratius omnia prædictus frater enarrabit. Quem quidem dignare statim post Pascha dimittere, quia responsa Samosatis expectat: ejusque et propensam voluntatem approba, et precibus tuis corroboratum, ad res propositas agendas dimitte.

EPISTOLA XC [1].

Sanctissimis fratribus ac episcopis occidentalibus.

Declarat Basilius quantum lætitiæ perceperit ex litteris Occidentalium, et ex adventu Sabini, a quo edoctos Occidentales de rebus Orientis tandem auxilio venturos sperat. Quod quidem ut impetret, orientalis Ecclesiæ calamitates describit. His, quæ canonice in Occidente gesta sunt, assentiri se profitetur.

I. Bonus Deus, qui semper afflictionibus consolationes admiscet, nobis etiam nunc largitus est inter multos dolores, ut modicum aliquod solatium nancisceremur ex lit-

[1] Alias LXI. Scripta anno 372.

teris, quas a vestra integritate reverendissimus pater noster Athanasius acceptas ad nos transmisit, fidei rectæ testimonium et inviolabilis vestræ concordiæ atque conspirationis argumentum habentes, ita ut et pastores Patrum vestigia sequentes, et Domini populum cum scientia pascentes exhibeant. Hæc omnia adeo nos exhilararunt, ut mœrorem nostrum solverent, et exiguum quemdam risum animis nostris concitarent ex tristi hoc rerum statu, in quo nunc versamur. Auxit autem nobis solamen Dominus per religiosissimum filium et condiaconum Sabinum, qui et ea, quæ apud vos præclare geruntur, enarrans accurate, aluit animas nostras; et de rebus nostris experientia edoctus, perspicue vobis enuntiabit : ut primum quidem constanti et vehementi ad Dominum prece nobiscum decertetis; deinde vero ut et pro viribus solatium Ecclesiis afflictatis afferre ne recusetis. Nam hic omnia fatiscunt, fratres reverendissimi; et deficit ad continuos adversariorum assultus Ecclesia, non secus ac navigium quoddam in medio mari fluctuum impulsibus sibi invicem succedentibus agitatum; nisi Dei nos bonitas cito visitet. Quemadmodum igitur proprium ipsorum bonum ducimus, vestram inter vos concordiam et unitatem; ita et rogamus, ut nostrarum vos dissensionum misereat; nec quia locorum situ dissiti sumus, nos a vobis sejungatis, sed quia spiritus communione conjungimur, nos in unius corporis concentum admittatis.

II. Notæ autem calamitates nostræ, vel nobis tacentibus : siquidem per totum terrarum orbem jam personuerunt. Contemnuntur Patrum dogmata : nullo numero habentur apostolicæ traditiones : novatorum inventa regnant in Ecclesiis : de cætero homines verborum artifices sunt, non theologi : primas tenet mundi sapientia, expulsa crucis gloriatione. Abactis pastoribus, introducuntur lupi graves,

qui Christi gregem discerpunt. Desertæ domus orationis, nec quisquam in eis congregatur : solitudines lamentantibus refertæ. Seniores lugent, dum antiqua comparant cum præsentibus, juniores miserabiliores sunt, qualibus privati sint, ignorantes. Atque hæc quidem apta ad eorum commiserationem commovendam, qui Christi dilectionem edocti sunt; sed comparatus cum rerum veritate sermo longe ab ipsarum magnitudine abest. Si quod igitur solatium dilectionis, si qua communicatio spiritus, si qua commiserationis viscera, ad ferendas nobis suppetias concitemini. Arripite studium pietatis : nos ex hac tempestate eripite. Proferatur et apud nos libere bona illa Patrum promulgatio, infamem Arii hæresim evertens, Ecclesias vero in sana doctrina ædificans, in qua Filium Patri consubstantialem confitemur, atque Spiritus sanctus pari honore simul et numeratur, et adoratur; ut quam vobis Dominus dedit pro veritate libertatem, et in divinæ salutarisque Trinitatis confessione gloriationem, hanc et nobis per vestras preces opemque vestram largiatur. Cæterum ille ipse, quem jam dixi, diaconus singula dilectioni vestræ nuntiabit. Omnibus autem, quæ canonice a vestra præstantia acta sunt, assensi sumus, apostolicum vestrum rectæ doctrinæ studium laudantes.

EPISTOLA XCI [1].

VALERIANO ILLYRICORUM EPISCOPO.

Valeriani litteris respondet, eumque per Sabinum salutat, et obtestatur ut oret pro miseris Ecclesiæ orientalis rebus; quibus sanandis necessarium esse decet Occidentis auxilium.

Grates Domino largienti nobis, ut dilectionis veteris fructum in tua puritate videamus : qui scilicet adeo corpore sejunctus, nobis te per epistolam conjunxisti, nosque spirituali tuo et sancto desiderio complexus, non enarrabilem quemdam amorem animis nostris indidisti. Nam reipsa vim didicimus proverbii illius : « Ut animæ sitienti » aqua frigida, ita nuntius bonus de terra longinqua [2]. » Magna enim est apud nos fames charitatis, frater colendissime. Causa autem manifesta : nimirum eo quod multiplicata sit iniquitas, multorum refrixit charitas. Eam ob causam et litteras tuas plurimi fecimus, et vices rependimus tibi per eumdem virum religiosissimum condiaconum nostrum et fratrem Sabinum : per quem et tibi nosmet notos facimus, et te obsecramus, ut in precibus pro nobis invigiles, ut tandem aliquando rebus nostris Deus sanctus tranquillitatem ac quietem impertiat, et ventum hunc ac mare increpet; ita ut liberemur ex illo æstu et perturbatione in qua nunc constituti sumus, summam semper submersionem expectantes. Sed id nobis magnifice Deus in præsenti indulsit, ut vos audiremus summo consensu et unitate inter vos esse conjunctos, ac veritatis doctrinam

[1] Alias cccxxiv. Scripta anno 372. — [2] Prov. xxv, 25.

sine impedimento apud vos annuntiari : siquidem aliquando (si modo non jam conclusum est hujus mundi tempus, sed adhuc vitæ humanæ dies supersunt) necesse est, ut fidem renovetis Orienti, et bonorum, quæ ab eo accepistis, remunerationem eidem in tempore persolvatis. Nam sana apud nos pars, quæque majorum pietatem tuetur, non parum fatiscit; diabolo multis ac variis artificiorum assultibus pro sua ipsius astutia eam concutiente. Utinam autem vestris precibus, qui Dominum diligitis, extinguatur prava illa et populorum deceptrix erroris Ariani hæresis; relucceat autem bona Patrum nostrorum doctrina, qui Nicæam convenerunt, adeo ut consentanea salutari baptismati glorificatio adimpleatur beatæ Trinitati.

FINIS TOMI QUADRAGESIMI QUINTI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 41.

Si servus herum improbum fugiens, et contraria divinæ legi imperantem, ad monasterium confugiat, dandam esse ait operam, ut ne nomen Dei blasphemetur διὰ τὸν δοῦλον ἐκεῖνον ποιήσαντά τι, ὃ μὴ ἀρέσκει Θεῷ, propter servum illum, si quid fecerit non acceptum Deo, manere scilicet apud herum coactus et a monasterio repulsus.

Annot. (2), pag. 401.

Videtur mihi Basilius sic loquendo nihil boni ab his duobus episcopis expectasse. Non enim honorifica est hæc loquendi ratio. Similiter de Nestorio S. Cyrillus: οὗτος ὅστις δοκεῖ κατέχειν τὴν ἐκκλησίαν Κωνσταντινουπόλεως, « Iste qui videtur Constantinopolitanam obtinere Ecclesiam, » Epist. ad Joan. Antioch. concil. Ephes. Non falsas fuisse S. Basilii de utroque illo episcopo suspiciones comprobavit eventus. Ac Neocæsariensis quidem, qualis vir extiterit, perspici potest ex his quæ narrantur in vita S. Basilii. Ancyranus videtur insignis hæreticus fuisse. Galatiam non recenset Basilius inter provincias suæ communionis in epist. CCIV, n. 7. A Galatis orta sunt quæcumque nefarie anno 375 et 376, sub vicario Demosthene gesta sunt, ut patet ex epistolis CXXXVII et CCXXXIX, vixque dubium quin magnam partem earum rerum sustinuerit Ancyranus episcopus, ac nume-

rari debeat inter illos Arianos, qui suam communionem Ancyræ in domibus privatis Eustathio concesserunt, ac perhonorifice ab eo e Galatia accersiti multa mala toti regioni dediderunt.

Annot. (3), pag. 485.

Hujus loci videtur ea esse sententia : « Si Marcellus damnetur, nullam occasionem relictum iri his qui occasionem quærunt ; quippe cum futurum sit, ut sani omnes, hoc scrupulo evulso, libenter se cum Athanasio conjungant : qui autem claudicant in fide, nudent se et malam mentem aperiant, si post damnatum Marcellum recusent conjunctionem, cujus hactenus recusandæ ansam ex Marcello arripuerant. »

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
S. Basilii regulæ fusius tractatæ, pag. 3.	Earumdem fragmenta, tom. VII, pag. 430-432.
Epistola II. Gregorio, pag. 337.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 440-448.
Epistola V. Nectario, pag. 347.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 475-478.
Epistola VI. Nectarii conjugi, pag. 349.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 478-481.
Epistola VII. Cæsariensibus, pag. 353.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 450-454.
Epistola XXVI. Cæsario, pag. 393.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 448-450.
Epistola XXVIII. Ecclesiæ Neocæsariensi, pag. 395.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 455-456.
Epistola XLII. Chiloni discipulo suo, pag. 425.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 436-437.
Epistola XLIV. Monacho lapso, pag. 433.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 457.
Epistola XLVI. Ad virginem lapsam, pag. 440.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 457-460.
Epistola LV. Paregorio presbytero, pag. 463.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 460-461.
Epistola LXX. Ad Damasum papam, pag. 486.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 467-468.
Epistola LXXIV. Martiniano, pag. 493.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 461-466.

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI QUINTI.

REGULÆ FUSIUS TRACTATÆ.

PROOEMIUM. Pag. 3
INTERROGATIO I. De ordine et serie mandatorum Domini. 11
— II. De charitate adversus Deum, et quod propensio et vis secundum naturam insint hominibus ad exequenda Domini præcepta. 12
— III. De charitate erga proximos. 19
— IV. De timore Dei. 21
— V. De continua mentis attentione. ibid
— VI. Quod necesse sit in secessu vitam degere. 25
— VII. Quod vita agenda sit cum iis. qui eodem animo impulsi Deo placere sibi proponunt : et quod difficile simulque periculosum fuerit solitarium vivere. 27
— VIII. De renuntiatione. 32
— IX. Quod non oporteat quemquam suis consanguineis suas facultates relinquere. 37
— X. Quinam ex iis, qui ad vitam secundum Deum agendam accedunt, sint admittendi, et quando, aut quomodo. 39
— XI. De servis. 41
— XII. Quomodo oporteat conjugatos admittere. 42
— XIII. Quod etiam utilis est iis, qui introducuntur, silentii exercitatio. 43
— XIV. De iis, qui seipsos Deo voverunt, et deinde professionem suam irritam facere conantur. 44
— XV. De pueris suscipiendis et instituendis : item de virginum professione. 45
— XVI. De continentia. 49
— XVII. Quod oportet etiam a risu abstinere. 51
— XVIII. Quod omnia, quæ nobis apponuntur, sunt degustanda. 54

Interrogatio XIX. Qui modus sit in continentia servandus. Pag. 55
— XX. Quis sit modus excipiendi ad cibum sumendum. 57
— XXI. Quomodo oporteat se gerere inter sedendum et accumbendum in tempore prandiorum aut cœnarum. 61
— XXII. Quodnam vestimentum conveniat Christiano. 62
— XXIII. De zona. 65
— XXIV. De modo, quo vivere debeant inter se. 67
— XXV. Quod præfectus, qui peccantes non arguit, horrendum subiturus est judicium. 68
— XXVI. Quod omnia, etiam cordis arcana, sint præposito detegenda. 70
— XXVII. Quod ipse quoque præfectus, si quando aberret, ab iis, qui inter fratres primas obtinent, sit admonendus. 71
— XXVIII. Quomodo oporteat affici omnes erga immorigerum, et inobsequentem. 72
— XXIX. De eo, qui cum elatione animi, aut murmuratione laborat. 74
— XXX. Cujusmodi affectu debeat præpositus curam fratrum suscipere. 75
— XXXI. Quod accipiendum est ministerium a præposito impositum. 76
— XXXII. Quomodo oporteat affici erga eos qui nobis sanguine conjunguntur. 77
— XXXIII. Quis sit modus colloquendi cum sororibus. 79
— XXXIV. Quales illos esse par sit, qui inter fratres res necessarias dispensant. 81
— XXXV. Num in eodem pago constituendi sint plures fratrum conventus. 83
— XXXVI. De iis, qui a fratrum cœtu secedunt. 87
— XXXVII. Si precum et psalmodiæ obtentu et nomine negligenda sint opera : item quæ tempora precationi sint apta, et primo an operandum sit. 88
— XXXVIII. Cujusmodi artes professioni nostræ congruant. 93
— XXXIX. Quæ ratio tenenda sit in operibus divendendis, quæve in peregrinando. 94
— XL. De negotiationibus quæ fieri solent in celebrationibus. 95

INTERROGATIO XLI. De imperio et de obedientia. Pag. 96
— XLII. Quo animo, et quo affectu operari debeant qui operantur. 99
— XLIII. Quales conveniat esse præfectos, et quomodo conventum gubernare debeant. 101
— XLIV. Quibus permittendæ sint peregrinationes, et quomodo ipsi, posteaquam reversi sunt, interrogandi sint et examinandi. 103
— XLV. Quod post præfectum etiam aliquis alius constituendus est, qui, eo absente aut occupato, fratrum curam possit suscipere. 105
— XLVI. Quod quisquam neque fratris peccatum, neque suum ipsius celare debeat. 107
— XLVII. De iis, qui non comprobant quæ a præposito assignata sunt. 108
— XLVIII. Quod curiose inquirendum non est in præfecti administrationem ac gubernationem : sed oportet suo quemque operi attendere. 109
— XLIX. De controversiis, quæ interdum oriuntur inter fratres. 110
— L. Quænam debeat esse præpositi objurgatio. 111
— LI. Quomodo corrigendum sit delinquentis peccatum. 112
— LII. Quo animo pœnæ, quæ imponuntur, sint perferendæ. ibid
— LIII. Quomodo artium magistri correcturi sint delinquentes pueros. 113
— LIV. Quod conventui præfecti negotia ad se spectantia debeant aliis communicare. 114
— LV. An sit consentaneum pietatis proposito, medecina uti. ibid

REGULÆ BREVIUS TRACTATÆ.

PROOEMIUM. 121

INTERROGATIO I. An liceat aut expediat cuipiam, ut sibi permittat aut facere aut dicere quæ bona putat, citra testimonium divinarum Scripturarum. 122
— II. Qualem professionem a se mutuo exigere debent, qui simul secundum Deum vivere volunt. 124

INTERROGATIO III. Quomodo convertemus peccantem, aut quomodo erga eum, qui se non convertit, affici debemus. 124
— IV. Si quis etiam ob levia peccata urgeat fratres, dicens pœnitentiam ab ipsis esse agendam : numquid et ipse immisericors est, et charitatem dissolvit. 125
— V. Quæ cuique pro quoque peccato agenda pœnitentia sit. 126
— VI. Qui verbis confitetur se pœnitere, peccatum vero non corrigit, cujusmodi est. ibid
— VII. Quodnam sit judicium adversus eos, qui defendunt peccantes. 127
— VIII. Quem vere pœnitet, quomodo is recipiendus est. 128
— IX. Quomodo erga eum, qui citra pœnitentiam peccat, afficiamur. ibid
— X. Quanto cum tremore, quantisque cum lacrymis recedere debet a peccatis anima, quæ misere volutata est in multis peccatis. 129
— XI. Quomodo oderit quis peccata. 130
— XII. Quomodo persuasum esse potest animæ Deum sibi peccata dimisisse. ibid
— XIII. An qui post baptisma peccavit, debeat de salute sua desperare, maxime si in multis peccatis deprehensus fuerit : vel usque ad quam mensuram peccatorum sperandum sit in Dei bonitate per pœnitentiam. 131
— XIV. Ex quibus fructibus probari debet vera pœnitentia. 132
— XV. Quid significet hoc, *Quoties peccaverit in me frater meus, et dimittam ei?* ibid
— XVI. Cur aliquando anima etiam citra conatum compungitur, dolore fere naturaliter in se incidente : aliquando vero ita doloris expers est, ut etiam quovis conatu adhibito, compungi non possit. 133
— XVII. Si quis comedere in animo habuerit, deinde condemnaverit seipsum, an id sibi tanquam anxie sollicito vertendum sit vitio. 134
— XVIII. An par fuerit ei, qui in fratrum conventu aliquando deliquit, munus aliquod demandare post

multam exercitationem, et si par sit, quale tandem illud esse debet. 135

INTERROGATIO XIX. Si quis venit in suspicionem peccati, nec tamen aperte illud committat : numquid debeat is observari, ut deprehendatur quod suspectum est. ibid

— XX. An ille, qui in peccatis versatus fuerit, refugere debeat hæreticorum societatem, aut etiam prave viventium consuetudinem declinare. 136

— XXI. Unde mentis aberratio, et variæ cogitationes, et quomodo ipsas corrigamus. 137

— XXII. Unde nascuntur inhonesta illa visa noctu contingentia. 138

— XXIII. Per qualia verba otiosus sermo judicatur. ibid

— XXIV. Quid est convitium. 139

— XXV. Quid est obtrectatio. ibid

— XXVI. Qui detrahit fratri, vel audit detrahentem, et tolerat, qua dignus est pœna. 140

— XXVII. Si quis detrahat præfecto, quomodo ipsi attendemus. ibid

— XXVIII. De eo, qui voce audaciore, et verbis petulantibus respondet. 141

— XXIX. Quomodo quis possit non irasci. ibid

— XXX. Quomodo excindamus vitium concupiscentiæ malæ. 142

— XXXI. An ridere prorsus non liceat. 143

— XXXII. Intempestivus et immodicus sopor unde nascatur, et quomodo ipsum propulsemus. ibid

— XXXIII. Qua ratione deprehendatur quis studio placendi hominibus obnoxius esse. 144

— XXXIV. Quomodo effugiat quis vitium complacendi hominibus. ibid

— XXXV. Quo pacto agnoscatur superbus, et quomodo curetur. 145

— XXXVI. Numquid honos quærendus sit. ibid

— XXXVII. Quomodo qui piger est ad mandatum conficiendum, diligentiam studiumque possit recuperare. 146

— XXXVIII. Si præcipiatur aliquid fratri, et contradicat, postea vero a seipso abeat. ibid

— XXXIX. Si quis obediens murmuret. 147

— XL. Si quis frater fratri molestiam conficiat, quomodo emendandus sit. ibid

Interrogatio XLI. Si nolit se purgare. 148
— XLII. Quæ ratio tenenda sit, si is, qui offendit, purget se, is vero, qui offensus est, nolit cum eo in gratiam redire. 149
— XLIII. Quomodo quis auscultare debeat expergefacienti ad precandum. ibid
— XLIV. Si is, qui expergefactus fuit ad precandum, fiat mœstus, aut etiam irascatur, qua mulcta dignus est. 150
— XLV. De eo, qui negligit internosse Dei placita, ne gravius plectatur, tanquam qui cognoverit, nec tamen fecerit. ibid
— XLVI. An qui alium patitur peccare, reus sit peccati. 151
— XLVII. Si erga eos, qui peccant, silendum sit. 152
— XLVIII. Quo termino judicetur avaritia. 154
— XLIX. Quid est perperam agere. ibid
— L. Si quis, vestimentis pretiosioribus depositis, aliud vile, sive pallium, sive calceamentum, certo quodam modo velit, ut sibi conveniat, num peccat, aut quali morbo laboret. 155
— LI. Quid sonat *Raca*. ibid
— LII. Quis sit inanis gloriæ cupidus, quisve placere hominibus studeat. 156
— LIII. Quodnam sit inquinamentum carnis, et quod inquinamentum spiritus, et quomodo ab ipsis purgabimus nosmetipsos. Aut quæ est sanctimonia, et quomodo eam adipiscamur. ibid
— LIV. Quid est amor sui: item quomodo qui sui ipsius amore corripitur, cognoscet semetipsum. 157
— LV. Quodnam est discrimen inter amaritudinem, indignationem, iram et irritationem. 158
— LVI. Quis est qui alta sapit, et quis arrogans, et quis superbus: item quis fastosus, et quis inflatus. ibid
— LVII. Si quis vitio cuipiam inemendabili sit obnoxius; et frequentius reprehensus læditur, an profuerit magis hoc ipsi permittere. 159
— LVIII. An solum judicetur is, qui de industria mentitus est: aut etiam is, qui nesciens aliquid absolute contra veritatem locutus fuerit. 160

Interrogatio LIX. Si quis cogitaverit duntaxat aliquid facere, nec tamen fecerit; an is quoque velut mendax judicetur. 160
— LX. De eo, qui proterve decrevit facere aliquid eorum quæ displicent Deo. 161
— LXI. Si quis neque operari potest, neque Psalmos discere velit. 162
— LXII. Quid fecerit quis, ut condemnetur tanquam qui talentum occultavit. ibid
— LXIII. Quid fecerit quis, ut condemnetur tanquam illi qui murmuraverunt contra postremos. 163
— LXIV: Quid est offendiculo esse, et qua id ratione cavebimus. ibid
— LXV. Quomodo quis veritatem detinet in injustitia. 166
— LXVI. Quid est altercatio, et quid contentio. 167
— LXVII. Quid est immunditia, et quid impuritas. ibid
— LXVIII. Quid est proprium iræ, et quid proprium aquæ indignationis. 168
— LXIX. De eo, qui licet non minus edat quam cæteri, neque sit fracto et invalido corpore, conqueritur tamen, tanquam qui non queat operari. 169
— LXX. Quomodo puniendus sit, qui vestibus aut calceamentis abutitur. ibid
— LXXI. Non desunt qui ciborum suavitatem expetant, magis quam copiam, alii vero satietatis ergo copiam anteponunt suavitati : quî igitur utrique tractandi sint. 170
— LXXII. De eo, qui in cibis sumendis immodeste inter fratres recumbit, aut voracius sese ingurgitat. ibid
— LXXIII. De eo, qui non fraternæ emendationis desiderio redarguit delinquentem, sed ex libidine seipsum ulciscendi. 171
— LXXIV. De iis, qui recedunt a fratrum conventu, præferuntque vitam solitariam. ibid
— LXXV. An peccati cujusque, sive mente, sive verbo, sive opere patratum fuerit, auctorem Satanam dicere oporteat. 172
— LXXVI. An oporteat mentiri, videlicet utilis cujusdam œconomiæ causa. 173
— LXXVII. Quid est dolus, et quid morum perversitas. 174
— LXXVIII. Inventores malorum qui sint. ibid

INTERROGATIO LXXIX. Si quis assidue seipsum accuset, quod durius tractet fratrem; quomodo corrigetur. ibid
— LXXX. Unde fit, ut animus noster quasi destituatur bonis cogitationibus, sollicitudinibusque Deo placitis. 175
— LXXXI. Si pii sunt eodem modo objurgandi, atque alii quivis indifferentes. 176
— LXXXII. Si forte anus idem peccatum admiserit, quod adolescentula, num obnoxia sit mulctæ eidem. 177
— LXXXIII. Si quis multa recte gesserit, deliquerit vero in uno duntaxat, quomodo cum eo nobis agendum est. 178
— LXXXIV. De eo qui tumultuosis moribus atque turbulentis præditus est. 179
— LXXXV. Si conveniat aliquid proprium habere, in fratrum societate. ibid
— LXXXVI. Si quis dicat: « Neque accipio a fratribus, neque eis do, sed meis contentus sum: » quid erga talem observandum est. 180
— LXXXVII. Si unicuique liceat suum vetus indumentum dare, cum voluerit, ex præcepto. ibid
— LXXXVIII. Quid est sollicitudo hujus vitæ. 181
— LXXXIX. Quia scriptum est, *Pretium redemptionis animæ viri, suæ ipsius divitiæ:* quid nobis faciendum est, quibus his destituimur? ibid
— XC. Si licet nocturnum vestimentum habere, sive ex pilis confectum, sive aliud. 182
— XCI. Si frater, cui nihil proprium suppetit, rogatus fuerit ab aliquo, ut det idipsum quod gestat: quid facere debeat, maxime si nudus fuerit, qui petit. ibid
— XCII. Cum Dominus jubeat bona vendere, qua mente et quo sensu id faciendum est. 183
— XCIII. Qui semel bona sua reliquit, et proprium nihil habere professus est, quo animo uti debet rebus ad vitam necessariis, veluti vestitu ac victu. 184
— XCIV. De eo, qui dereliquit tributa, et accessit ad fratres. ibid
— XCV. An expediat iis, qui recens advenerunt, statim divinas Scripturas ediscere. 185

INTERROGATIO XCVI. An permittendum sit cuilibet volenti, ut discat litteras, aut lectioni vacet. 185

— XCVII. Si quis dicit : « Volo ad modicum tempus a vobis utilitatem capere, » num excipiendus sit. 186

— XCVIII. Quali animo præditus esse debet præfectus in iis quæ præcipit, aut constituit. 187

— XCIX. Quonam affectu oporteat increpantem increpare. ibid

— C. Qui forinsecus adveniunt, mendicantque, quomodo hos dimittemus. 188

— CI. De eo, cui credita dispensatio est, et de mendicantibus. 189

— CII. De egrediente a fratrum cœtu quacumque de causa. 190

— CIII. Cum usuveniat nonnunquam, ut et ipse senior labatur in aliquibus, an sit ipse redarguendus. 191

— CIV. Quæ ratio tenenda sit in officiis fratribus delegandis. ibid

— CV. An statim ut aliqui in fratrum conventum ingressi fuerint, debeant artes discere. 192

— CVI. Cujusmodi pœnis in fratrum societate uti oporteat. ibid

— CVII. De eo qui dicit cupere se simul cum fratribus vivere. ibid

— CVIII. An conveniat præfectum, præfecta absente, cum sorore aliqua loqui de iis, quæ pertinent ad fidei ædificationem. 193

— CIX. An conveniat præfectum cum præfecta frequenter colloqui. ibid

— CX. An ipso seniore sororis confessionem excipiente, ipsa etiam senior adesse debeat. 194

— CXI. Si senior, sorore seniore inscia, jusserit aliquid a sororibus fieri, an senior illa jure ac merito indignetur. ibid

— CXII. Si quis accedit ad vitam, quæ secundum Deum est, an conveniat talem recipi a præfecto citra consensum fratrum. ibid

— CXIII. An possit is, cui animarum cura concredita est, hoc observare : *Nisi conversi fueritis, et facti fueritis sicut parvuli.* 195

Interrogatio CXIV. Numquid cuivis et quodvis imperanti obedire conveniat. 196
— CXV. Quomodo sibi invicem obedire oporteat. 197
— CXVI. Ad quosnam terminos se debet extendere obedientia. 189
— CXVII. Qui non assentitur iis, quæ sibi quotidie injunguntur, quantum attinet ad propositum quoddam præceptum, et artem discere cupit; is quali morbo laborat, et numquid tolerari debeat. ibid
— CXVIII. Qui strenuus est in mandato conficiendo, sed facit quod sibi non præcipitur, sed quod ipsi est placitum, qualem mercedem habet. 199
— CXIX. An liceat unicuique delatum sibi munus recusare, et aliud petere. ibid
— CXX. An conveniat aliquo abire, non monito præfecto. 200
— CXXI. An licitum sit graviora opera rejicere. 201
— CXXII. Cui pœna hæc irrogata fuit, nimirum ut non accipiat benedictionem : si is dicat : « Nisi accepero benedictionem, non edo : » numquid ferendus est. 202
— CXXIII. Si quis molestia afficiatur, quod non permittatur facere id quod commode facere non potest, an tolerandus sit. ibid
— CXXIV. An ille, qui usquam in hæreticos et gentiles incidit, debeat una cum ipsis cibum capere, aut ipsos salutare. 203
— CXXV. Cui munus aliquod creditum est, et sine ulla commonitione facit aliquid præter id quod ipsi injunctum fuit, debet-ne ille munus suum retinere. 204
— CXXVI. Quomodo quis non vincatur a voluptate eduliorum. 204
— CXXVII. Dicunt quidam fieri non posse, ut homo non irascatur. 205
— CXXVIII. Cum quis vult abstinentiam supra vires exercere, ita ut etiam in mandato quod sibi proponitur, conficiendo impediatur, num id ei permittendum est. ibid
— CXXIX. De eo, qui multum jejunat, et in edendo non potest cibum tolerare. 206
— CXXX. Quomodo jejunandum sit, ubi jejunio opus fuerit. ibid

Interrogatio CXXXI. Qui non capit cibos, quos fratres edunt, sed alios requirit, num recte facit. 207

— CXXXII. Qui dicit: « Id mihi nocet, » et ægre fert, nisi aliud datum fuerit : quid hoc est. ibid

— CXXXIII. Si etiam murmuraverit ille ciberum causa. 208

— CXXXIV. Si etiam iratus recuset necessaria accipere. ibid

— CXXXV. An conveniat aliquem fatigatum quidquam consuetis amplius requirere. 209

— CXXXVI. An necesse sit omnes ad horam prandii convenire : et si quis non occurrit, sed post prandium venit, quomodo nobis cum eo agendum sit. ibid

— CXXXVII. An recte faciat, qui verbi gratia statuit certo quodam aut cibo aut potu ad aliquod tempus abstinere. 210

— CXXXVIII. An oporteat inter fratres aliquem plus aliis jejunare. ibid

— CXXXIX. Imbecilliores ad laborem evadimus, aucto jejunio. Quid igitur magis facto opus est? laborem ne rescindere propter jejunium, an negligere jejunium propter laborem ? 212

— CXL. Si quis temperans non fuerit in noxiis cibis capiendis, imo vero his abunde sumptis incidat in morbum, numquid cura illius sit suscipienda. ibid

— CXLI. An conveniat peregrinos reperiri in officinis. 213

— CXLII. An debeant artifices opus ab aliquo accipere, citra præfecti sententiam. 214

— CXLIII. Quomodo operarii commissa sibi instrumenta debeant accurare. ibid

— CXLIV. Si quis ex negligentia aliquod perdat, aut aliquo per contemptum abutatur. 215

— CXLV, Si quis ex seipso alicui commodet, aut illud accipiat. ibid

— CXLVI. Si urgente necessitate præpositus ab ipso petit instrumentum, et contradicat. ibid

— CXLVII. Cum quis explendo cellarii aut coqui munere, vel quovis alio hujusmodi destinetur, si non interfuerit in constituto psalmodiæ et precationis tempore, is-ne nullum animæ detrimentum patitur. 216

INTERROGATIO CXLVIII. Qualem potestatis mensuram inter dispensandum obtineat is, cui cellarii cura fuit concredita. 217

— CXLIX. Cuinam judicio obnoxius erit œconomus, si aliquid fecerit pro personarum ratione, aut per contentionem. idid

— CL. Si præ negligentia non dederit fratri necessaria. 218

— CLI. An ministranti liceat voce altiore loqui. ibid

— CLII. De eo, qui ultra quam vires ipsius ferre possunt, in ministrando defatigatur. 216

— CLIII. Cui lanæ concreditæ sunt, quomodo debeat illas accurare. ibid

— CLIV. Si forte cum pauci sunt fratres, et inserviunt pluribus sororibus, eo necessitatis deveniant ut a se invicem separentur, ad opera agenda divisi, utrum id periculo vacet. 220

— CLV. Quomodo in hospitio tractare oporteat ægrotantes. ibid

— CLVI. Numquid is, cui cellarii, aut alterius ejusmodi cura tradita est, debeat semper illius curam habere, aut immutari. 220

— CLVII. Quo animo quis debeat Deo servire. 222

— CLVIII. Quo affectu debeat quivis mulctam sustinere. ibid

— CLIX. Qui ægre fert increpantem, qualis est. 223

— CLX. Quo animo debeamus fratribus inservire. ibid

— CLXI. Qua humilitate debeat quis a fratre ministerium accipere. 224

— CLXII. Mutua charitas, qualis esse debet. ibid

— CLXIII. Quomodo quis proximi dilectionem acquirere valeat. 225

— CLXIV. Quidnam sibi velit illud : *Nolite judicare et non judicabimini.* 226

— CLXV. Quomodo cognoscet quis, utrum Dei studio commoveatur in peccantem fratrem, an irascatur. 227

— CLXVI. Quo animo ei, qui ad mandatum conficiendum urget, auscultandum sit. ibid

— CLXVII. Qualis debet esse anima, quando prorsus digna habita est, quæ in Dei opere occupetur. 228

— CLXVIII. Quo affectu vestimentum aut calceamentum, qualecumque tandem fuerit, accipere oporteat. ibid

INTERROGATIO CLXIX. Si frater, junior jubeatur aliquid docere alterum ætate grandiorem, quomodo ipsum adibit. 229
— CLXX. Si æqualis habenda sit ratio, tum ejus, qui aliquid magis recte facit, tum illius, qui minus recte. ibid
— CLXXI. Si tristitia afficiatur inferior, cum is, qui magis pius est, sibi anteponitur. 230
— CLXXII. Quo timore, aut qua fidei plenitudine, aut quo animo corpus Domini nobis accipiendum sit. 231
— CLXXIII. An deceat tempore psalmodiæ quæ, in domo fit, colloquia seri. 232
— CLXXIV. Quomodo possit quis ex animo et cum alacritate exequi Domini mandata. 233
— CLXXV. Quomodo constat ab aliquo amari fratrem, juxta Domini mandatum. ibid
— CLXXVI. Quinam sint inimici, quos diligere jussi sumus. 234
— CLXXVII. Quomodo debeant fortes imbecillorum infirmitates portare. 235
— CLXXVIII. Quid est, alterum alterius onera portare. 239
— CLXXIX. Quomodo potest quis absque charitate fidem habere tantam, ut montes transferat, aut bona sua omnia det pauperibus, aut corpus suum tradat, ut exuratur. 237
— CLXXX. Quo animo et qua attentione ea audienda sint, quæ nobis cibum sumentibus leguntur. 238
— CLXXXI. Si duæ fratrum societates fuerint inter se vicinæ, et altera egestate laboret, altera vero ad impertiendum sit arctior, quomodo inopem affici oportet erga tenacem. ibid
— CLXXXII. Quibus fructibus probari debet qui ex misericordia peccantem redarguit. 239
— CLXXXIII. Si contingat nonnunquam, ut aliqui in fratrum conventu viventes dissideant inter se, an periculo vacet una cum eis versari, charitatis causa. ibid
— CLXXXIV. Quomodo possit quis, quoties vel hortatur, vel arguit, studere non solum quomodo scienter loquatur, sed etiam quomodo debitam tum Deo, tum iis quoque, quibuscum sermonem habet, animi affectionem servet. 240

Interrogatio CLXXXV. Si quis in loquendo auditores sibi assentientes videns, gaudeat, quo pacto cognoscet seipsum, affectu ne bono lætetur, an vitiosa quadam affectione sibi propria. 241
— CLXXXVI. Pro quibus amicis animam ponere debemus. ibid
— CLXXXVII. An unusquisque ab iis, qui sibi sanguine conjunguntur, quidquam accipere debeat. 242
— CLXXXVIII. Quomodo eos, qui nostri olim fuere contubernales, et eos, qui cognatione nobis conjunguntur, cum accedunt, videamus. 243
— CLXXXIX. Si adhortando etiam velint nos ad propria reducere. ibid
— CXC. An oporteat nos misereri cognatorum secundum carnem, salutem illorum concupiscentes. 244
— CXCI. Quis est mansuetus. 245
— CXCII. Quæ est tristitia secundum Deum, et quæ sit mundi tristitia. ibid
— CXCIII. Quale est in Christo gaudium. 246
— CXCIV. Qualem luctum admittemus, ut beatitudine digni efficiamur. ibid
— CXCV. Quomodo quis omnia facit ad gloriam Dei. 247
— CXCVI. Quomodo edit quis, bibitque ad gloriam Dei. ibid
— CXCVII. Quomodo efficiet dextera, ut sinistra non cognoscat. 248
— CXCVIII. Quid sit humilitas, et quomodo eam assequemur. ibid
— CXCIX. Quomodo exoptaverit quis se etiam periculis objicere pro Domini mandato. 249
— CC. Quomodo ii, qui diutius in Dei opere laboraverunt, possint recens accedentes juvare. ibid
— CCI. Quomodo quis attentionem in precando assequetur. 250
— CCII. An fieri possit, ut in omnibus et semper acquiratur attentio. 251
— CCIII. Utrum eorum, quæ secundum Domini mandatum fiunt, una et eadem mensura in omnibus sit, an alius majorem, alius vero habeat minorem. ibid
— CCIV. Quomodo quis efficitur dignus, qui fiat Spiritus sancti particeps. 252

Interrogatio CCV. Qui sint pauperes spiritu. 252
— CCVI. Cum Dominus præcipiat, ut ne simus solliciti, quid edamus, aut quid bibamus, aut quo tegamur, quousque id mandati se extendit, et quomodo perficitur. 253
— CCVII. Qua mente laborare oporteat. 254
— CCVIII. An bonum sit penitus silentium excolere. 255
— CCIX. Quomodo timere potuerimus Dei judicia. 256
— CCX. Qui sit amictus ille honestus, ab Apostolo traditus. ibid
— CCXI. Quis modus diligendi Deum. 257
— CCXII. Quomodo Dei dilectio obtineatur. ibid
— CCXIII. Quæ sint indicia charitatis erga Deum. 258
— CCXIV. In quo discrepant a se invicem benignitas et bonitas. ibid
— CCXV. Quis sit pacificus ille, qui a Domino dicitur beatus. 269
— CCXVI. In qua re converti oporteat, ac fieri velut parvulos. ibid
— CCXVII. Quomodo suscipiamus regnum Dei, velut parvulus. 260
— CCXVIII. Qualem intelligentiam a Deo exposcere debeamus. ibid
— CCXIX. Si beneficium acceperimus ab aliquo, quomodo tum Domino debitam gratiarum actionem puram ac integram persolvere, tum eam etiam quæ benefacienti debetur, scite et rite rependere poterimus. 261
— CCXX. An cuilibet volenti permittendum sit, ut cum sororibus in colloquium veniat. ibid
— CCXXI. Cum Dominus doceat orandum esse, ut ne intremus in tentationem, an orandum sit, ut ne in corporis dolores incidamus. 262
— CCXXII. Quis sit uniuscujusque nostrum adversarius, quomodove erga ipsum erimus benevoli. 263
— CCXXIII. Qui ob aliquam rationem Deo placitam jejunare vult, cum etsi non velit, videtur ad hominibus, quid faciet. ibid
— CCXXIV. An etiam nunc alia a prima hora operentur, alii ab undecima, et quinam hi sint. 264

Interrogatio CCXXV. Cum Dominus dixerit : *Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, quomodo hoc digni effici valeamus. 265
— CCXXVI. Cum Apostolus dicat : *Dum maledicimur, benedicimus : dum blasphemamur, obsecramus* ; quomodo benedicere debeat, cui maledicitur, et quid obsecrare, qui blasphematur. 266
— CCXXVII. Utrum oporteat unumquemque ea quæ sentit, aliis etiam patefacere, an cum sibi persuasum fuerit rem fieri Deo placitam, eam debeat apud seipsum continere. 267
— CCXXVIII. Numquid voluntas eorum qui scandalizantur, in omni re explenda sit, an vero sint quædam, in quibus simulatione utendum non sit, quanquam scandalum patiuntur nonnulli. 268
— CCXXIX. An oporteat vetitas actiones citra verecundiam omnibus publicare, aut aliquibus duntaxat, et quinam hi sint. ibid
— CCXXX. Quid est cultus, et quis est rationalis cultus. 269
— CCXXXI. Si frater inique se gerat in me, et inimicus sit mihi, aut aliquando etiam sacerdos, an liceat mihi data de inimicis præcepta etiam erga illum servare. 270
— CCXXXII. Si quis ab aliquo injuria affectus, nemini id referat, lenitatis et patientiæ causa, et Deo judicium relinquere videatur, an secundum Dominum faciat. 270
— CCXXXIII. Ex omnibus recte factis, si vel unum desit alicui, num propterea salutem non adipiscatur. 271
— CCXXXIV. Quomodo quis mortem Domini annuntiabit. 272
— CCXXXV. An expediat multa ex Scripturis ediscere. 273
— CCXXXVI. Qui digni habiti sunt, ut discerent quatuor Evangelia, quomodo hanc gratiam suscipere debeant. ibid
— CCXXXVII. Quinam animus dirigitur ad Dei voluntatem. 274
— CCXXXVIII. Numquid fieri possit, ut quis sine ulla intermissione psallat, legatve, aut seria tractet

de Dei verbis, nec ullum temporis spatium medium detur, cum usuveniat, ut nonnulli sordidioribus corporis necessitatibus cogantur satisfacere. ibid

INTERROGATIO CCXXXIX. Quis sit bonus thesaurus, et quis malus. 275

— CCXL. Quamobrem dicta sit lata porta, et spatiosa via, quæ ducit ad interitum. ibid

— CCXLI. Quomodo angusta sit porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam, et quomodo quis per ipsam ingrediatur. 276

— CCXLII. Quid sit illud : *Fraterno amore, ad vos mutuo diligendos proni.* 277

— CCXLIII. Quid sibi velit Apostolus, cum dicit : *Irascimini et nolite peccare, sol non occidat super iram vestram ;* ac etiam cum alibi dixit : *Omnis amaritudo, et indignatio, et ira tollatur a vobis.* ibid

— CCXLIV. Quid sit illud : *Date locum iræ.* 278

— CCXLV. Quid sit prudens ut serpens, et simplex sicut columba. ibid

— CCXLVI. Quid significet illud : *Charitas non indecore se gerit.* 279

— CCXLVII. Quæ sit gloriatio in Domino, et quæ sit interdicta. 280

— CCXLVIII. Si Dominus dat sapientiam, et a facie ipsius oriatur cognitio et prudentia : Item si per Spiritum alii datur sermo sapientiæ, alii vero sermo scientiæ, quomodo exprobrat Dominus Discipulis illud : *Adhuc et vos sine intelligentia estis.* Et qua ratione Apostolus quosdam accuset velut imprudentes. 281

— CCXLIX. Quid sit sanctum, et quid sit justum. ibid

— CCL. Quomodo det quis sanctum canibus, aut projiciat margaritas ante porcos : aut quomodo contingat quod sequitur : *Nequando conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos.* 282

— CCLI. Quomodo Dominus interdum prohibeat gestare sacculum et peram in via, interdum vero dicat : *Sed nunc qui sacculum habet, tollat similiter et peram. Et qui non habet, vendat vestem suam, et emat gladium.* 283

— CCLII. Quis sit panis quotidianus, cujus quotidianam largitionem rogare edocti sumus. 284

Interrogatio CCLIII. Quid sit talentum, et quomodo illud multiplicabimus. ibid

— CCLIV. Quid sit mensa, in quam oportebat te, inquit Dominus, mittere pecuniam. 285

— CCLV. Quo abire jussus est qui audivit, *Tolle quod tuum est, et vade.* 286

— CCLVI. Quænam sit merces, quam hi pariter atque ultimi accipiunt. ibid

— CCLVII. Quinam sint palea, quæ comburitur igne inextincto. 287

— CCLVIII. Quisnam sit qui condemnatur ab Apostolo, his verbis : *Volens in humilitate et religione, etc.* ibid

— CCLIX. Quisnam sit fervens spiritu. 288

— CCLX. Cum Apostolus nunc quidem dicat : *Nolite fieri imprudentes :* nunc vero. *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos*, an fieri possit, ut apud semetipsum prudens non sit is, qui imprudens non est. ibid

— CCLXI. Quamobrem ipsi etiam Sancti aliquas res, quas petivere, non impetrarint a Domino. 289

— CCLXII. Quid intersit inter mendicitatem et paupertatem : et quomodo verum dicat David, cum ait : *Ego autem mendicus sum et pauper.* 292

— CCLXIII. Quid vult docere Dominus per exempla, quibus subjungit illud : *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus bonis suis, non potest meus esse Discipulus.* 293

— CCLXIV. Quid sit sinceritas. 294

— CCLXV. An ad solos sacerdotes dictum sit : *Si offers munus tuum ad altare*, et reliqua. 295

— CCLXVI. Quid sit sal, quem habere Dominus jussit. 296


— CCLXVII. Si alius multis vapulabit, alius paucis, quomodo dicant nonnulli, nullum pœnarum finem futurum iis, qui puniendi sunt. ibid

— CCLXVIII. Quonam sensu dicantur quidam filii inobedientiæ et filii iræ. 298

— CCXLXIX. Cum scriptum sit : *Facientes voluntates carnis, et cagitationum*, an aliæ sint carnis voluntates, aliæ cogitationum : et quales sint hæc. 299

— CCLXX. Quid sit illud : *Aporiamur, sed non destituimur.* 300

Interrogatio CCLXXI. An per eleemosynam purgabitur quispiam ab omnibus, quæ admiserit, peccatis. 301
— CCLXXII. Cum Domini præceptum sit non sollicitum esse de crastino, quomodo salubriter id præcepti intelligemus. 302
— CCLXXIII. Quid sit, quod cum quis fecerit, blasphemat in Spiritum sanctum. 303
— CCLXXIV. Quomodo quis in hoc sæculo efficiatur fatuus. ibid
— CCLXXV. An sancti propositum impedire Satanas possit. 304
— CCLXXVI. Quid sit, quod dictum fuit ab Apostolo: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* 305
— CCLXXVII. Quodnam sit cubiculum, in quod orantem intrare Dominus jubet. 307
— CCLXXVIII. Quomodo spiritus cujuspiam oret, mens tamen illius infructuosa sit. 308
— CCLXXIX. Quid sibi vult illud : *Psallite sapienter.* 306
— CCLXXX. Quis sit qui mundus est corde. ibid
— CCLXXXI. Quæ soror psallere non vult, num cogenda est. 310
— CCLXXXII. Quinam sint ii, qui dicunt : *Manducavimus coram te, et bibimus.* Et tamen audierunt : *Non novi vos.* ibid
— CCLXXXIII. An is, qui facit alicujus voluntatem, sit illius socius. 311
— CCLXXXIV. Si in egestate sit fratrum societas ob aliquam morborum afflictationem ; an sine ulla dubitatione ab aliis queat necessaria recipere. Et si convenit, a quibus isthæc accipiet. 312
— CCLXXXV. Utrum fratres cum fratribus negotiantes, justum rei traditæ pretium sollicite anxieque requirere debeant. 313
— CCLXXXVI. Qui in fratrum societate vivit, sed incidit in morbum corporalem, an abducendus sit in hospitium. ibid
— CCLXXXVII. Qui sint fructus pœnitentia digni. 314
— CCLXXXVIII. Qui vult confiteri peccata sua, num omnibus et quibuslibet debet confiteri, aut quibus. ibid



Interrogatio CCLXXXIX. Quem pœnituit peccati, et rursus in idem peccatum labitur, quid faciet. 315

— CCXC. Quomodo quis semper magis ac magis proficit in opere Domini. 316

— CCXCI. Quæ sit arundo contrita, aut fumigans linum : et quomodo quis illam non confringet, hoc vero non extinguet? ibid

— CCXCII. An conveniat in fratrum conventu puerorum sæculo addictorum magistrum esse. 317

— CCXCIII. Quomodo cum iis agendum sit, qui devitant graviora peccata, levia vero patrant indiscriminatim. 318

— CCXCIV. Qua de causa non servet aliquis assiduam Dei memoriam. 319

— CCXCV. Quibus signis cognoscatur qui non est attento animo. ibid

— CCXCVI. Quomodo animus habeat persuasum se a peccatis purum esse. 320

— CCXCVII. Quomodo a peccatis converti oporteat. 321

— CCXCVIII. An Scriptura permittat bona facere ad sibi ipsi placendum. 322

— CCXCIX. Quomodo sibi persuadebit animus se a gloriæ studio alienum esse. 323

— CCC. Quis modus conversionis, cum de re sub aspectum non cadente fit sermo. 324

— CCCI. Quod si dicat quis : « Non mea me condemnat conscientia. » ibid

— CCCII. An ex cella penaria erogandum sit externis inopibus. 325

— CCCIII. An in fraterna communitate iis, quæ a quibusvis dicuntur, obediendum sit. 326


— CCCIV. Utrum pro iis, qui fratribus fuere oblati, aliquid accipere oporteat ab eorum parentibus, si dare aliquid voluerint. 327

— CCCV. An ab externis conveniat accipere, sive amicitiæ, sive prioris propinquitatis gratia. 328

— CCCVI. Qua ratione vitatur mentis aberratio. ibid

— CCCVII. An alternis vicibus incipiendum sit psallere, aut precari. 330

— CCCVIII. An fratribus aliquid danti, vicissim retribuere oporteat : et si convenit pro ratione rei datæ rependere vices. ibid



INTERROGATIO CCCIX. Si consueta, et quæ secundum naturam sunt, cuipiam contingant, an audere debeat ad Sanctorum communionem accedere. 351
— CCCX. Numquid in communi domo dominicam cœnam conveniat celebrari. 352
— CCCXI. Utrum cum aliqui rogant, eos invisere oporteat. ibid
— CCCXII. An laïci, qui nos invisunt, adhortandi sint ad precationem. 353
— CCCXIII. An cum aliqui nos visitant, oporteat laborare. ibid

EPISTOLÆ.

CLASSIS I. *Epistolæ quas Basilius scripsit ante episcopatum.*

EPISTOLA I. Eustathio philosopho. 355
— II. Basilius Gregorio. 357
— III. Candidiano. 344
— IV. Olympio. 346
— V. Ad Nectarium consolatoria. 347
— VI. Nectarii conjugi consolatoria. 349
— VII. Gregorio sodali. 352
— VIII. Apologia de secessu ad Cæsarienses, et de fide pertractatio. 353
— IX. Maximo philosopho. 368
— X. Ad viduam. 371
— XI. Sine inscriptione, amicitiæ ergo. 372
— XII. Olympio. 373
— XIII. Olympio, amica salutatio. ibid
— XIV. Gregorio sodali. 374
— XV. Arcadio comiti privatarum. 376
— XVI. Adversus Eunomium hæreticum. 377
— XVII. Origeni. 378
— XVIII. Macario et Joanni. 379
— XIX. Gregorio sodali. 380
— XX. Leontio sophistæ. 381
— XXI. Leontio sophistæ. 382
— XXII. De perfectione vitæ monasticæ. 383
— XXIII. Commendatitia ad monachum. 388
— XXIV. Athanasio, Athanasii episcopi Ancyræ patri. 389

Epistola XXV. Athanasio episcopo Ancyræ. 391
— XXVI. Cæsario Gregorii fratri. 393
— XXVII. Eusebio episcopo Samosatorum. 394
— XXVIII. Ecclesiæ Neocæsariensi consolatoria. 395
— XXIX. Ecclesiæ Ancyræ consolatoria. 399
— XXX. Eusebio episcopo Samosatorum. 401
— XXXI. Eusebio episcopo Samosatorum. 402
— XXXII. Sophronio magistro. 403
— XXXIII. Aburgio. 405
— XXXIV. Eusebio episcopo Samosatorum. 406
— XXXV. Sine inscriptione, pro Leontio. 407
— XXXVI. Sine inscriptione, auxilii causa. 408
— XXXVII. Sine inscriptione, causa illius qui secum fuerat enutritus. 409
— XXXVIII. Gregorio fratri de discrimine essentiæ et hypostasis. 410
— XXXIX. Julianus Basilio. 420
— XL. Julianus Basilio. 421
— XLI. Basilius ad hæc Juliano. 423
— XLII. Ad Chilonem discipulum suum. 425
— XLIII. Admonitio ad juniores. 433
— XLIV. Ad monachum lapsum. ibid
— XLV. Ad monachum lapsum. 436
— XLVI. Ad virginem lapsam. 440

Classis II. *Epistolæ quas Basilius episcopus scripsit.*

Epistola XLVII. Gregorio sodali. 449
— XLVIII. Eusebio episcopo Samosatorum. 450
— XLIX. Arcadio episcopo. 452
— L. Innocentio episcopo. 453
— LI. Bosporio episcopo. 464
— LII. Ad canonicas. 456
— LIII. Chorepiscopis. 460
— LIV. Chorepiscopis. 461
— LV. Paregorio presbytero. 463
— LVI. Pergamio. 464
— LVII. Meletio episcopo Antiochiæ. 466
— LVIII. Gregorio fratri. 467
— LIX. Gregorio patruo. 469
— LX. Gregorio patruo. 471

Epistola LXI. Athanasio Alexandriæ episcopo. 473
— LXII. Ecclesiæ Parnassi consolatoria. 474
— LXIII. Principali Neocæsareæ. 475
— LXIV. Hesychio. 476
— LXV. Atarbio. 477
— LXVI. Athanasio episcopo Alexandriæ. 478
— LXVII. Athanasio episcopo Alexandriæ. 481
— LXVIII. Meletio episcopo Antiochiæ. 482
— LXIX. Athanasio episcopo Alexandriæ. 483
— LXX Sine inscriptione de synodo. 486
— LXXI. Gregorio Basilius. 488
— LXXII. Hesychio. 490
— LXXIII. Callistheni. 491
— LXXIV. Martiniano. 493
— LXXV. Aburgio. 497
— LXXVI. Sophronio magistro. 498
— LXXVII. Sine inscriptione de Therasio. 499
— LXXVIII. Sine inscriptione pro Elpidio. 500
— LXXIX. Eustathio episcopo Sebastiæ. 501
— LXXX. Athanasio Alexandriæ episcopo. 502
— LXXXI. Innocentio episcopo. 503
— LXXXII. Athanasio episcopo Alexandriæ. 505
— LXXXIII. Censitori. 506
— LXXXIV. Præsidi. 508
— LXXXV. De cavendo jurejurando. 510
— LXXXVI. Præposito. 511
— LXXXVII. Sine inscriptione de iisdem rebus. 512
— LXXXVIII. Sine inscriptione, causa exactoris pecuniarum. 513
— LXXXIX. Meletio episcopo Antiochiæ. 514
— XC. Sanctissimis fratribus ac episcopis occidentalibus. 515
— XCI. Valeriano Illyricorum episcopo. 518

Annotationes. 521
Concordantia. 523

EXPLICIT INDEX.